



## Acerca de este libro

Esta es una copia digital de un libro que, durante generaciones, se ha conservado en las estanterías de una biblioteca, hasta que Google ha decidido escanearlo como parte de un proyecto que pretende que sea posible descubrir en línea libros de todo el mundo.

Ha sobrevivido tantos años como para que los derechos de autor hayan expirado y el libro pase a ser de dominio público. El que un libro sea de dominio público significa que nunca ha estado protegido por derechos de autor, o bien que el período legal de estos derechos ya ha expirado. Es posible que una misma obra sea de dominio público en unos países y, sin embargo, no lo sea en otros. Los libros de dominio público son nuestras puertas hacia el pasado, suponen un patrimonio histórico, cultural y de conocimientos que, a menudo, resulta difícil de descubrir.

Todas las anotaciones, marcas y otras señales en los márgenes que estén presentes en el volumen original aparecerán también en este archivo como testimonio del largo viaje que el libro ha recorrido desde el editor hasta la biblioteca y, finalmente, hasta usted.

## Normas de uso

Google se enorgullece de poder colaborar con distintas bibliotecas para digitalizar los materiales de dominio público a fin de hacerlos accesibles a todo el mundo. Los libros de dominio público son patrimonio de todos, nosotros somos sus humildes guardianes. No obstante, se trata de un trabajo caro. Por este motivo, y para poder ofrecer este recurso, hemos tomado medidas para evitar que se produzca un abuso por parte de terceros con fines comerciales, y hemos incluido restricciones técnicas sobre las solicitudes automatizadas.

Asimismo, le pedimos que:

- + *Haga un uso exclusivamente no comercial de estos archivos* Hemos diseñado la Búsqueda de libros de Google para el uso de particulares; como tal, le pedimos que utilice estos archivos con fines personales, y no comerciales.
- + *No envíe solicitudes automatizadas* Por favor, no envíe solicitudes automatizadas de ningún tipo al sistema de Google. Si está llevando a cabo una investigación sobre traducción automática, reconocimiento óptico de caracteres u otros campos para los que resulte útil disfrutar de acceso a una gran cantidad de texto, por favor, envíenos un mensaje. Fomentamos el uso de materiales de dominio público con estos propósitos y seguro que podremos ayudarle.
- + *Conserve la atribución* La filigrana de Google que verá en todos los archivos es fundamental para informar a los usuarios sobre este proyecto y ayudarles a encontrar materiales adicionales en la Búsqueda de libros de Google. Por favor, no la elimine.
- + *Manténgase siempre dentro de la legalidad* Sea cual sea el uso que haga de estos materiales, recuerde que es responsable de asegurarse de que todo lo que hace es legal. No dé por sentado que, por el hecho de que una obra se considere de dominio público para los usuarios de los Estados Unidos, lo será también para los usuarios de otros países. La legislación sobre derechos de autor varía de un país a otro, y no podemos facilitar información sobre si está permitido un uso específico de algún libro. Por favor, no suponga que la aparición de un libro en nuestro programa significa que se puede utilizar de igual manera en todo el mundo. La responsabilidad ante la infracción de los derechos de autor puede ser muy grave.

## Acerca de la Búsqueda de libros de Google

El objetivo de Google consiste en organizar información procedente de todo el mundo y hacerla accesible y útil de forma universal. El programa de Búsqueda de libros de Google ayuda a los lectores a descubrir los libros de todo el mundo a la vez que ayuda a autores y editores a llegar a nuevas audiencias. Podrá realizar búsquedas en el texto completo de este libro en la web, en la página <http://books.google.com>

SB

6130

C

42

136  
E  
30



[www.centreceramique.nl](http://www.centreceramique.nl)



10001024244702









IVRIS IVSTITIÆQVE  
VSVS ET ABVSVS.  
EXEMPLIS ET DOCUMENTIS  
EX OMNI ÆVO DEMONSTRATI

PER  
ANDREAM BOVWENS  
I. C. MOSÆ-TRAJECTINUM.

*Opus non tantum Synedris, omnibusq; Nomothetis,  
sed & Concionatoribus utilissimum.*

NI STRUIS, RUIS.

*Salus Anima in sanctitate Iustitia. Eccl. 23.*



LEODII.

EX OFFICINA TYPOGRAPHICA  
HENRICI & IOANNIS MATHIÆ HOVIORUM,  
Sub signo Paradisi Terrestris. M. DC. LIV.



1771  
EN  
MA/ST

R E V E R E N D I S S I M O

ET PER-ILLVSTRI DOMINO,

D. ANDREÆ CRVESEN

ECCLESIAE RUREMUNDENSIS

INAVGVATO

E P I S C O P O

DEDICAT CONSECRATOQUE

ANDREAS BOUWENS I. C. & Affinis.



*U*BITAVERAM, REVE-  
RENDISSIME ET PERILLVSTRIS  
DOMINE PRÆSVL, *num tra-*  
*ctatum hunc auderem promere, & si*  
*producere cui adducere: sunt enim tam*  
*anomala horum temporum ingenia, ut vel fastidio, aut*  
*omnino non legant, aut vix lecta rejiciant, vel sanè ex*  
*effœminato pathemate tantum appetant illa quæ novi-*  
*tatis cujusdam inusitata irritamento condita sunt; vel*  
*rifi ex auro argentove propinentur, quæ ideo non magis*

A 2

*sunt*

## EPISTOLA

*sunt salubria, quàm si ex ligno testàve sumerentur, planè  
 ut nunc mores reliqui sunt hujus sæculi malè feriatì, cui  
 si quid placet, necesse est ut fungis contemporale sit, aut  
 displicet: sed seu pica morbus sit & malacia muliebris, seu  
 sit canina nausea, concedunt non rigidi medici: pica qui-  
 dem nova, si non adeò sunt noxia, propter diuturnos secu-  
 turos morbos ex negatis, nausea vero varia, & sic ap-  
 parata ut quamvis tantum gustata sint, possint natura  
 vim sopitam excitare, & sufficiens dare alimentum. Non  
 absimilis potest esse causa quæ producit in publicum hunc  
 tractatum sub hoc condimento bonorum Indicum cum  
 malorum commixtione variatum, sed non eadem ab  
 initio produxit occasio. erunt enim permulti longè Do-  
 ctiores ( neque enim sum usque adeò imperitia mea non  
 conscius ) qui potuissent huic rei & eruditius, & ornatius  
 manum apponere. Sed ipse feci ut mihi saperem primum,  
 deinde aliorum prudentium consilium secutus, qui vanæ  
 gloria præstigiùm excutientes, non tantum sibi; sed &  
 Republica, cui nati sumus, ea exhibent publicè, quæ vel  
 ad mores, vel ad leges, vel ad legentium frugem con-  
 ducere posse crediderunt: Licet autem quibusdam videri  
 posset præstare abusus ac vitia, non describere tanquam  
 illorum*

## DEDICATORIA.

*illorum cognitione populus caperetur : sed quoniam apes  
 ex eisdem flosculis mel & ceram, ex quibus ananea  
 toxicum, sugunt, non vitium est florum, nec ejiciendi :  
 malaque non vitantur nisi cognita sint, atque uti in con-  
 templatione natura non tantum vires, motus, ac rerum  
 medicina, sed & venena declarantur : ita & in admi-  
 nistratione civili, non tantum virtutes, sed & vitia, at-  
 que Reipub. labes delineari debent ; ex qua descriptione  
 hoc commoditatis nascitur, ut justior & cautior Respu-  
 blica ministerq, reddatur, quippè malis demonstratis  
 rariores lapsus, casusq, habet, & Abusibus cognitis,  
 illorum injuria, fraudes, & insidia facilius evitantur,  
 qua aliter oscitantes multos opprimere possent, & impc-  
 ritos rerum in gurgites malorum rapere : tum etiam quia  
 hoc modo rectè Reipublica forma, judicia, sinceriq, ac in-  
 tegri Juris & Iustitiæ administratores melius intelligun-  
 tur, honorandi veniunt, ac tanquam opposita juxta  
 se, posita, magis elucescunt : <sup>a</sup> neque enim eo consilio à me  
 hac congesta sunt, ut intendam sigillare ipsum officium  
 Iudiciale, vel Consiliariorum, aut Advocatorum, aut  
 nullum ex illis in particulari ; sed vitium, & Abusum,  
 qui officio potest & solet plurimum officere, & ut periti*

ac

## EPISTOLA

*ac probi ea quæ cum summa omnium laude agunt, recognoscant: indocti, improbiq; in quo vituperentur, & quod emendandum, cavendumq; habent planè perlustrent: Etenim nulla ars est, quæ boni malique causam non prabeat; si malè tractetur, mala; si nõ abutaris, bona. Si quando ergo deteguntur abusus, & errores qui in administratione Iustitiæ committuntur, non per hoc Iuritorum honori ne in minimo diminutum censendum, sed utendo verbis S. Cypriani: Hoc non eò dico ut fratrum causas onerem, sed ut magis ad precem satisfactionis ( seu fidelem, sinceramq; Iuris & Iustitiæ exercitationem ) instigem; nam qui vos felices dicunt ( dum eâ abutimini ) in errorem vos mittunt, & semitas pedum vestrorum turbant. qui peccantem blandimentis adulantibus palpat, peccandi fomitem subministrat; nec comprimit delicta ille, sed nutrit: at qui consiliis fortioribus redarguit, simul atque instruit fratrem, promovet ad salutem.*

*Imperitus est Medicus qui tumentes vulnerum sinus manu parcente contrectat, & in altis recessibus viscerum*

## DEDICATORIA.

*rum virus inclusum dum servat, exaggerat: aperiendum vulnus est & secandum, & putredinibus amputatis medela fortiore curandum, vociferetur, & clamet, licet & conqueratur ager impatiens per dolorem; gratias agat postmodum cum senserit sanitatem: vociferabuntur & conquerentur forte, & jam nonnulli, qui secreto injustitia ulcere laborantes, & dum per alios librorum labori incumbitur, ludunt vel ambulant; dum illi vigilant, ipsi dormiunt; dum sunt abstemii, ipsi epulantur; dum sudore & labore libros pervolvunt, communitati, ut prosint; ipsi replenda bursa, conquirendis causis & salario student privata utilitati: qui omnia sciunt amulari, nihil verò imitari.*

*Sperandum tamen quod ubi proborum Jurisperitorum laudes & premia examinauerint, & opprobria iniquorum, remediaque benevola manu oculoque benigno exceperint, sanatique fuerint, hac pro nostra mediocritate composita, cum Dominica pace, Collegii honore, ac dilectionis vinculo interpretabuntur: si autem contendere malint, nos eam consuetudinem non habemus, neque ir-tentionem, sed ut ait S. Hieronymus, " Non ut adversariis, sed ut amicis scripsimus, nec*  
inve-

## EPISTOLA

invecti sumus in eos qui peccant, sed ne peccent monemus, neque in illos tantum, sed in nosmetipsos, severi Iudices sumus: nullum læsimus, nullius nomen de mea scriptura vel sermone signatum est, neminem specialiter meus sermo pulsavit; generalis de vitiis disputatio est: qui mihi irasci voluerit, ipse de se, quod talis fit, confitebitur.

Theodorus Atheniensis, *objicientibus quod doctrina ipsius multi redderentur deteriores, respondit: Id aliorum vitio accidere, qui doctrinam ipsius sinistra exciperent, cum ipse dextra porrigeret.* \*

Prometheus cum ignem à caelis in terram deportasset, eumque primum visum Satyrus complecti velle et exoculari, Heus, inquit, ni caves, hircæ profecto dolebit tibi mentum, *admoneat etiam quæ natura pulcherrima sunt, maximèque necessaria, tamen fieri perniciofa nisi rectè utaris.*

*Non erat autem ad cuius potiùs sinum Abiturientis hic noster in lucem factus confugeret, quàm ad tuum*  
**REV.<sup>ME</sup> & PERILLUSTRIS. DOMINE.** ante

*omnia*

\* Plut.

## DEDICATORIA.

omnia enim ob consanguinitatis vinculum videbatur  
aditus ad patrocinium tuum jam patefactus, qui apud  
alium quemcumque nisi prolixiore benevolentia aucu-  
pio fuisset aperiendus. at sanguini hic nihil tribuendo,  
illa est ingenita tibi quadam in omnes, qui industria  
quacumque etiam se in re litteraria exhibita commen-  
dant, inclinatio, ut etiam quantumvis peregrino  
mihi & hospiti, non alius, quam Domesticus hic affectus  
fuisset expectandus: ingenitus tibi quidem dico, hic  
est, sed qui cum aetate crevit, sicut hac cum eruditione  
& virtute: quarum magnitudinem amplissimi præ-  
sentis modo in te honoris ostendunt fructus, quos præ-  
senserat jam tum Eminentissimi Melchioris Car-  
dinalis Klefelii eximia prudentia, cum in Romano  
Lyceo post sexcennalis studii cursum in Collegio Ger-  
manico peractum, te evocavit in Austriam, à quo de-  
inde post doctoralia insignia sacrosancta Theologia in  
alma universitate Viennensi solemniter reportata,  
transscriptus in excellentissimi Comitis Ognaten-  
sis invictissimi Hispaniarum Monarchæ in aula Cæ-  
sarea oratoris familiam fuisti, eo estimationis progressu,  
ut tibi gravissimas sæpius legationes commiserit, &  
te generalem exercitus regii statuerit Vicarium.



## EPISTOLA

*In functione hac suscipienda laborum, in administranda fidelitatis, in sustinenda difficultatum & periculorum; obsequiorum denique Augustissima domui Austriaca impensorum, ab Imperatore FERDINANDO II. premium fuit primò Canonicatus, & Scholasteria Metropolitana Ecclesiæ Cameracensis; paulò post amplissima gravissimæq; Archidiaconatus, aliorumque munium in dicto Capitulo, & Vicariatus dignitates, quas viginti & amplius annis, tanta cum prudentia, justitia, continentia, inculpatæq; vitæ laude sustinisti, ut pro confirmatione Synodi Provincialis ab Archiepiscopis & Episcopis Suffraganeis Romam anno Domini 1631. allegatus fueris: proindèque congruentior nec debuerit, nec potuerit à Serenissimo Archiduce LEOPOLDO dari merces, quàm hæc Infula & pedum.*

*Illam autem quis nescit symbola quadam, seu signa Iustitiæ in Ecclesia administranda, verum etiam in foro civili: quod si Iustitia, in illo præfides, aut omnino non, aut non incorruptè præfideant; & ita sacratissimi illius Legum-latoris IVSTINIANI inter alia oraculum illud de Episcopis intelligendum: Quod si contigerit . . . . . quen-*

## DEDICATORIA.

quendam nostrorum subditorum à clarissimo provinciæ Iudice lædi, jubemus illum adire sanctissimum illius Civitatis Episcopum, & ipsum judicare inter Clarissimum illius provinciæ Iudicem, & eum qui putatur lædi ab eo. <sup>a</sup> quod adhuc ad omnem Iuris abusum præcaevendura, non putavit sufficere circumspectissimus princeps, nisi & simul quam gravi tam salutarè omnes Episcopos paranesi ad excubandum pro Iustitia peculiariter exhortaretur: Tuæ igitur ( Episcopo ) sit Reverentiæ, & cæterorum hæc custodire, & si quid transcendatur à Iudicibus ad nos referre, ut nihil contemnatur horum quæ sanctè à nobis statuta sunt. & paulò post: Sed oportet præsentibus vos provinciis, & pro eis ac reliquis detestantes manifestos nobis facere, & rectos Iudices, & transcendentibus hanc legem nostram, quatenus utrosque cognoscentes; hos quidem puniamus, illis autem repensemus. <sup>b</sup>

B 2

Nec

<sup>a</sup> Authen. ut diff. Jud. aud. interp. allegat.

<sup>b</sup> Authen. ut Jud. sine quoq. suff.

## EPISTOLA

*Nec alius gestis bellicis, & sapientia Imperatori Carolo Magno, quàm Iustiniano scopus fuit, dum in legis Theodosiana renovatione statuit ut omnes forenses controversiæ ad iudicium Ecclesiæ remitti possent, si alteruter litigantium id postularet.*

*Qua cum ita sint, Per-illustris Domine Integerrime Iustitiæ Antistes, animo benevolo accipe hos nostros de Iuris usu & abusu labores: protege infulâ illâ, quæ reverendam istam canitiem tegit: tegat autem tam diu quam tegit meritam sapientia & vitæ sanctimonia: de quibus non solum qui affinitate, sed vel patriæ communis nomine conjuncti, tam multum tibi sibiqûe congratulantur, quam vivam in te Lamberti cujusdam rediivi è popularibus tuis Trajectensibus primi, ut tu secundus, Episcopi, verè sibi videntur habere imaginem. Hac inter Tuæ virtutis & eruditionis multifariæ Decora atque applausus, Divini Numinis imploro benignitatem, ut diu incolumem & superstitem ad Ecclesiæ suæ & Amicorum ornamentum conservare velit: quo voto finio, atque interiore animi affectu adimpleo si quid stylo omisi.*

ANA-

*ANAGRAMMATIS MVS.*

ANDREAS CRUESEN, EPISCOPUS.

PAUPERES CURANDO SENESCIS.

*Pascis oves, removesq; lupos, succurris egenti:*

*Sic bene curando vive, fenescce gregi.*

# APPROBATIONES.

**P**raesens opus cui titulus: *Iuris Iustitiæq; Usus & Abusus*, demonstrati per Consultissimum & Eruditissimum Dominum ANDREAM BOUWENS I. C. Mosæ-Trajectinum, nihil continet veræ Fidei contrarium, sed pericula, mores, ac potius versutias Curia, aut Pragmaticorum, quasi è Scenâ representat; erudiens eos ad intelligendum Iustitiam, iudicium, & æquitatem: proinde censeo bono publico in lucem prodire posse. Datum Leodii 5. Decembris, 1653.

IO. A CHOKIER DE SVRLET,  
*Vicarius generalis Leodiensis.*

**L**EGI Tractatum Iuridico-politicum, cui titulus, *Iuris Iustitiæq; Usus & Abusus*, auctore V. CL. & Consultiss. ANDREA BOUWENS I. C. & Caussarú Patrono in oppido Mosæ-Trajectensi, seu Optricensi, ut illud veteres indigentant: quem repperi varii generis omnisque ævi exemplis ac documentis ex Scriptoribus tum sacris tum profanis concinnatum, tum etiam ex ipsius Auctoris industria atque ingenio variè instructum. Quibus quidem exemplis ac præceptionibus Iudices, Advocati, ceterique qui in tritura forensi versantur, officii sui monentur, ut scilicet omnibus ex æquo & bono jus dicant & suggerant, atque ab omni improba lite, ab omni iniqua machinatione, etiam sub quocumque juris iustitiæque velamine, animum perpetuò alienum habeant. Censeo proinde posse utiliter & cum fructu dictum Tract. typis excudi & divulgari, salvâ tamen Censurâ Ordinarii Librorum Visitatoris. prid. kal. Augusti, CIO. IOC. LIII.

VALERIUS ANDRÆAS I. V. D.  
*& Prof. Regius in Academia Lovanienfi.*

# EPISTOLA AD AVCTOREM.

CLARISSIME DOMINE. S. P.

**C**UM ex catharro guttur argente, auræ me exponere non audeam, hæc vicarias mitto, moram non patiente justissimo desiderio. inter ipsas meas Ovicularum curas, quibus diu noctûque distrahor; in regimine trium millium & amplius, (Deo laus) Parochianorum, identidem recurrit animo Tractatus tuus de JURIS & IUSTITIÆ Usu & ABUSU, quem ex commissione expressâ Amplissimi Domini CHOKIER Vicarii nostri, examinavi ab aliquo tempore, qui tum statim dicebatur publicandus, tanquam valdè utilis & solidus. sed hætenus nihil audio de effectu, pluribus interim mecum anhelantibus ad opus. cur non pergis, & foetum quem jam diu concepisti, quanto citiùs in publicum edis? indignum siquidem fore arbitror, ut id quod publico communiqûe usui servire, vel pluribus prodesse potest, diu intra privatos parietes, forsan muribus esca, aut officinis involucra, lateat. Advocati alii, parti uni, vel diversis suo serviunt patrocinio: Tu hoc opere omnibus, & litigantibus & iudicibus & ipsis Advocatis. An deterrent quidam malè feriati oblocutores & Zoili? bonos justitiæ ministros non lædis, sed roboras. malos quid curas? lædantur ut emendentur. quis verò unquam publici boni promotor à maledicis linguis liber fuit? nonne ipse Servator noster & Magister, qui omnia benè fecit, vituperatores quàm insolentissimos passus est? & nunquid substitit? & Tu melioris conditionis esse vis? certè non est discipulus supra Magistrum,

EPIST. AD AUCTOREM.

gistrum, nec servus supra Dominum. & verò cur timeres ? cum Tractatus tuus nil mali contineat, sed sanissimam doctrinam, sacrae Paginae suffragiis, Juris principiis, SS. virorum pronuntiatis, ipsorum Ethnicorum sententiis Christianos confundentibus, nixam & fundatam. sed intendis fortè differre? Nosti tempora, & valetudinem tuam : per quàm facile ad manus alienas, hic labor tuus elabi posset. Fortè suppressere vis ? in die judicii rationem reddes de talento abscondito, & bono, quo Reipub. judicaris opitulari magno cum fructu potuisse. certè NI STRUIS, RUIS. quare pone inutilem metum & frivola effugia ; vir esto non tibi tantum sed & Reipub. & rogo ne vel momentum temporis in hujus tui Tractatus publicatione amittas. interea orabo supremum Iudicem suo amanuensi faveat, vitam servet & vires in ædificationem & bonorum meritorum cumulum. oretenus plura ubi convaluero. Hicce

*CLARISSIMÆ DOM. SVÆ*

Hac 4. Oct.  
1653.

*Obsequiosissimus famulus*

MARTINUS BEVERS  
Pastor S. Mathiæ.

IN CLARISSIMI

ANDRÆ BOVWENS

librum de VSV & ABVSV IVRIS:

CLAVDII ERNESTI DE LA MONTAIGNE  
LL. Licentiati, Trajecti-Mosæ PRÆTORIS.

EPTICTICHON.

A.A

**D***Vm Themidos sacra corruptis his moribus ævi,  
Ut fuerant priscis intemerata, doces:  
IVRIS ABVSVM dum vero secernis ab VSV,  
Ingenio debet premia quanta Themis?  
Consona quippè sonas divina Oracula legi,  
Contra qua humanum non pudet ire scelus.  
Hunc favor à vero flectit, persona, metallum:  
Illius mentem passio cæca trahit.  
Sic passim cunctos ut cernis ABVSIBVS VTI,  
Patronum Auctor adis, qui tueatur opus:  
Et rectè: irreptos nam qui correxit ABVSVS,  
V'sibus antiquis restituitq; gregem;  
His factò præstat commisso Præsul ovili  
Ritè quod in verbis pagina docta notat.*

C

AD



## AD EVNDEM.

**I**uris fert Vsum liber hic, condemnat Abusum,  
Iustitiam & Themidis mystica sacra docet.  
Dum senium Iuris revocat, priscamque reducit.  
Canitiem legum, frœnâque dat vitiis.  
Fraudes atque dolos, & munera pellit ab urna,  
Nec sinit officiis rostra deesse suis.

LEONARDUS PALUDANUS I. C.  
& Mosæ-Trajectensis Civi-  
tatis Consul.

# CRONOGRAPHICVM.

IN IVRIS VSVS ATQVE ABVSVS  
TRACTATVM, ANDREÆ BOUVVENI.

**A** Vrea Saturno fuerant qua sacula Rege  
Cogito: BOUVVENI dum tua scripta lego.  
Rursus lapsa polo librat Themis, acta bilance  
Arbitrio penset, indiciove licet.  
Curia jure viget sancto, florétque tribunal  
Temporis elapsi Iuris abusus abest,  
Exilio damnas iras, fraudésque dolosque,  
Rancores, aurum, gratia quodq; nocet,  
Restituis Themidem terris, solioque reponis:  
An fieri quidquam majus in Orbe potest?  
Sic cognate tuis patriam virtutibus imple,  
Ingenio Themidis Iura tuere tuo.

Clarissimo Domino cognato suo  
LD. IOANNES VERHEYEN I. C.

AD LIBRVM ET SIMBOLVM  
AUCTORIS  
NI STRVIS RVIS.

**E**Xtruit hic celsas magno molimine turres  
Cœli vagisque moras nubibus esse facit.  
Pendula centenis molitur hic atria pilis,  
Marmore jam tota deficiente paro.  
Ille volaturas compaginat æquore pinos,  
Urbibus ille ingens mœnia condit opus:  
Ille urbes ipsas, aliud sibi fabricat alter,  
Et fabro sese sapè labore necat  
Sed misera, ô verè conamina tanta! caduca,  
Qua structa. Hora potest omnia destruere.  
Hora? hora punctum: hoc moles quandoq; fuerunt  
Vasta, tunc quod erant quando fuere nihil.  
**BOUWENI** labor ergo tuus felicior. aras  
Has diuæ **THEMIDI** templaq; quãdo **STRVIS**.  
Non vi non ullis opus illud corruet annis,  
Terrigenis leges dum **THEMIS** aqua feret.  
Tempora quin etiam sint vel sine Iure futura,  
Hic pulsus poterit jus revocare liber.

ANTHON. GRAVEN I. C.  
& Advocatus Trajectensis.

CLARISSIMO VIRO  
ANDREÆ BOVVENIO I. C.  
LIBROS  
DE VSV ET ABVSV IVRIS  
EDENTI,  
*HENDECASYLLABVS.*

*I*vs, quo nil aliud magis salubre,  
Terrarum venit à Regente, terris;  
Quo, ceu lacte suo, quies fovetur,  
Et concordia civium perennat;  
Iam dudum (veluti vetusta tigna  
Invadit caries, velut vetustum  
Turpis dedecorat rubigo ferrum)  
In tricas abit, & mores cavillos:  
Ius, quod praesidium dare innocenti,  
Natum est, & miseris reis levamen,  
Nunc fit decipula impotentiorum;  
Sic torquere bonam, malos in usus,  
Rem norunt Rabulae, calumniator,

*Mendax,*

*Mendax, prævaricator, atque legum.  
 Doctor quisque trium artifex stropharum,  
 Gryphi, Thraso, foriq, nundinator,  
 Harpyâque rapacior sophista.  
 Hæc Tu vincere monstra dum, Boëne,  
 Contendis, geminum STVIS libellum,  
 Quo prostrata RVANT, facem, atque telum  
 An dicam duplicem hunc tuum laborem,  
 Queis, devicta fori peribit Hydra?  
 An quod hic Calais sit, iste Zethes,  
 Harpyas quibus à foro repellas?  
 An quod nunc redeant Litæ sorores,  
 Quæ tollant, fera quod reliquit Ate?  
 An quod Tyndaridæ ferant gemelli,  
 Vndis compositis, serenitatem?  
 Sed de nomine quarere otiosum est;  
 Auctori cano, Io triumphè! jam nunc,  
 Et vel dedico querceam corollam  
 (Servato venit hæc Corolla civæ)  
 Vel, quod Iustitiæ subegit hostes,  
 Victori paro Lauream Boëno.*

CLARISSIMO VIRO  
ANDREÆ BOVVENIO I. C.

*Amico Sincerissimo S. D.*

**E**Ditionem operis de USU & ABUSU IURIS carceres jam mordere retulit altero die ex Artesia reduci commodum occurrens vir exquisitissime comis & eruditus. Anthonius Gravenius vester. Lætor sanè. Publico autem & Tibi gratulor. Publico : quia locuplete hoc ingenii tui thesauro omnes fruuntur. Tibi : quia immortalis inde nominis fructu ditabere. Quod utrumque dignissimum illo, cujus omnia hucusque scripta plena sunt ad virtutem stimulis; & pietatem in primis. Nam ad ferventiorum DEI HOMINIS cultum: ad peculiarem erga Magnum SERVATIUM observantiam, & inclytam illam inter Virgines Martyres BARBARAM, sicuti exemplo quotidie, sic stylo accendisti. Libri speculum fuerunt vitæ tuæ; vita librorum. Atque ita vivendo & scribendo Iustitiam docuisti erga Deum & Superos. Post quæ quid congruentius, quam ut eandem etiam homines doceres erga homines? Fecisti hoc præsentem laborem tuo, & tam utiliter collocato, quam virtus hæc Reipub. & ubique necessaria. Ad rem ex re omnium Græcus iste:

Τεόν & Δίκαι & Κτήμα Τηρώτατον.

*Mores justī, seu Iustitia, possessio pretiosissima.*

Nec minùs factum illud Indorum apud Stob. serm. 9. qui prudentissimum omnium sacris præficiunt, nihil quæ aliud à Diis.

## EPISTOLA

Diis petere jubent, quàm IUSTITIAM: tanquàm omnia, si illam; & nihil, si non, habituri. Quid certius? Iustitiâ sublatâ omnis boni fons obstructus: hac florente, apertus. Ubi arma: ponuntur, aut geruntur cum ratione. Ubi Leges, & Iudicia: ibi auctoritas. Ubi Senatus: Majestas. Ubi agri: cultus. Ubi sacra: honos. Ubi homines tandem: ibi securitas, fides, amicitia, & vera hominum vita. Fuit hic idem ingeniosissimo Poëtarum scopus in quem collimavit, quando summam illam in AUREO SÆCULO felicitatem alteri causæ non attribuit, quàm Iustitiæ vigori: quia enim tunc mortales

—— — — — vindice nullo

*Sponte sua sine lege Fidem rectumque colebant:*

Ideo, inquit,

— *immunis, rastrôq; intacta, nec ullis*

*Saucia vulneribus, per se dabat omnia tellus.*

Ideo

*Ver erat æternum, &c.*

Ideo

*Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant:*

*Flavæque de viridi stillabant ilice mella.*

Sed desinam ego talium, cujus institutum hîc non est Iustitiæ præconem agere. Agis Tu plenâ paginâ, disertissime BOUWENI. Constare tantummodò aliis volebam non esse extra animum mihi, nec unquam futurum animum illum, quo ultima vice Trajecti in Bibliotheca tua, ad quam operis hujus tunc primùm incudem deferentis monstrandi invitaveras, complexus fuisti. O jucunda liqui-

AD AVCTOREM.

liquidissimæ voluptatis regustatio! quid dicam quod mentem  
oculosque mihi maximè tum rapuerit? selectam illam co-  
piosissimamque librorum supellectilem? quæsitissima pictu-  
rarum statuarumque cymetia? suavissimum cum mortuis mu-  
tisque ( ut Alphonfus Rex dicebat ) consiliariis colloquium?  
an ipsum Musci, nescio quem genium & tam remotum à  
vulgi strepitu secessum? An hæc omnia simul? Sed TU  
IPSE ante omnia, HUMANISSIME & ERUDITISSIME  
BOUWENI. omnia enim ista TUA & IPSE TU es.  
Extra libros etiam Bibliotheca, sine signis, tabulis, statuis,  
Viva Iustitiæ cæterarumque virtutum imago. Domus de-  
mum & Ornatissimæ familiæ TU maximum Ornamentum.  
Faxint Cœlites ut diu. Lovanij ex Collegio Buslidiano Tri-  
lingui CIO. IDC. LIII. XVII. Kal. xbris.

*BERNARDVS HETMBACHIVS,*  
*Tolbiacenus, I. C. in Academia Lovaniensi*  
*Historiarum Professor publ. & ordinar.*

D

IN



IN CONSULTISSIMI ET MULTIFARIA  
cùm Virtute tum Eruditione Ornatissimi Viri  
ANDREÆ BOUVVENS I. V. L.  
ET CIVITATIS TRAJECTENSIS  
EX-SCABINI,

IVRIS VSVS ET ABVSVS  
TRACTATVM,

Atque alia ejusdem Auctoris opera.

**P***Hæbo dicatum pectus & Phæbi choro  
Intaminata mysta BOUWENI Deæ  
Cui cura recti est, lance qua cuiusvis suum  
dispensat aqua; nostra sit quamvis tuis  
Impar camæna laudibus, nefas tamen  
Tot eas loquentibus, premere vocem autumat.  
Hinc TE leuamen dulce pauperie vocant,  
Quos fors iniqua pressit: aut angustias  
In æstuosas dubia præcipites dedit,  
Et torta lis, legum tyrannis: aureos  
Hinc intuetur quilibet mores, suis  
Normamq; ponit moribus. vis ingent.*

*Illinc*

*Illinc, & artis genitor huic varia labor  
 Te clarat adjunctus. Sed haud satis tibi  
 Sic esse clarum. Lucis ut Phæbus pater  
 Et lucet & calere perfusos suis  
 Radius facit: Scientiarum lumine,  
 Sic tu decori tibi es & aliis usui.  
 Primo fuisti per Salutarem Crucis  
 Viam, piè eloquente strata qua stylo:  
 Exin secuta vita morsq; Barbaræ  
 Grande morientium Diva qua columen.  
 Solator operâ pauperibus est & tua.  
 Tuâque tenebris erutus, & orbi datus  
 Servatianus ille Thesaurus, cui  
 Et gaza Cræsi cedit, & quicquid Tagrus  
 Pretiosus auro volvit aut Canges vado.  
 At quid modò? Vsum Iuris & Abusum doces.  
 Doctrina digna cedro, & immortalibus  
 Ceris, tuisq;, MAGNE VIR, sudoribus!  
 Hinc incitamen ut boni sic & mali  
 Iuris sibi addi sentient antistites  
 Vt in equitatis acrius pergant via  
 Vel iniquitatis deserant citius viam.*

Opera ab Au-  
 tore olim  
 edita.

Den sacli-  
 ghen Cruys-  
 w ecch.

Die saelighe  
 eeuwicheyd  
 door de H.  
 Maeghet en-  
 de Marteleric  
 Barbara.

Paracletus  
 Misericordiae.

Sacer The-  
 saurus Ser-  
 vatianus.

Quin ipsa quā fugisse dudum dicitur  
Mortalium gentem perosa, calicis  
Themis redibit sedibus, legum novo  
Vigore solatura tam longam fugam.  
Hoc scilicet quod pollicita de te fuit  
Inventa jam tum prima, BOUWENI spei  
Non usitata plena: dum socium cohors  
Qua te coeva habuit, ducem haud minus suum  
Stupuit, amœna seu per Aonidum juga  
Gradus ferendi, tesqua seu per aspera  
Studii severioris. Ex quibus velut  
Tibi tunc honorum multiplex fructus fuit.  
Nec una laurus: ita deinde publica  
Ea consecrasti, & adhuc sacras re, stylo,  
Vivaq; vocis, consillq; oraculis.  
Maacte ergo! tantis vir colende dotibus  
Maacte? & mereri perge sic de omnibus:  
Vnum mereri premia hoc erit omnium.

GUILTYELMUS FELDANUS  
Eloquentiæ Professor ordinarius.  
ad D. Servatium.

## AD AMICVM LECTOREM.

**A**Liorum studia ut moverentur, qui majori eruditione, ingenio & usu rerum instructi hoc operis argumentum luculentiùs pertractare & adimplere possint, zelóque Iustitiæ motus incepti hunc tractatum viribus licèt meis majorem: quippè tam compositionis impressiois tempore semper valetudinarius fui, uti adhuc sum: quæ mea indispositio, quo minùs typis præesse, variáque alia non potuerim quæ voluisssem aut debuisssem, causam non parvam dedit; Vnde rogo te, *Benevole Lector*, ut si quæ per me imperitè, confusè, aut ineleganter scripta reperias, digneris benignè suscipere, defectuosa supplere, errata corrigere, insipida condire, hosque meos labores protegere, & illis perfrui feliciter. Vale, & æternùm vive.

## INDEX

# INDEX CAPITVM.

## LIBER PRIMVS.

### CAPUT PRIMUM.

**D**E Foro ac Curia Iudiciali & Luctuosa ejus frequentatione. fol. 1

### CAPUT II.

De litigantibus & litium incommodis ac fuga. 12

### CAPUT III.

Quàm arduum & tremendum sit munus iudiciale. 41

### CAPUT IV.

Quæ sint in sentiendo Iudicis partes, & quomodo iudicandum. 51

### CAPUT V.

Causa & non persona in iudicio est attendenda. 66

### CAPUT VI.

De precipitantia & protractione in determinandis causis & ordine iudiciali. 82

### CAPUT VII.

Iudicia non vendenda, nec ambientes ad illa admit-  
tendi. 104

### CAPUT VIII.

De peritia, probitate, pietate, etate, aliisque virtutibus & qualitatibus in iudice requisitis. 131

CAPVT

CAPUT IX.

*De Iudicium severitate & clementia.* 167

CAPUT X.

*De Iudice forti.* 192

CAPUT XI.

*De Iudice temperante.* 213

CAPUT XII.

*De Iudice prudentes & sagaci.* 230

CAPUT XIII.

*De Iudice justo.* 245

CAPUT XIV.

*De integritate & incorruptibilitate iudicis.* 273

CAPUT XV.

*De Procuratoribus.* 300

LIBER SECVNDVS.

CAPUT PRIMUM.

*De Scribis & Secretariis, & eorum dignitatibus & præminentis.* 307

CAPUT II.

*De Advocatorum & Iurisconsultorum industria honore & prerogativis.* 319

CAPVT III.

*De necessaria Advocatorum & Causidicorum Iurisperitia, indole, virtute & gradu.* 342

CAPVT

CAPUT IV.

*In Veritate & Sinceritate causa instruenda ; cavendum Causidico ab omni dolo, fraude convicio & calumnia.* 358

CAPUT V.

*Lites ab Advocatis abbrevianda, & omnis verbositas, inutilis cavillatio ac prolixitas cavenda.* 386

CAPUT VI.

*Omnis Causidicus & Iustitiæ Administrator sit justus, & non nisi justa agens & defendens.* 397

CAPUT VII.

*De moderamine in salario, & integritate Advocati ab omni corruptela.* 406

CAPUT VIII.

*De Fide & Regione Togatorum.* 434

CAPUT IX.

*De loco specialiter in cœlesti Paradiso pro justitiæ cultoribus constituto : & quomodo Advocati & Iudices, non unus tantum, sed plurimorum Lurisperitorum Sanctorum in Cœlis jam existentium, numero ac Cœtui adscribendi veniant.* 442

Ni Struis, Ruis!

5

IVRIS IVSTITIÆQVE  
VSVS ET ABVSVS  
DEMONSTRATI

PER  
ANDRÆAM BOVVENS  
I. C. MOSÆ-TRAIECTINUM.

---

LIBER PRIMVS.  
CAPUT PRIMUM.

*De Foro ac Curia judiciali & de luctuosa ejus  
-conversazione.*



ORVM contentionibus vacare tum insinua-  
bat Plato, quando Rempublicam volebat, in  
qua omnes res inter omnes essent communes,  
commune omnium rerum Dominium, cœmunis  
inter omnes rerum usus, ac tanquam dissentio-  
num sublatâ causâ, processus & litigia quoque  
cessarent: Sed præterquam quòd talis Respublica  
quidem fingi possit, non autem constitui, reme-  
dium præstantissimum omnium controversiarum ac litium datur  
IVSTITIA, quæ pax est populorum, tutamen Patriæ, immunitas  
plèbis, munimentum gentium, cura languorũ, gaudium hominum,  
serenitas maris, terræ fœcunditas, solatium pauperum, hæreditas fi-  
liorum,

A



liorum, & illam colenti spes futuræ beatitudinis. <sup>a</sup> Cùm autem hanc nosse, & illam linguâ ac *Verbo* dumtaxat profiteri non sufficiat, sed *Opere & Veritate* exerceri debeat, atque in praxim actumque deduci. (Etenim in actione magis quàm in sola cognitione *Iuris* sciëntia consistit: neque *Audiores legis iusti sunt apud Deum, sed factores legis iustificabuntur*, ait S. Paulus ad Rom. 2. & Diogenes Oratores carpere solebat, qui studerent iusta dicere; sed eadem facere negligenter) Proinde accedamus ad *CURIAM*, & videamus, An ibidem vireat & vigeat *IUSTITIA*, quomodo exercitetur, & quos ibi habeat inquilinos ac ministros. An non ibidem à potentibus supprimatur, ab ignorantibus adumbretur; à pravis causidicis ac litigatoribus dilaceretur, & à corruptis Iudicibus exulare cogatur?

*INVOCATO* igitur *NOMINE DOMINI NOSTRI IESU CHRISTI*, <sup>b</sup> à *Foro* Incipiamus.

*PRVS II.* Pontifex Max. litium fuit & contentionum omnium, quibus charitas mutua dirumpitur, hostis acerrimus; & idè eundem de illis non rarè jocatum fuisse auctor est Platina, dicendo, *Forum esse Aream; Litigatores esse Aves; Iudicium Rete; & Aucupes Patronos.*

*Area* ergò, uti *Forum*, est exercendarum litium locus, à fando dictus. Dicitur etiam *Forum* idem quod *Tribunal*, idemque appellatur *Prætorium*. Nos & pro *Curia* ponimus *Judiciali*, quæ ubi rectè atque ordine est constituta, tamquàm in universum & ad perpendicularum æqua Legum & æquitatis Interpres & administra; ejusque classium ductores ad perpendicularum recti, & ad normam exacti, *Castellum* esse debent Iustitiæ, per fugium asylumque non eorum tantùm, qui vi & armis spoliantur, sed qui compilantur forensi grassaturâ, qui que ob inopiam jus suum consequi à potentioribus non possunt, aut injuriâ affecti reparationem intentare nequeunt. Vndè *Solon* tabularum legalium auctor illustrissimus, inter alias multas leges commendabiles, hanc quoque civilis charitatis condidit, id est, *philanthropiæ*, quæ societatis humanæ glutinum est tenacissimum. Scilicet si quis civis pulsatus esset à cive, aut damno ac pauperie affectus, qui sibi satis adesse, vel ob inopiam non posset, vel ob ejus potentiam, à quo vapulaverat, aut damno affectus erat, ut cuique civi liceret eo nomi-

ne

<sup>a</sup> S. Cypr. de 12. abusio.

<sup>b</sup> Lib. 12. C. de Offic. præf. Præt. Afr.

ne deferre hominem injuriæ authorem, judicioque persequi. <sup>a</sup> Apud Ægyptios, si quis iter faciens, aut homines à latronibus cædi comperiret, aut quamlibet injuriam perpeti, neque subveniret auxilio, si posset, mortis erat reus: si auxilium ferre non posset, Lege adigebatur, ut accusaret latrones coram Curia aut Magistratu; qui hoc negligeret, plagis ad certum numerum plectebatur, triduóque carebat cibo. <sup>b</sup> Quin imò prætor olim iis Advocatum dabat qui vel suâ inopiâ, vel ambitu, vel potentiâ adversarii, ultrò neminem inveniebant: quo exemplo hodiéque alicubi certus est publico officio & stipendio inopum causis destinatus Patronus: nam cum Juris & Iudiciorum æqualitas idè vel maximè sit inventa ne tenuiores humilioresque potentioribus impunè obnoxii sint; *Nihil aqutatis magis est contrarium, quàm à præsidio Juris paupertate quempiam arceri.* <sup>c</sup>

Forum ergò æquitatis Juridicæ promptuarium, apertum esse debet supplici innocentie atque simplicitati. Fuit enim in hominum opinione jam olim fixum, prudentiæ Juridicæ sacrarium in curiæ foro comitioque situm esse, æquique ac boni tamquam plenum: Et sicut Juridicæ severitatis majestatem concessus specie ac decretorum gravitate sustinet Curia; ita decus columenque IVS IITIE sedentis in foro. Verùm temporum conversione & hominum ambitione factum est, ut quod promptuarium erat Iustitiæ, unicuique suum tribuentis, conditorium esse penetratius cœperit, aditusque angustioris & stipatoris, quàm ut destitutæ simplicitati eò penetrare facilè sit, & expeditum anceps, admissioni quæ obstat præest ambitus, institutor gratiæ Forensis, simplicitati parùm familiaris, affinisque versutiæ.

Solent autem qui intrant hoc forum, ad primos actus litium tam hilares ingredi, quasi *Beneventum venerint*, qui in litium catastrophis quasi *Maleventi* negotiati, tristes & vultuosi domum redeunt. Spes enim rerum judicio controversarum benigna pollicitatrix, malignè plerumque defendit quod promissit, etiamsi repromissores dederit homines usus forensis peritissimos. Ut enim in summum victor abeas, tamen multum sortis decoquunt alimenta controversiæ; &, ut ita dicam, versura multiplex in foro facienda, iis maximè,

A 2

qui

<sup>a</sup> Rudæus in forens.

<sup>b</sup> Decatus. lib. 2. c. 2.

<sup>c</sup> Vasques illustr. Controv. lib. 1. c. 41. Tuld. lib. 1. de Corr. Jud. c. 12.

qui in multo ære suo sunt; ac interdum causa, quæ in procinctu multò infirmior videbatur, Marte nec opinato verso, ad extremum victrix evadit. Atque ita tyrocinium litigandi magnâ mercede faciunt, rerum forensium rudimentum magno dispendio promunt, & carè in foro emunt litigandi experimentum.

Fuit homolitium aliquando insolens, quem cum pacatæ vitæ, resque familiaris mediocriter compositæ pœniteret, Peripatericæ illi quidem disciplinæ in foro ac Curia operam dare concupivit, libensque ac gestiens fecit, ut Iuri experiundo rationes vitæ suæ compararet; sed magnâ mercede litigandi, tyrocinium se fecisse seriùs paulò sensit, & conturbatâ jam ratione atque ita perplexa, ut resipiscendi locus non esset. \*

Quippe è foro judiciali, vel è conciliabulo forensi pauci re, fortunis, hilaritate auctiores demùm redeunt; sed antequam eo uti didicerint, sæpè cum dispendio è nundinis istis abeunt, in quibus non IVS tantùm, sed etiam INIVRIA redimenda est, qui jus suum servare velit.

Liticula litii agnascitur: & litigii sinuosi multiplici radice intra ambitum fori confibrati, difficile est stirpitùs reliquias elidere, ne subnascantur stolones, stirpem litis facturi, qui post unam alteramque & multas sententias, arrestaque Curia, pullulos sæpè emittunt, nodosamque sobolem. Hic invenies monitores & suggestores posticos, quos Budæus dicit *Jus & formulas patronis agentibus suggerere solere*; unde & vocati *Formularii*, ac *Legulei*, quia adinveniant certas formulas, quas ipsi suis cyfris & notis describebant, sicut faciunt medici sua *RECIPE*; ne ullus illas posset legere & intelligere, quàm qui ejusdem essent officinæ: & nihilominus consecuti erant illum favorem & gratiam apud Iudices, ut is qui erraret in una syllaba, caderet causâ; unde Cicero illos vocat *Aucupes syllabarum*.

In hac Curia saltare orchestra contentionis & discordiæ, quibusdam jucundum est, quibusdam permolestum. Imò verò tranquillitatis cupidus mortis instar est in litium mazandris consenescere, & nunc porrò, nunc retrò vela facere, à ripa nunc propè nunc longissimè abesse. Nunc danda sunt vela, dum fit flatus; & præsertim fa-

vonio

\* Bud. 1. in Forens.

vonio spirante, dum à puppi ventus aspirat: nunc in altum longius ablati expansa fiducia vela contrahere coguntur, inhibereque remos; cum auram aliquam sibi adversam excitatam esse senserunt: ac dum se in vado fori versari existimant, sensim in gurgitem rapiuntur, sideratamque suam esse causam ac à Consultis conclamatam reperiunt: quæ sideratio, uti repentinus est causæ morbus, præter expectationem evenire solet, quasi à vento aliquo fori noxio. Eluctandæ, emungendæ interim manus turbæ Pragmaticorum, emunctricis advenarum, & præsertim mucidorum, qui rerum forensium tyrocinium nondum fecerunt. \*

Id iniquè comparatum est, quòd homines litium fugitantes, & cum homine improbo negotium habètes, salutem foro dicere nequeunt. Quippè qui si lites diuturnas, quas solvere nequeunt, abrumpere impetu animi institerint, versuram ilicò facere se intelligent, altiùs luto negociorum hæzere: unde fit, ut his lite quasi umbone propulsanda sit, ac sic subductam navem iterum deducere necesse sit, iterumque & sæpiùs jactari iisdem fluctibus, æstibusque forensibus, iterum in harpyas forenses incidere, labores hominum laborantes. Non enim adirus hodie Iudiciorum obsepti sunt: sed exitus & intricati progressus.

Si in inchoandis litibus in mentem veniret hominibus, calculos hinc inde ponere, minùs turbarum esset in FORO: nam quoto cuique in exitu fori ea ratio constat, quam ingrediens iniit? Sed dantur vela dolori ob injuriam orto, dantur existimationi, ne cessisse videamur improbè lacessenti.

Tum aurâ quadam spei sinus cursus forensis implentur, fallacis sæpè numero ac decoctricis: nihilominus cautiùs adhuc navigarent, si subiret, in FORO non minus alex quàm in sphæristerio esse: quod enim in ludicro potest artificium, hoc in foro jus superius, Jurisque experiundi ratio; tamen ut illic sphærx antitypia non respondens quodam loco minimè refractario, sphæristen suspensâ manu stupentem destituit: sic eventus in FORO nonnumquam nec Iuri, nec industriæ, nec Consultis peritorum congruit. Et cum summæ rei discrimen in disceptationucula vertitur, ac liticulæ iudicium sæpè

præjudicium est univērsæ controversiæ, factâque sentitur alea in alveo parùm commodo & opportuno.

Vnde non immeritò dictus *Budaus* deplorat eum, cui negotia multa sunt cum assiduo FORI comite, & propemodum alumno, Appianæ pervicaciæ Litigatore, fimbriantæ improbitatis adversario, qui conditiones nec ferre nec accipere obstinavit, nisi in suas leges prorsus: is si litigandi tædium ferre molestiâque non possit, aut sedibus cedat necesse est ære mutatis, aut animum despondeat, aut fortunam suam deploret, & se traducendum gaudio triumphanti adversario præbeat. Heu miseram vitæ sortem! iis præsertim, qui quietis & tranquillitatis amantes indigentesque, antipathiam esse sciunt Philosophiæ cum FORI observantia duram atque acerbam. Quid si intra orbem litium conclusus erumpere inde sine jactura magna (age, mitto jacturam facultatum) Quid si sine fugillatione nequeas? Quid verò rursus, si cum hydra sophistria negotium peragas, nec Iolaum habeas adiutorem? O verè miserum! cum hic tanta invenitur litium multitudo & diuturnitas, Sententiarum varietas & incertitudo: neque tamen ista tam corruptelæ sunt, quàm earum signa, si vel unde ipsi, vel quæ inde oriuntur æstimes: immensa enim illa litium series unde, nisi à perfidia & calumnia? immortalitas verò controversiarum, & quam originem habet, nisi fraudem & tergiversationes? denique sententiarum inconstantia quid aliud clamat quàm iniquitatem, & totius perturbationem Iuris? sed & singula quid arguunt, nisi imperitiam cum insigni conjunctam impostura? Neque enim dolo caret illorum ignorantia, qui id affectant cui non sufficiunt: quid autem gignit numerosa litium seges, nisi licentiam, temeritatem, impudentiam, & perfidiam, dum in Iudiciis tanquam in portum impunè confugiunt, atque ultro provocant ii, qui tanquam scopulos abhorrere deberent, si Iustitiæ majestas vigeret? Nimirum ab ipsa libertate legum, occasio manat tergiversationis; ipso cultu Iuris calliditas acuitur in fraudes & circumventiones: huc accedit sumptuum immensorum necessitas, ut iudicia quæ pari jure infimos cum summis æquare deberent, jam dudum tenuiores, à persequendo jure suo vel vindicanda injuria summo-

summoverint: accedunt rædia & molestiæ dum iudicia indignè afflicti, ultrò, atque etiam pœnis mulctant, in quorum prælidium atque solatium repressa sunt: ut non sit tanti vicisse, ut tolerabilior sit injuria, quàm iudicium; ut satiùs sit opprimi quàm vindicari: An aliter olim fuit, dicit nobis Seneca lib. 2. de Tranquill. *Forum & Curiam, loca exercendis in publico vitiis destinata, appellare ausus est: & lib. 2. de Ira, cap. 7. Hæc tot millia, inquit, prima luce ad forum properantia quàm turpes lites, quanto turpiores Advocatos habent? alius iudicia patris accusat, quæ mereri satius fuit; alius cum matre consistit; alius delatione venit eius criminis, cuius manifestior reus est, & Judex, damnaturus quæ fecit eligitur. Si ut homines, ita causam quoque unamquamque, & litem examines unde orta, unde profecta sit; invenies aliam à contumaci ira, aliam à furioso contendendi studio, aliam ab iniusta cupiditate originem traxisse; Senec. in lib. utrū animi corpus morb. gravior cap. ult. negat autem Diod. Tuld. lib. 1. de Iud. Corrupt. ullo sæculo tantam litium segetem, tantam calumniæ luxuriam fuisse; negat alio ævo tot trices involutam, tot ambagibus circumductam cognitionem Iudicis fuisse; corruptelarum licentiam & prostitutam in fas & nefas causidicinam & quæstuariæ eloquentiæ fraudes; uno verbo Iuris & Iudiciorum turbulentum quoddam chaos, proprium huius ævi crimen affirmat. Tuld. c. 2. 3. & 4.*

Neque dum denotantur Iudiciorum labe, ac multorum Iudicum nœvi, corruptiones multæ, falsæ interpretationes, procrastinationes, intolerabiles oppressiones, aliæque curiarum monstra, non illa mala legum esse dicimus, sed hominum; non curiarum, sed Avaritiæ: Quare carere AVLA, FORO, CVRIA, vacatio est quidem illa Philosophica, atque inter primas dicenda; sed non tam commendabilis quàm expetenda, quippè quæ felicitatis sit potiùs quàm cõsili. Est enim summa miseria, ad pistrinum forense integram aliquando ztatem conterere, in qua tamen, homines naturâ controversi, pabulum animi quærunt, & sola fori pericula tentare gaudent,

*Vincant seu perdant, alea iacta placet.*

è litibus lites serunt, nullam inde messem nisi laborum, molestiarum, dispendiorum faciunt.

ARS

\* Joannes Casus hb. 4. cap. 16. in sph. Civitatis.

Ars etiam sua stratagematica est in hac area, & in hoc foro rem gerentibus, ut in campo, & forensis disciplinæ alumni arma sua, copiasque decretorias, intempestivè & præproperè ostentare non solent; id quod si fiat, adversarius utique meditatio accurrit & instructior. Tela igitur adversariam causam altiùs sauciatura, quàm fieri potest, obscurissimè diltringunt ut improvisa accidant, nec tam improvisa quàm periculosa: quot enim pericula non fugit iustitia?

In summa reperitur in Curia, in Foro, neglectus legum, Patronus prævaricator, Iudex venalis, auceps temporum palpatura, & auræ popularis stulta voluptas; quæ omnia quia doctissimè describit S. Cyprianus, eius verba subiungam, dum dicit: *Forum videtur fortasse immune, quod ab iniuriis laceissentibus liberum nullis malorum contractibus polluat? Illuc aciem tuam serte, plura illic quæ detesteris, invenies, magis oculos tuos inde divertes. Incisæ licet sint leges duodecim Tabulis, & publico ære præfixo Iura præscripta sint: Inter leges ipsas delinquitur, inter Jura peccatur: innocentia nec illic, ubi defenditur, reservatur: sævit invicem discordantium rabies, & inter togas, pace ruptâ, forum litibus mugit insanum, hasta illic & gladius & carnifex præsto est, ungula effodiens equuleus extendens, ignis exurens, ad hominis corpus unum supplicia plura quàm membra sunt. Quis inter hæc verò subveniat? Patronus? sed prævaricator & decipit: Judex? sed sententiam vendit. Qui sedet crimina vindicaturus, admittit; & ut reus innocens pereat, fit nocens Judex. Hic testamentum subiicit, illud falsum capitali fraude conscribit: hic arcentur hæreditatibus liberi; illic bonis donantur alieni. Inimicus insinuat, calumniator impugnat, testis infamat; utrobique grassatur in mendacium prostituta vocis venalis audacia: cum interim nocentes necdum innocentibus pereunt. Nullus de legibus metus est: de Quæsitore, de Judice, pavor nullus. Quod potest redimi non timetur: esse iam inter nocentes innoxium crimen est: malos quisquis non imitatur, offendit. Consensere iura peccatis, & cæpit esse licitum quod publicum est. Quis illic rerum pudor? Quæ esse potest integritas, ubi qui damnent improbos, desunt?*

*Malorum blandientium virus occultum est, & arridentis nequitia facies quidem lata, sed calamitatis abstrusa. Illecebrosa fallacia, instar veneni,*

*veneni, ubi in lethales succos aulceum aspersa, calliditate fallent. li, sapore medicato, poculum videtur esse quod sumitur; ubi epota res est, permissus hausta grassatur.*

*Horum utriusque videas exitus turpes. Cum anceps temporum palpator abcesserit, cum privati latus nudum aescula sedaverit, tunc lacerata domus plagæ conscientiam ferunt, tunc rei familiaris exhausta damna cognoscuntur, quibus redemptus favor vulgi, & caducis atque inanibus votis popularis aura quaesita est.*

Numquid tali foro applicari possent, quæ partim habentur apud dictum Cyprianum in term. de Iejun. [Quod muniatur vitijs, ambigat flagitijs: eius thelonarij sint pauperum oppressores, tribuni seductores, præfecti Iudiciorum perversores, quæstuum aduncatores, nummularii doctores, conductitii defensores, linguæ subdola: vel consilii locatores, venales auxiliarij, bilingues caudidici, concinnatores mendacij, vestiti mollibus, amicti discoloribus, & capillis mulieribus se in feminas transfigurantes, & dignitatem vilem, non sine naturæ injuria, dehonestantes.]

Vnde post plura priori loco idem Cyprian. sanctam hanc admonitionem sub finem adiungit, his verbis:

*Vna igitur placida & fida tranquillitas, una solida & firma & perpetua securitas, si quis ab his inquietantis sæculi turbinibus extractus salutaris portus statione fundatus, ad cælum oculos tollit e terris, & quicquid apud cæteros in rebus humanis sublime ac magnum videtur, intra suam conscientiam jacere gloriatur.*

*Curia dat curas, non sit tibi Curia cura:*

*Si Curiam Curas, faciet tibi Curia Curas:*

*Vivit securè, cui non est Curia Cura.*

Monebat plutarchus, ad aulas ac ad *CVRIAM* accedendum, velut ad ignem: neque propius, ne uraris; neque remotius, ne affligaris: *Greg. Rublerus* in Axiom. Polit.

Brixiz in Palatio Iudicis hi versus habentur:

*Hic locus Odit, Amat, Punit, Conseruat, Honorat*

*Nequitiam, Pacem, Crimina, Iura, Probos.*

Horum muricibus sterni, quidam, non malè optarunt, ne te-



## RO IURIS IUSTITIÆQUE

merè in illud litigantes profiliant, sed necessitate dumtaxat compulsi, & qui desiderant mox expediri :

In foro etiam judiciali pro criminoforū custodia, carceres esse debent : nulli tamen sint subterranei, vel hypogea, ne loci corruptio, fœtor, bufones, serpêtes, carceratis officiât; est enim id non custodire, sed necare: advigilandūque ne cōmentarienses negligenter aut crudeliter inclusos habeant *l. 1. de cust. reorum.* esse etiam debent in foro pro iudicium, dignitate, sellæ, subsellia. vel tribunalia publica saltem, atque aperta, dum causa noscitur & iudicatur; nam sententiam in secreto latam statuit irritam *Lex cum sentent. 6. C. de Sentent. & null. loc. a*

Neque prætercundum, est quod pulchrè discuit *Ioannes Casus* b scilicet in forensi Iudicio non tantūm de magnis contentionibus. sed & de minimis cognoscendum, constituendâque tribunalia : nam sicut minus periculosa infirmitates corporis eò possunt accrescere ut vitam tollant; ita leves controversiæ civium eò possunt perumpere ut lucem civitatis penitus extinguant. Quare ut pro illis cura, pro his Curia assignanda est, in qua litigantes iudicium & quietem habeant.

Præterea quæ tandem æqualitas, quæ rerum proportio? si res parvæ ac lites pauperum iudicis voce non tollantur? Iustitiæ enim forum non solūm Cræso, sed etiam Iro patet.

Politia enim non est undique perfecta, in qua vel minima injuriarum vulnera non sanantur: Nam ut corpus non est sanum. in quo fibræ infirmitatum hærent, ita Respublica non est tuta in qua scintillulæ contentionum ardent.

Sunt ergo statuenda iudiciorum subsellia, in quibus istiusmodi causæ audiantur: absurdum etenim est, ut omnes litigantium actus in theatro summi Tribunalis aut magistratu senatūve agerentur; expedit ergo alias curias auctoritate publica approbare, ut sicut ex illis viris illustribus, ita ex his mediocribus & infimis eloquatur Iustitia:

Et si optandum quidem esset ut de umbra fugacis fortunæ, aut lana caprina inter se non certarent litigantes; cūm tamen musca suam.

suam bilem, & pauper suum splenem habeat, necessarium est in florente civitatis statu, ut tumores isti, Iudicum prudentiâ, veluti medicinâ quâdam leniantur. Nam aliter iræ facibus accensi, ardentés quasi febres in ciuitate gignunt: minimæ lites ergo & controversiæ minimæ forum ac iudicem ubique in ciuitate flagitant; quorum defectu & abusu permultæ urbes & gentes in cineribus obrutæ & sepultæ jacent: Nam quæ causa maioris mali est, quàm licentia mali? quæ sanè tum tumet cum absque iudice & censura vivunt.

Cùm autem pax soror sit justitiæ, loca in foro judiciali reperiri non foret incongruüm, ubi de pace inter litigantes componenda tractaretur: *Conuenit enim bono ac graui Præsidi curare ut pacata ac quieta sit provincia quam regit,* <sup>a</sup> Iudicique tranquillitatē & concordiam amare. non ut partes ad paciscendum cogantur, sed suadeantur: neque enim licet nimio metu partem sternere, aut nimia fiducia inflare: iudex quippe differens Ius dicere, ut partes tædio affectæ conueniant, tenetur ad id quod interest, *iuxta Card. in Clem. Sepè in §. & quia in is. quæst. de verb. signif.* sed utendo officio viri boni, inter dissidentes turbatam pacem reducere quis vetat tentare, utrisque dubios litium successus, ambages, molestias, sumptus, rancores, cæterâque incommoda proponendo, utrisque aliquid de Iure suo cedere suadendo, ut non quidquid petit actor obtineat, neque nihil reus quo lite defungatur, tribuat: quidquid enim illud est quod nos ad pacis veræ studium & charitatis perfectionem provocat, totis viribus sectandum est. <sup>b</sup> Rogandus proinde Deus Opt. Max. ut in Iudiciis veritas sine errore, in Iudicibus æquitas sine animi cæcitate luceat, & in foro *Iusticia & Pax sese osculentur.*

<sup>a</sup> Lib. 13. §. de Off. Præs.

<sup>b</sup> Zyp. in Jud. lib. 1. c. 26.

## CAPUT II.

*De litigantibus, & litium incommoditate  
ac fuga.*

**A**REAM vidimus: nunc de AVIBVS ibidem volantibus, ALITIGATORIVS scilicet ac litibus agendum. Et quamvis litigare in iudicio secundum se non sit malum, licet sit à malo, & ideo nulli prohibitum, nisi Christianis, nec ipsis etiam illicitum simpliciter, sed coram Iudice infideli, iuxta Apost. I. Corinth. 6. *Audet aliquis vestrum, habens negotium adversus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos*: nam tunc debet potius perdere causam, quam litigare coram Iudice prædicto. <sup>a</sup> Admonentur etiam non perfecti tantum, sed etiam imperfecti, ut supercedeant à contentione & strepitu iudiciali. Cur ita, inquis? Ideo quia non omnibus expedit talis contentio, tum propter honestatem; *honor est enim homini, qui se separat à contentione*: tum propter pacis conservationem; [omne enim Iudicium irritatio cordis est.] <sup>b</sup>

Ad peccatorum vitationem difficile est rem dimittere, sed difficilius est de iudicio sine peccato exire; <sup>c</sup> & in vno modio litis vix est vna vola charitatis, quæ etiam non quærit quæ sua sunt. si ergo non quærit propria, quantum peccat qui concupiscit aliena? Etiam propter Confidicorum quorundam, Procuratorum & Iudicum impiorum malignitatem, de quibus psal. *Totâ die iniustitiam cogitavit lingua tua, sicut nonacula acuta*: Radunt enim linguæ suis apices de litteris & instrumentis loquentes & scribentes: eradunt denique pecunias vsque ad cutem; & quamdiu sperant aliquid abrasum iri, tamdiu causas prolongant.

Præter etiam pacis detrimentum, in causarum controversijs, capitales sepè inimicitiz oriuntur. Fit amissio expensarum, labor annuus exercetur, corpus quotidie fatigatur, multa & inhonesta.

<sup>a</sup> Tostat. in Matth. tom. 2.<sup>b</sup> Teste S. Joan. Chrysof.<sup>c</sup> S. Chrysof.

nesta crimina inde consequuntur, bona & vitia postponuntur. Et bene Lipsius cap. 10. in Polit. exempl. Ecce ubi lites, nonne discordia? nonne odia, iniuriæ, & sæpè cædes? Nunc ubi sumus, vna aliqua lis Metonis annum tenet, fit inuolucris legum, fit foribus advocantium, & comperendinationes istæ ad quæstum & lucellum eunt. Quid iam in ipsis litigantibus? sæpè impostura aut improbitas: *neque enim bona conscientia, sed victoria, litigantis est præmium*, ait Celsus. Et quæ, quæso, tam clara causa est quæ non aliquâ lege, imò interpretatione obscuratur? quæ tam improba, cui non detur color? ars enim facta est causidicina, & peritè captare, aut capere, laudem habet.

Quæ non duplicitates, artificia, quæ non verba & fortè mendacia, quæ non parvulæ injustitiæ & suaues detectæ, & imperceptibiles calumniæ applicantur in hac litium deductione?

Quid si tibi cum improbo litigatore, cum Athleta veteratore, forense certamen sit ineundum; si cum versipelle, qui nunc hanc personam, nunc illam induit, qui novam qualitatem suscipit? Non antè ad catastrophæ fabulæ forensis evades, quàm omnes ærumnas prolationum, omnes frustrationum molestias, omnia tergiversationum exclusæ perugia, omnia causificationum commenta exhauleris.

Sed nec tum adhuc evaseris, neque è litium luto emerges: dū enim in una qualitate adversarius victus erit, ad aliam citò transibit; & sæpè unam litem ubi eluctatus fueris, statim in plures incurres, & post unum aut alterum arrestum, adhuc principalis controversiæ accessionibus te implicabit. Quippe res iudicatæ, ut videmus, sæpenumerò alias atque alias lites pariunt: versuram licèt solvant ij, qui huiusmodi commentis calumiosis in voraginem tandem incidunt impendiorum & æstimatarum litium. *Bud. in Forens.*

Pervicaces quique Litigatores, & quasi fori alumni è foro adversâ sententia, & multæ adjectione explosi & eiectioni, tamen per posticum sæpenumerò, & quâ minimè suspiciosum erat, revertuntur, & postliminio redeunt lites, dum post iudicium novo impetrato diplomate iterum cognoscuntur, & ferialia iura violantes

lantes rem decisam rursus prosequuntur.

Alij sunt non minus detestandi, qui cum possint sua solvere, tamen detrectant, & litibus ita reprimunt, donec Actorem tædeat, & plura, quàm sit principale debitum, expenderit, procrastinantes dolos meditantur, quibus bonum civem aut colonum impediunt ne creditum probare valeat, putantes se tum in conscientia securos, quando in probatione defecerit agens: sed errant prorsus: non enim hic defectus probationis excusat te à peccato, & licet Iudici non constet, tu & Deus iniquitatem novistis.

Aliqui, licet illis probetur debitum clare que constet, non satisfaciunt nisi expensis iustitiæ: sunt quæ tam faciles in contrahendo ære alieno, ut non cogitent restituere: sed de alienis viventes creditores suos, diverso modo eludant nisi per infamiam aut alias poenas corrigantur: unde Corbis ignominia apud Boëtium Iustitia erat in eos qui æs alienum non dissolverent: ducebatur enim per forû federæque iubebatur, ac super sedentem Corbem injiciebant, & hac notatus ignominia, infamis habebatur. <sup>a</sup> Apud Thyrenos si quis æs alienum, quod conflagraverat, non persolvebat, sequebantur eum pueri vacuum portantes marsupium, ignominia causa: <sup>b</sup>

Castrucius Castracanus, Lucensium Dominus, cum sciret Mensarium prædivitem, vertisse solum, nec multo post parva pecuniâ cum creditoribus pactâ mensam repetiisse, atque magnificas ædes ædificasse, eum in vincula coniecit, vocatisque edicto creditoribus pro tota summa satisfieri iussit, & quod ultra mensario superfuit, in publicum redegit: appenso autem mensario juxta mensam, in qua aduersus eos, qui ejus fidem secuti erant fraus commissa erat, cervices fregit: neque enim minùs supplicio dignum est arbitratus, quàm illos qui in viatores grassantur. siquidem fallaces mensarum fraude eos circumveniunt, qui eorum fide ducti pecuniam suam mensæ crediderunt: at grassatores non sine vitæ discrimine dispoliare illos nituntur, qui nullam eis fidem habent.

Quod si hac severitate in nostri temporis mercatores ac debitores animadverteretur, quanquam fortasse carnifices supplicio non sufficerent,

<sup>a</sup> Stob. Serm. 42.

<sup>b</sup> Heraclides in Politicis.

sufficerent, rapacium tamen hominum scelus compesceretur ac boni creditores ac mercatores, Iustique homines negotiationes tutius suas, ac majori urbium commodo & honore tractarent: sicuti nunc contrà cum dedecore atque jaclura multorum fortunas euerti videmus. <sup>a</sup>

*Ut non contendas cum viro locuplete, docet Sacra Scriptura, ne forte contra te constituat litem; & non litiges cum homine potente, ne forte incidas in manus illius.* <sup>b</sup>

Hinc & Iura nostra non tantùm prohibent potentioribus patrocinium litigantibus præstare, vel actiones in se transferre, postulando vel procurando intercessionibus, cessionibus, litteris commendatitiis, ut iudiciaræ lites proprio Marte decurrant, quàm alienis opibus atque copiis nitantur, vel potius corrumpantur, ipsique potentiores; qui talequid committunt arbitrariè causâ cognitâ puniantur; sed & volunt, ut damno litis & causâ cadant, qui vel cedunt potentioribus lites redemptoribus actiones suas, in verbis *si cuiuscumque modi actiones ad potentiorum fuerint delatae personas, debiti creditores iacturâ multentur. Aperta enim credentium videtur esse voracitas, qui alios actionum suarum redimant exactores.* <sup>c</sup>

Quid si tibi negotium sit cum homine ingenio controuerso, vel suapte vi, vel necessariorum & propinquorum abundanti, vel nimium gratioso, non lepore, non morum concinnitate, sed persuasibilioris gratiæ, imperio Iurisque commendationis; quam expectabis in eo fidem? Quam religionem? Addet nobis Budæus, dum dicit.

Novi, inquit, hominem mihi summâ familiaritate omniq̃ officio conjunctum, cui certamen fuit cum Ulyssè forensi, cum Autolijco vicino, cum Roscio Iudicum salutatore, cum Æsopo quæritatore; ad hæc hominū permultorum studiis in omni pœnè foro gratioso: quem hominem cum ipsi, ob ingenium quoquo versus versatile versutumque demiraremur, nonnihil etiam vel inuiti amaremus, ob Vertumni faciem, ob gestuum, vultuum, verborum elegantiam scenâ dignam: sed in eo nihil desiderabamus,

<sup>a</sup> Fulgen. lib. 6. c. 3.

<sup>b</sup> Eccles. 3.

<sup>c</sup> L. 1. & 2. cap. Ne liceat potentiorib

mus, præter fidem, religionem, & iuriturandi reverentiam. & quamvis iudiciorum formulis, fori decipulis, litigatorum calumnijs homines nudimè malos, atque etiam candidæ mentis, litium fugitantes, forense paltrinum grauatè versantes, cum grandi patrimonij noxa nonnunquam captos esse videamus: pauci tamen seu vincant seu vincantur è foro memorabiliter ditiores redire videmus, neque illis victoria prodesse videtur.

Refertur ad hoc propositum, quod Phileticho cuidam, in patrimonio auto acquiescenti, litium in primis fugitanti & metuenti, negotium primum aspernabile, deinde alias res agenti, & tanquam parvæ rei securo, multiplex repente esse cœpit, & penè capitale, cum Sesculylle vicino adventitio, qui ius ex iniuria facere cùm instituisset augendi hæredioli sui gratiâ, cum supplantatione simplicitatis, cum palestrico forensi, cum plano basilicano, cum philotherSITE adveniario, cum gratiæ Iudicialis aucupe, homine allabrè facto ad circumscriptiones scitè & eleganter factitandas: Sed neutri res cessit è sententia. ille ex casu incommodo ægritudinem contraxit: hic dum augere rem suam quacumque ratione contendit, lautiolemque larem suam familiarem, utramque ad tabem perduxit: mihi atque amicis utriusque casum procul abesse velim, si humana providentia hac ætate hoc sibi præstare possit cùm non tantùm facultates diminuat sed etiam tranquillitatem animi. Quonam enim modo tranquillo animo esse potest, aut mente satis composita, qui ita Euripis forensibus jactatur, in undisque illis fluctuat, & sæpè in scopulos impingit, sicut est vicissitudo eiusmodi rerum?

Licet etiam quis sibi videatur callidus litigator, tamen stratagemate forensi percellitur, opibusque evertitur, & procellæ Iudiciorum calamitatem multis afferunt; turbinesque nec opinati exorientes, longè lateque pauperiem in uberibus patrimonijs faciunt. Videmus sæpiùs quod fronte hilari & serena ad lites institutas veniant, ac fiducia freti rei benè gerendæ; nubilâ tamen tandem & obductâ, salutem Curix dicant. Levi quippe momento nonnunquam sensimque labascit fiducia in causæ ductu, quæ

certa

*certa* in principio fixaque videbatur. varijs enim de causis etiam justissima quævis aut negligi aut interire potest.

Præter hæc sunt & aliæ causæ quædam, quæ Iuris *inopiâ ac subsidii* intereunt. Quædam Pragmaticorum culpâ aut perfidiâ.

Quædam suo quodam fâto occidunt, quasi aduersis auspicijs cœptæ & exercitæ.

Quædam non tam suapte vi infamiz quàm à pecunia malè valentes. Res enim forensis præsentî fide & occultâ constat.

*Lites perduntur, quæ paupertate reguntur.*

Quædam rectum cursum tenere inoffensumque non possunt, sed per omnes Mæandros forenses pervagatæ, ad extremum hærent in vado, unde erui non nisi ægrè possunt.

Quædam licet sint diobolares & dupondiales, accessiones trahunt sæpè non centusses modò, sed etiam talentarias; litiumque series sic nectitur, quasi restis quædam ex molestiis & angoribus apta atque conferta.

Proinde falluntur sæpè, qui nimium causæ suæ confidunt; falluntur & nonnumquàm, qui nimium diffidunt. tum diffidentia, tum confidentia nimia periculosa est; illa vexat, ista fallit: Aliquamdiu enim lites secundo vento utuntur, velisque pansis procedunt, quibus in medio curriculo remoram admovet adversarius, frustratorias petit dilationes, & alias ex alijs prolatandæ litis causas comminiscitur, & si adhuc anchoram unam & alteram fortasse siccam habet, ac litteras seu documenta, quæ non antè litis instrumento addere statuit, quàm ad extremum discrimen ventum sit, & Iudices in cõsiliu iam iam ituros resciverit, causaque sit penè ad conclusam perducta, & in valvis sententiæ, sæpè etiã cum causarum ambiguitas representare iudicium non sinit, Amplius pronuntiatur, & ad perendini confessus disceptationem profertur, nihilque ea de re illo die decerni placet, & ad frequentiore Curiz confessum differtur, dum se non sufficienti esse numero Iudices dicunt.

Cum autem jam causa est in manibus Curiz, dum calculi in manibus Iudicum & consilij sunt, & Mars adhuc communis campi,



campi, albo nigroque solo est distinctus, anceps est dum Litigatoribus expeſtatio; tum miſeri exanimantur, illorum præcordia præfodicantur. Salutariam interim in Curia ſtationē faciunt, in gradientium vultus, egredientiumque anxie obſervantes, ex eorum reſponſis agnoſcentes omnia, aut abnuentes: Tunc in alteris caſtris trepidari neceſſe eſt, ultimiſque cōſilii remedia tentari.

Tum videmus, quòd illa, quæ ab oraculo Iuriſprudētiz, reiſque forenſis peritiz, omnia læta promittebant, quæ etiam non ſomniculoſè, non inertè fuerant agitata, tamen in euentu non modò tantæ fiduciæ non reſpondeant, ſed etiam in contrariam partem per diametrum cedant: ita quod apud Aduocatos auſpiciū ratū, apud Iudices vitium eſſe viſum ſit. Refert igitur, non quid Iuriſconſulti homines, aſſidui conſultores de cauſis exiſtiment; ſed quid ii potiùs cenſeant, quos penes cauſarum eſt iudiciū, præſtatque longè trium Iudicantium puncta ferre, quàm ſeptem de Iure reſpondentium.

Eſt etiam litium natura aliquantum affinis aleari, etiam ſi auſpiciis Iuſtitiz regi credatur, cujus munus eſt unicuique ſtatuerè quid ſuum, quid alieni habeat, quid iure, quid iniuſtè poſſideat.

Aſt, age, cauſam vincis, iam triumphas; ſed victoriã Cadmæã: præſtaret enim quandoque vinci ſemel quàm ſæpiùs vincere, aut diutiùs litigare, ut docet quotidiana experientia: & textus in Lib. Minoribus 25. ann. §. de minorib. nou obſcurè idipſum innuere videtur, dum dicit: *Minoribus 25. annis ſubuenitur per in integrum reſtitutionem, non ſolùm cum de bonis eorum aliquid minuitur, ſed etiã cum interſit ipſorum litibus & ſumptibus non vexari.* dum enim ſæpè credunt obtinere, frequenter ſuccumbunt; & ſi obtinent, computatis laboribus & expenſis, nihil acquirunt, ac vix unus ex decem litis victor repetit quod impendit. Multos etiam pœnitēt victoriæ forenſis: nam in ratione ſumptuum litis ineunda, ſeu expenſis taxandis, ac ceſſionum calculi permulti poſiti circumducuntur, ut quæ pragmaticis, quæ aſtorum conſcriptoribus, quæ miniſterio officiorum, non modò liberaliter ſed etiam neceſſariò penduntur; hæc enim & huiuſmodi non feruntur. Quare non modò

modò non quadrat unquam summa ad nummum accepti & expensi, sed ne constat quidem alioqui ratio, propter multiplex intertrimentum huiusmodi negotiationis usuræque judicialis. actum experientia docebit verum esse quod dici solet: *quod victoria trium processuum in una Curia suprema, sufficiat ut homo etiam dives cogatur diuertere ad miserabile Hospitalis remedium.* Si ita agitur cum triumphante, quid fiet de succumbente?

Si ergò prudens vis esse litigator, simul ut intelligis causam tuam pessum ire, discinde litem tot assibus quot possis, primo quoquo tempore, & iactum litis fac potiùs quàm census naufragium: neque enim, & non rarissimè, euenit, ut causæ, quæ æquis iniquisque perinde probabiles videbantur, etiam Consultis Curix, atrum calculum auferant, unde nemo metuendum putasset. ac tum fit quod tales lites nemini sunt utiles nisi Iudici & Iuris ministris: unde præstat solucere, quàm male litigare. quod sequentes versus non minus appositè quàm Iocosè insinuant.

*Iuris prudentes prudentes iure vocantur,  
Tam bene cùm studeant provideantque sibi.*

*Certa illis lux est: lis est incerta clienti.*

*Hic lucri, damni certus est ille sui.*

*At tu si sapias, cùm*

*Ea Judex petit & petit Patronus,*

*Soluas censeo, Sexte, creditori.*

*Qua tua nequitia est, non mihi soluis.*

*Soluis Causidico, qua tua stultitia est.*

Mart.

Ignominiâ notandos censebant veteres illos, qui militiam subterfugissent; sed aliter se res habet in illis, qui conflictum litis detrectant, clausulam controuersam subterfugiunt. Iungere ac pedem conferre nolunt, herbamque dant forensam. Litium quippe seges seminis interdum plus poscit, quàm messis redditura sit. Moribus autem iniquis comparatum est, ut qui de iure suo decedendo dulcedine tranquillitatis, cespitem suum affodi, aut adarari contermino Fundo contemptim videre sustineat, versuram tandem ille sceneratix pacis veluti inertis animi æquitatis, solu-

torum se, sed seriùs quàm oportuit, animadvertat: si tamen in vicinum inciderit paulò ad rem audiuorem, quæ non minima pars est hominum, tot iudicijs constitutis, tot legibus, tot Iuris interpretationibus, tam vberi, tam abundante litium calumniarumque materie & argumento fit, ut qui lites auspicantur, quod sibi ierere sperant, cum messis optata redit, non sibi solis metere, sed consultorum hominum ordini, inferiorique intelligant.

Qui rebus controuersis impendia foenerari se sperant, lites diurnas & sumptuosas exagitando, nomina se facere non sentiunt primùm tarda, deinde ancipitia, postremò inania fortassè aut poenitenda futura. Vt mittam dubii martis aleam, quæ interim miseris ad tabem perducit litigatores. Ad eò est hæc ætas controuersa, ut lites sint Syrenes hominum, tranquillitatis intolerantium Iudicia, patrimoniorumque naufragia, ita ut sic exhaustos multos è curia abire videamus, ut Ajax apud Homerum è prælio discedebat. Hinc domus litigatorum semirutæ, & inquilinis vacuæ, aræ inanes aut ruderose, ædificia collapsa, unde non inquilini modò, ut aiunt, sed etiam mures migrare debent.

Rectè dixeris cum Curtio, *Malo me fortunæ poeniteat, quàm victoria pudeat:*

Si quis litium curriculum dispendia commodè in compendia vertendi inventor esse possit, dignum erit inventum, quamobrem Hecatombem, ut dicitur, votivam Deo consecret. quod olim Pythagoras fecisse Musis dicitur, ob inventum unum Geometricum, si Athinæo credimus.

Memores deberent esse Litigantes moniti Salomonis dum dicit: *Honor est homini, qui separat se à contentionibus; omnes autem stulti miscentur Contumeliis.* Proverb. c. 10. quibus verbis Sapiens dehortatur à litibus & rixis, occurritque tacite objectioni, ac fontem mali indicat & succidit, ac si diceret: solent homines, si verbulo asperiori tangantur, lites capeffere, atque huic suæ cupiditati prætexunt sui nominis famam & honorem. Dicunt enim, talis læsit meum honorem; ergò lis illi intentanda est, ut honorem meum ab eo allatum recuperem. Rursum, si lis sit inchoata,  
ac in.

ac in ejus decursu deprehendant, eam esse injustam, vel valde molestam & noxiam, nolunt ab ea cessare nec pedem referre, ne videantur injustè vel temerè eam inchoasse, aut parti adversæ victoriam cedere. At errant, quia honor & gloria hominis est, litem non inchoare, & si inchoata sit, ab ea cessare. Ratio est, quia lites mille adferunt curas, molestias, mœrores, pericula, ignominias, profusionem opum &c. quæ longè plus damni adferunt quàm sperari possit lucri ex lite, etiamsi illa nobis adjudicaretur.

Deinde lites auferunt pacem & charitatem, quæ præstat omnibus mundi bonis: unde verè dixit Bellarm. *Melior est uncia pacis & charitatis, librâ victoria.* Quid honorificentius pace? quid gloriosius charitate? lites nisi succidantur, crescunt in immensum, sunt que immortales & irreconciliabiles: lis enim ferit aliam, & aliam sine fine; sicut fragum unum ferit aliud & aliud, ut totum hortum pervadat.

Lis etiam cum proximo litem parit internam cum animo. Nam anima irati & litigantis mille passionibus æstuat, perpetim secum disceptat & litigat, dum ira & cupido vindictæ cum recta ratione illam vetante decertant & digladiantur. Et cum fons mali sit superbia, ex hac non vult proximo cedere litigans, nec reconciliari, multò minùs reconciliationem quærere, eamque prior poscere; hoc enim vile & inglorium æstimant homines sæculi.

Sed falluntur, quia honorificum est quærere opus heroicæ virtutis, puta reconciliationis & amicitæ. Quare qui prior eam occupat, & partem adversam prævenit poscitque pacem, hic sine dubio magnanimus est: quia iræ & vindictæ victor & dominus, ac proinde ingenti honore & gloriâ dignus. Id enim patet ex more Dei: nam Deus, quem decet omnis honor & gloria, peccatores gratiâ suâ prævenit, monetque ut sibi reconciliari velint. Imò adhuc Christum misit, juxta Apostolum, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.* Deus ergò hoc opus, ut scilicet quis prior se reconciliet inimico, suo exemplo honestavit & decoravit. Quis autem indecorum sibi existimet, quod decorum sibi duxit Deus? <sup>a</sup>

In. cer-

*In certaminibus improbitatis miserior est qui vicerit, propterea quod peccatis onustior discedit.* <sup>a</sup>

*Præstat honestè vinci quàm periculosè & iniuste vincere.* <sup>b</sup>

*Altero duorum colloquentium indignante, is qui se non opponit, plus sapit.* <sup>c</sup> *Quod Oracula Divina suadent, idem prudentissimi viri nos suo exemplo docent.*

*Demosthenes à quodam convitiis laceffitus, Nolim, inquit, in hoc genus certaminis descendere, in quo qui vincitur ipso victore est maior.*

*Aristippus contumeliis à quodam appetitus, Penes te, inquit, est maledicere: penes me autem rectè audire. Excelso viro dignius est, injuriam vincere quàm litem: Magnanimus quisquis est, litem excindit, & adversario parcat: à malis vituperarii laudari est. Plena victoria est ad clamantem tacere, nec respondere provocanti. Valer. Max. habet enim mercedem & gloriam de sua patientia, & de proximi medela: Amor sui contentionis est parens: contentionum mater est superbia: maximum concordia est bonum, ut malum discordia; concordia utique præferenda omni lucro: verùm omnium nil pulchrius concordia est.*

*A litibus ergò abstinere quantum licet, imò & paulò ampliùs quàm liceat abhorre: est enim non tantùm liberale, nonnumquam de jure suo decedere, sed etiam fructuosum, juxta Gloss. in c. pen. §. de empt. & vendit. Eo ipso, quo à lite receditur, magnum est commodum.*

*Dispensio litis carere, non mediocre est lucrum, inquit S. Ambrosius. <sup>d</sup> longaque quæstio litigantium non tam auget patrimonium quàm evertit. <sup>e</sup> præter pretiosi temporis damnum.*

*Vnde clamat S. Paulus: Videte quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed quasi sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Redime ergo tempus, ô Litigiose, & noli contendere, tempusque litigiis occupare, quod multorum bonorum operum exercitiis exercendum est ad salutem.*

*Abstineto à lite, & minues peccata.*

S. Augu-

<sup>a</sup> S. Basil.

<sup>b</sup> Greg. Nazianz.

<sup>c</sup> Eurip. in Proteſila.

<sup>d</sup> Lib. de Off.

<sup>e</sup> Caſiod. lib. 4. capit. 37.

S. Augustinus dicebat, Christum in testem advoco, quod mallem per singulos dies aliquid manibus meis operari, quàm tumultuosas illarum (scilicet caufarum) prolixitates pati, nihilque similis esse actionibus dæmonum, quàm litigare.

Cùm exiguis admodum terminis vita hominum circumscribatur, jucundum est exiguo saltem tempore tranquillè & quietè vivere: nihilque bono viro ac quieto magis convenit, quàm abesse à civilibus cōtroverfiis. & ut verbis prudentissimi Horatii probatur, *Beatus ille qui procul negotiis, &c.*

*Nil enim beatius tranquillitate conscientia.*

*Homini summum bonum est tranquillitas.*

*Tranquillitate haud fructus ullus dulcior.*

Quod bene sciverunt duo isti senes, de quibus scribitur in vitis Patrum, quodd postquam multis annis essent inter se conversati, & inter se nunquam litem habuissent, dixerit unus alteri: *Faciamus & nos unam litem, sicut homines faciunt*: & ille respondit fratri: *Nescio qualiter fiat lis: & dixit, Ecce pono in medio laterculum, & dico, meum est hoc: tu autem dic: Non, sed meum; inde fit litis initium.* posuerunt ergo testam in medio sui, & dixit unus eorum; *Meum est hoc*: & alter dixit, *Non, sed meum est.* & ille respondit, *Etiam tuum est, tolle ergo & vade*: & discesserunt, nec contendere inter se potuerunt. <sup>a</sup>

*Laurentius Zingress*, Electoris Moguntini Consiliarius, dicere solebat: *Lis litem generat, ideo quicumque litigat pro gallina, suadeo, ut ovum capiat, & sic litem componat.*

De componendis autem litibus & controversiis occurrit quod refertur de M. Syl. Ottone, qui postea imperavit, quodd dum adhuc privatam ageret vitam, à duobus de finibus arbiter electus esset, agrum emerit, de quo orta erat controversia, & alteri contententium donò dedit, atque ita inter ipsos litem sustulit. <sup>b</sup>

Inter recentiora, Georgii Neocæsariensis Episcopi, insignis compositio fuit: Nam de piscoso lacu, qui admo dum fructuosus erat, duo inter se contententes fratres digladiabatur; multiq; cùm iam in ea contentione homines essent interempti, fratrum ipsorum

<sup>a</sup> Lib. 17. part. 2.

<sup>b</sup> Fulgosi lib. 8. c. 2.

ipſorum voluntate Iudex creatus : ad lacum , de quo erat contentio , cùm ambæ partes adſent , profectus eſt , & extenſis in orantibus morem ad Deum manibus rogavit , ut eum lacum exſiccaret , qui inter fratres tantarum contentionum materiam præberet . Nondum autem precationis hujusmodi verba extoto protulerat , cùm , utraque inſpiciente parte , exſiccatus lacus , & aquæ & liræ ſimul finem impoſuit . <sup>a</sup>

Narratur de duobus cognatis , ex quibus neuter alteri in re dividenda concedere volebat , eò deveniſſe , ut iretur in jus , & Iudicum ſententiis diffiniretur . Adibantur Advocati , parabantur dicæ , res erat cum Iuris-Consultis . Aditi Iudices , conteſtata liſ , cœpit agi cauſa . ubi alter maturè reſiſcens , adverſarium privatim accerſitum his verbis alloquitur : Principiò parum decorum eſt , ut quod natura copulavit , pecunia diſſociet . Deinde eſt incertus litis eventus haud minùs quàm belli ; ſuſcipere nobis in manu eſt , finire non eſt . de centum aureis tota liſ eſt , ejus ſummæ duplum in Notarios , in promotores , in Advotatos , in Iure-consultos , in Iudices , in Iudicum amicos expendetur . ſi legibus experiamur , hîc erit inſerviendum , adulandum , dandum : interim taceo curas , curſitandique labores . denique ut maximè vincam , plus eſt tamen incommodi , quàm commodi : quin potiùs ipſi nobis ſapimus , quàm iſtis hominibus , & in hos malè collocandam pecuniam inter nos partimur ? Concede dimidium de tuo , ego tantundem de meo concedam . Ita & amicitiã noſtram alioqui perituram lucrificiemus , & tantam moleſtiam effugiemus . Quod ſi recuſas quidquam concedere , ego vel univerſum negotium tuo permitto arbitratui : malo penes amicum ſit hæc pecunia , quàm penes inſatiabiles iſtos prædones . Abundè magnum fecero lucrum , ſi & famæ pepercero , & amicum ſervavero , & tantam effugero moleſtiam .

Movit adverſarium , tum rei veritas , tum cognati feſtivities : rem tranſegerunt , iratis Advocatis & Iudicibus . <sup>b</sup> rectè dicit Hiſpanus , *Mas vale mala avenentia , quæ buena ſententia .*

Ideoque melius eſt , rem totam petenti , dimidiam partem dare , quàm

<sup>a</sup> Joan. Bap. Ægnat. lib. 3. c. 2.

<sup>b</sup> Tymp. c. 26.

quàm pro tota dimicare : Proinde

*Si saperent homines rixis avidis que carerent*

*Litibus, & querulis, garrulitate fori,*

*Sic incompositus post scrinia Bartolus iret,*

*Et mus antiquum roderet Acursium.*

Sicut sal modicè cibus aspersus, condit, & saporis gratiam addit; ita si nonnihil joci hisce admiscuerimus, gratior fuerit lectura. De lite igitur inter *unoculum & gibbosum*; & de alia inter *uxorem* marito defectum visus, & *Maritum* vxori defectum fidelis vitæ exprobrantem carminibus sequentibus interferitur.

1. *Gibboso vnoculus, quod tam mane diei*

*(Improperans gibbum) sic oneratus? ait.*

*Tunc is, Mane putas, potuit te fallere, tantum*

*Vna fenestra tua quod sit aperta domus.*

Altera.

2. *Vnuculo fuit haud obscuri nominis uxor;*

*Hæc famam in bello liquerat, ille oculum:*

*Improperatque (velut sunt, res uxoria, lites)*

*Ille, quod hæc Meretrix; hæc, quod is unoculus.*

*Tunc ait is: quod sim cocles, fecit meus hostis;*

*Hæc, quod sim meretrix, fecit amicus, ait.*

Inter litigiosos autem primum obtinent locum, redemptores litium, quos præclara olim constitutione Imperator Anastasius refrænavit, dum ait: *Per diuersas interpellationes ad nos factas, comperimus quosdam alienis rebus fortunisque inbiantes, cessiones aliis competentium actionum in semet exponi properare. hocque modo diuersis personas litigantium vexationibus afficere, cum certum sit pro indubitatis obligationibus, eos magis quibus antea suppetebant iura sua vindicare, quàm ad alios ea transferre velle. Per hanc itaque legem iubemus imposterum huiusmodi conamen inhiberi (nec enim dubium est redemptores litium alienarum videri eos esse, qui tales cessiones in se confici cupiunt) ita tamen ut si quis datis pecuniis huiusmodi subierit cessionem usque ad ipsam solutarum pecuniarum qualitatem & usurarium, eius actiones exercere permittatur.*

Homines litigiosi apud aliquos habentur pro magnis peccato-



ribus, cùm tamen plura sint peccata capitalia, contra quæ in externa apparentia videri possent non peccare.

In primis non per *superbiam*. Incedit enim litigiosus cum omni attentione per plateas, oculis in terram defixis, totus cogitabundus, omnesque de Iusticia cum omni reverentia & humilitate salutat.

Non per *Avaritiam*. Oneratur enim tot litium impensis, ut ipsi non sit integrum, nummos congregare, ac infructuosos cistæ includere: quinimò domui suæ vixdum necessaria providere potest; nec tantum superest, ut quandoque apud Secretarios copias suas redimere ac leuare possit.

Non per *Gulam*. Lautiora enim ipsi non sunt prandia, ac sæpius extra mensam sine mappa vel mantili cibum sumere etiam non sufficientem naturæ necessitati cogitur, omni seposita curiositate ac delectu esus aut porus.

Non per *Luxuriam*: Quia semper spiritu intendit & occupatur, semper mente distractus, compressosque habet appetitus carnales.

Non per *Acediam*: Quia vix diu ac noctu quiescit, discurrendo nunc ad domum Advocati, nunc Iudicis, nunc procuratoris, nunc forensibus intemperis exagitatus, apud sese esse non potest, nec tranquillam vitam agere, nec felicem, sed semper est in continua actione & motu.

Proinde si foret liber ab *Fra* jam non peccare videretur, ac instar Sancti reputaretur: sed per hanc ad summam ducitur impatientiam, murmurat, & exacerbatur in partem adversam, male loquitur de Iudice, conqueritur de Advocato, redarguit negligentiam Procuratoris, & maximè quando omni remedio Iuris, & formularum subsidio lapsus, ossa & nervos causæ suæ auctoritates & testimonia intercidisse videt, quando causa jam est delumbata, exanimata, exsanguis, semianimis, & per sententiam est conclamata (als den schlach is ghegeben) tunc maledicendo, non parcit Deo nec Sanctis ejus.

Per *Invidiam*: tanto conteritur livore, ut nec adversarium, nec ullum ex ejus fautoribus ac ministris audire nec videre benevolè possit; eorumdem observat gestus, & incessus, verba & actiones.

ationes, ac denique continuo odio, rancore, & indignatione cor ejus contabescit.

Quin imò solent litigatores cum in lite causâ ceciderunt, ex dolore & indignatione etiam conqueri de Iudice, quasi ab eo facta sibi sit injuria, eo quod causa eorum in communi vel abstracto spectata speciem quandam æquitatis habere videretur: qua in se graviter errant & peccant, quia non considerant circumstantias particulares facti, quæ sæpè speciem facti mutant, ut ex æquo fiat iniquum. Rursum ignorant jura divina sive humana, puta civilia & Canonica, secundum quæ Iudex iudicare debet. unde Eccles. c. 8. dicitur, *Non Judices contra Judicem, quoniam secundum quod justum est iudicat.* Nam in dubio, an iudicatum sit benè, præsumptio erit pro Iudice: præsumitur enim Iudex maturo consilio constitutus esse æquus, sapiens, Iurisperitus, causamque exactè examinasse, ac proinde dicent eum justas habuisse causas ita iudicandi, etiamsi illis subinde alios lateant. Deinde Iudices alii cæteris paribus iudicabunt pro Iudice, quasi ejus in officio socii & gymnastæ, ne & ipsorum sententia, ab aliis Iudicibus, vicissim retractetur, & quasi injusta damnetur: & ut cuique in sua arte credendum est, ita & Iudici in se iudicata fides adhibenda, nisi manifestè appareat cõtrarium; scilicet eum vel ob munera, vel ob gratiam divitum, vel per crassam ignorantiam, iniquam tulisse sententiam: alioquin sicut vera trutina, neque à bona & concinna corrigitur, neque per falsam examinatur; sic etiam justus Iudex neque à justis castigatur, neque apud injustos iudicatur: estque melius sententiâ justè pronuntiata reprehendi ab eo, qui merito suo dånatus est, quàm si injustè iudicaveris, iure à natura vituperari.

Præterea Deus cuique in officio adest, ut illo ritè perfungatur; adest ergò & Iudici, ut rectè iudicet, iuxta illud: *Divinatio in ore Regis: in iudicio non errabit os eius.* Proverb. 16. *Multò magis divinatio in ore Iudicis: in iudicio non errabit os eius.* Ad Iudicem enim propriè iudicium spectat, potiùs quàm ad Regem.

Nolite ergò temerè Iudicem iudicare, tum ne contra stimulum calcitretis; Iudicis enim indicto stabitur, non vestro: tum, ut

in Iudice Deum, cuius vices gerit, honorabis: *Non Homini sed Deo iudicatis, qui vobiscum est in verbo iudicii.* 2. Paralip. 19. Deo ergo detrahit, qui detrahit Iudici, ait Lyranus: hujus rei symbolum fuit virga Moysis & Aaronis, quæ in se sicca, à Deo tamen electa, frondit, floruit, fructusque illicò protulit. Virga enim symbolum, est recti iudicii, quod exhibet Iudex, cum à Deo electus fuerit: tunc enim à Deo quasi animatus, inspiratus, fructus veritatis, veras, inquam, sententias profert & proloquitur. <sup>a</sup>

Iudicia non inturbari debere, refert Ioannes Casus <sup>b</sup> rationes quinque:

1. Quia sententia Iudicis est medicina scelerum.
2. Quia mores ac leges optimarum civitatũ hoc non permittũt.
3. Quia in persona iudicis est Maiestas Principis.
4. Quia Officium Iudicis sanctum est & venerandum.
5. Quia in contemptu magistratus est motus seditionis:

Solon perconstatus quo pacto salva possit esse Respub. respondit, *si cives quidem magistratui obedierint; magistratus autem legibus.*

Cæterum subtilissimi qui reperiri possunt in litigiis, dicuntur esse Normanni, qui sciunt sustinere litem super puncto unius aciculæ. Exemplum sit processus, qui duravit 24. annis, motus ratione unius nidi Picarum, qui hærebat in quodam ramo, pendente super fundo sui vicini; utroque prætendente eundem ad se pertinere. Vnus dicebat, arborem esse plantatam in suo fundo, & consequenter raram: alter, quod ramos extenderet super suas terras, quodque per umbram ejus sibi fieret damnum in herbis & fegete, ac proinde deberet ratione damni etiam sentire emolumentum. <sup>c</sup>

Nobilis quædam lites ab Actoribus mercabatur, atque ita in hoc, vitam suam omnem egit.

Ex eadem familia alter aded litibus erat addictus, ut aliquando rogatus, Quomodo cum causis? dixerit, bene sibi terminatas; duas tantum aut tres in longum à se eâ ratione protrahi, ut haberet in quo oblectaretur. <sup>d</sup>

Scio

<sup>a</sup> A Lapide in Eccles. c. 81. <sup>b</sup> In Sph. civit. l. 2. c. 8. <sup>c</sup> d'Ouille Normand. Heures perduës.  
<sup>d</sup> Pour. de Urbani.

Scio ego qui mihi dixerit, sibi esse impossibile, vivere & esse in alio. Numquid hi sunt homines, qui accisis in foro facultatibus, tamen litium indices fiunt amantiore?

Rusticus in popina reperiens Chyrothecas militis cuiusdam ibidem compotantis, manibus suis aptavit: quod advertens dictus miles reclamavit se nobilem, nobiliumque chyrothecas à rustico tractari non licere assererat: Arrestatus Rusticus, ad iudicem vocatur, reparatio per militem in immensum æstimatur, tandem ad redimendam vexam per interpositionem bonorum virorum fit concordia, recipiendo à rustico duos duplices ducatos, ab oculari & fide digno habeo teste. Ridicula materia, sed lis temeraria: cuius pœnæ liceretne militem dicere subiectum?

Nobilis quidam in navi Rothomagensi adsidebat cuidam rustico, venienti ex inferiori Normannia, à quo petebat, quò pergeret. Rothomagum, respondebat. Quid ibi acturus? Vado litigatum ait rusticus. Contra quem? rogat nobilis: Contra te, domine, sivelis, replicabat rusticus. Contra me, inquit nobilis? Ecquid, quæso, mecum tibi rei, qui te huc usque nec vidi nec novi: per fidem, inquit rusticus, certabo, quòd contra te litem tentabo, & cum victoria. Negante & admirante Nobili, concertatum est pro scutis decem. Dum appulisset Rothomagum, rusticus insequitur Nobilem, donec ejus cognosceret hospitium. Quo cognito, accedit satellitem, ei que tradit duos asses ad citandum prædictum Nobilem. Intrat rusticus cum satellite Hospitium, & invenit Nobilem in Mensa: ad quem satellès: Domine, ego assigno tibi diem talem, ut compareas coram Locumtenente ad instantiam huius rustici. Nobilis quærit à satellite, ecquid à me pretendit? respondet satelles, petit mensuram pisorum, quam dicit Dominum illi debere. Insanit ne, respondit Nobilis? Tum rusticus ad Nobilem: Non recordaris de mensura pisorum, quam tibi mutuo dedi? subridendo Nobilis dicit, Vade vade, Amice: nescis quid dicas, sunt *Fabæ* seu *Fabulæ*, ce sont de *Febues*. Replicabat rusticus, Verum dicis, domine, fuerunt *Fabæ*, ce sont de *febues*: nam non satis bene recordabar, ex quo fuerit vxor mea,

quæ

quæ tibi illas tradidit: ac tum ait ad satellitem: peto mihi dari actum declarationis factæ, modò per hunc Nobilem; quam & illi dedit. atque hoc modo fuit Nobilis condemnatus in mensuram *Fabarum* & in expensis, perdiditque decem scuta pro quibus concertatum fuerat. <sup>a</sup>

Regius vir doctissimus scribit, quòd numerus Iudicum, Consiliariorum, Advocatorum, Procuratorum, sollicitatorum &c. est maior in Francia, quàm in reliquis partibus totius Mundi: Vnde dum anno 1601. 12. Maii Parisiis esset edictum, quatenus Advocati in fine suarum scripturarum adderent manu suâ salarium receptum, maluerunt deserere officium suum, quàm hoc facere: venerunt unâ die ad Secretariatum trecenti & septem numero, declarantes sese nolle amplius fungi munere suo: <sup>b</sup> Quot ergò reperiuntur ibi litigantes? Ceterùm litigantibus convenire & applicari possunt plagæ, quas in veteri Testamento Ægyptiî senserunt, quæ summâtim hoc disticho continentur.

*Sanguis, Rana, Culex, Musca; moritur pecus, ulcus,  
Grando, Locustæ, Nox, Mors prius orta necans.*

In primis omnia quæ sunt litigantium inficiuntur *Sanguine*, id est nummis: illi enim secundùm Græcos sunt anima & sanguis Mortalium, quos planè in lite exponunt & consumunt; hyrüdinesque forenses ac pragmaticorum natio exanguis planè litigantium reddunt loculos.

Vexantur etiam litigantes *coaxatione* Procuratorum & fori rularum, quorum ora denariis, ut *Ranarum* esca, obstruere debent.

Quin & quotidie æstro, & *Muscâ*, & *Culice* impatientiæ mordentur atque agitantur. nec mirum cum litigiosis non tantùm pecora moriuntur, sed & ipsimet ordinariè animam desperabundi evomunt, herædesque suos litigiorum suorum ac damnationis suæ relinquunt. Litigia enim labyrinthus sunt & abyssus conscientiæ & bonorum. <sup>c</sup>

Præterea ad instar leprosoꝝ, solitarii degunt, & fugiuntur tamquam *ulceribus* infecti.

Tempe-

<sup>a</sup> D'Ouville d. l.

<sup>b</sup> Hist. Franc. Tom. 2.

<sup>c</sup> Sales lib. 3. c. 15.

Tempestates grandinis sentiunt, in campis, in reditibus, frugibus & loculis, segetesque per fori locustas etiam antequam maturi sint, eduntur & depascuntur; artificesque forenses de litium multiplici semente lucra pabulantur: & quod litigatores arant & ferunt, hoc Curia alumni metunt & depopulantur.

In tenebris Noctis sepulti jacent omni bono denudati: & iuxta Eccl. *Cuncti dies eius doloribus & arumnis pleni sunt, nec per noctem requiescit.*

Denique litigantes non tantum privant suos primogenitos necessariis ad victum & amictum, sed & secundò genitos, ac tot quot sequuntur. *Quid si invicem mordetis & comeditis, vedete ne ab invicem consumamini.*, ad Galat. 5. *& mortuo homine impio, non est ultra spes, & solitorum expectatio peribit.* Prouerb. 11.

Imò & post mortem ipsæ fallaciæ superstites inficiunt, & mortuos sequuntur. Maritus consumptis mediis per litium naufragia, uxori testamento canem, & PP. Carthusianis (pia compunctione ductus) equum suum vel pretium eiusdem legavit: mortuo marito, uxor canem simul cum equo proponit venalem, petiitque pro cane centum, & pro equo tres imperiales; contractu concluso, uxor sibi retinuit centum, & pro pretio equi legati detulit RR. PP. Carthusianis tres imperiales. Ecce quomodo qui in vivis fallebat post mortem fallitur, & viva superstes fallere non desinit.

Nec prætermittendum est Carmen de anonymo, qui in litia omnia sua decoxerat.

*Dum sua decoctor subeuntem limina furem*

*Quarere speratas nocte videret opes.*

*Nocte quid in nostris circumspicis adibus, inquit?*

*Hic ego nil mediâ cernere luce queo.*

Audiamus ad hoc propositum exhortationem verè auream doctissimi Francisci de Sales, dum dicit: Dominus noster legitimus totius universi Monarcha, litigavit ne umquâ, ut dūtaxat haberet ubi caput reclinaret? Anne mille iniuriis laceffitus umquam processum intentavit? Coram quâ Curia aliquem curavit citari?

Num-

Numquam in veritate, imò ne quidem proditores, & qui ipsum crucifixerunt citare voluit ad Tribunal Iustitiæ divinæ; sed è contrà super eos invocavit auctoritatem misericordiæ: & ideo illud est, quod ita nobis inculcat, *Qui vult in Iudicio tollere tunicam, dimitte ei & pallium.*

Nullatenus tamen sum scrupulosus, neque improbo aut rejicio illos, qui litigant, dum modò fiat in *veritate, iudicio, & Iustitia*: Attamen dico, exclamo, scribo, & si opus foret, sanguine proprio meo exararem, quod quicumque vult esse perfectus, & per omnia infans *Iesu Christi Crucifixi*, debet hanc Domini nostri doctrinam prædicare.

Mundus contremiscat, prudentia carnis sibi crines evellat, si velit, ex indignatione: sapientes sæculi adinveniant, & omnes tot quot velint diversiones, prætextus, & excusationes; nihilominus verba hæc omni sapientiæ sunt præferenda: *Qui vult in Iudicio tollere tunicam tuam, da illi & pallium tuum.*

Sed dices, hoc se extēdit ad certum casum: verū est, dilecta filia; sed Deo sint gratiæ, nos sumus in illo casu: quoniam aspiramus ad perfectionem, & tam propè quàm possumus insistere vestigiis ejus conamur, qui affectu verè Apostolico dicebat, *Habentes unde bibamus & manducemus, & vestiamur, contenti in his simus*: & ad suos Corinthios clamabat, *Iam quidem omninò delictum est in vobis, quia Iudicia habetis inter vos, Quare non magis iniuriam accipitis? quare non magis fraudem patimini?* 1. Corinth. c. 6.

Nota, quòd non loquatur ad filiam, quæ ad vitam aspirat perfectam, sed ad omnes Corinthios. Quòd velit, ut sustineamus iniurias: Deinde quòd dicat, delictum in illis esse, ex quo sint in iudicio contra illos, qui ipsis iniuriam & fraudem faciunt.

Notate etiam, dicit S. August. instructionem domini nostri, qui non dicit, qui vult in Iudicio tollere totquem vel armillam, da illi tuum monile, quorum unum & alterum est superfluum; sed loquitur de tunica & pallio, rebus necessariis.

Idem Sales lib. 3. epist. 23. dicit, si non possis ditari nisi per miserabilem processuum viam, sis potiùs pauper quàm dives cum dispen-

dispendio tuæ tranquillitatis; quæ animi tranquillitas, pro omnibus temporalibus bonis non est commutanda, & epist. 30. Sine dubio vix est, præter Angelos, qui possit conservare in contentione Iudicii, innocentiam; videturque mihi iam processus esse fulminatus, ut canonizetur ille, qui sibi in litibus potest moderari:

*Sapere & Amare vix diis conceditur: sed libentiùs dicerem, Litigare, & non insanire, vix sanctis conceditur.*

Proinde sicut Ioseph dimisit pallium in manu meretricis, & fugit cum meliori pallio castitatis; ita & tu projice pallium in manu calumniatoris ac adversarii, & fuge, cum meliori velamento Iusticiæ, ne fortè dum vis vindicare vestem corporis, pretiosissimum animæ vestimentum perdas. <sup>a</sup>

Finaliter S. August. docet in Enchiridio 78. lites etiam justas vix suscipi sine peccato, saltem veniali; quia ferè procedunt ex nimio amore rerum temporalium, & vix carent periculo odii, malevolentiz, calumniæ. Accedit (ut & suprà dictum est) iactura temporis, pacis & tranquillitatis internæ, quæ nisi maiori bono compensentur, non sine peccato lites etiam justæ suscipiuntur.

Celebris est illa Alcibiadis: *Cùm licet fugere, ne quære litem. Non obtinere cuncta, nec semper stude. Bene vinci ames plus, improbe quàm vincere, Athleta nam non vincitur, quisquis iacet humi, Sed hostem sapè sternens deiecit.* <sup>b</sup> Næc tamen hîc prætereundum est, quod temeritas litigatorum, jacturâ & onere expensarum litis rigidè sit compescenda: quamvis etenim calumniam ejuraverit, non aded cessabit alterum calumniæ vel etiam temeritatis coercendæ remedium, quo is, quem temerè adversarium suum in Iudicium vocasse constitit, viatica litisque sumptus adversario suo reddere jubetur. namque ut calumniâ quis careat, non ideo tamen temeritatis culpâ liberatur; illa enim machinatione, hæc etiam facilitate contrahitur. an autem qui ab initio quidem litigandi causam habuit, sed in progressu litis de injusticia edoctus, adhuc perseveraverit, eo tantùm sine in expensas, an potius in omnes condemnandus sit, videre licet in *Tuld. 4. c. 15. de caus. corrupt. Jud.*

E

*Fachin.*

<sup>a</sup> S. Chrysost. in Matthæum c. 2

<sup>b</sup> Nazianz. in Tetrastichis



*Fachin. lib. I. c. 41. Decium ff. de Reg. iur. l. Qui in alterius. n. 9. Vasq. l. I. Controvers. c. 4. Guid. Pap. q. 137. & si quis vexandi adversarii causâ, instrumenta, quibus ius suum liquet, serò protulerit, quamvis vincat, expensis mulctandum refert Zypeus per l. 4. C. de fructibus.*

Quoniam verò ita cum rebus humanis agitur, inquit Zypeus, <sup>a</sup> ut sine morbis, sine litibus esse non liceat: illud tantùm ijs, quorum ex partes sunt, curandum ut corpora, ut naturalia, ita politica sic purgenter, ut noxii humores, qui non omnes tolli possunt, ita tamen cohibeantur, ut quàm fieri potest minùs numerosi, minus periculosi repullulent, præsentés curentur, futuri restringantur; & si lites planè eliminari non possint, ita habeantur ut quàm minimum noceant, & quàm rectissimè atque expeditissimè peragantur.

*Lis nulla, toga rara, refertur à Poëtis ad vitæ beatitudinem, tradiditque Vlpianus <sup>b</sup> verecundiam eius, qui lites execratur, non esse vituperandam. & Paulus: <sup>c</sup> hoc ipsum quod à lite disceditur in causam legitimam transactionis esse ait, licèt res nulla sit intermedia.*

Enim *vix vir bonus præsumitur frequens litigator*: & D. Paulus reprehêdit litigâtes apud infideles. <sup>d</sup> Iudicia quæque licèt Deus instituerit, & Iudices deligendos expresserit, <sup>e</sup> & seipsum assidere professus sit, <sup>f</sup> neque quisquam injuriam pati tenetur ac bonorum spoliationem: non excusatur tamen pronus ac facilis litigator de re modica contendens; minùs quæ plus habeat expensarum quàm emolumenti: minimè verò eum qui causæ suæ justiciam in conscientiz suæ arbitrio non prius examinaverit; ac ne privato affectu obæretur, virum probum Advocatum comprimis eruditum, cui genuinum suæ statum controversiæ veridicè explicet, consuluerit, tum porrò expenderit, an ius quod ex facto pendet, probare Iudici poterit, ne illum Adversariumque molestiâ, semet ipsum sumptibus inutilibus afficiat. Tandem cum neque tentatâ concordia componi res poterit, ita in litem descendat, illiusque telam prætexat, ut non tantùm nihil quod injustum sit committat; sed

<sup>a</sup> Lib. 2. c. 5. & 6. de Iudice. <sup>b</sup> L. item 6. ff. de alien. Iud. mut. causæ. <sup>c</sup> L. in summa de cond. indeb. <sup>d</sup> Corinth. 1. c. aliud 19. 4. <sup>e</sup> Deut. c. 1. Exord. c. 18. Genes. 9. <sup>f</sup> Psalm. 82. Proverb. 8.

tat: sed quaquà fieri poterit, charitatem fraternam nullatenùs of-  
fendat: Sed quàm difficulter aut rarò id fieri potest? cùm ex causis  
litium, prima sit cupiditas seu *meum & tuum*; nam D. Iacobus  
ait, *Vnde contentiones in vobis, nisi ex concupiscentiis vestris?*

Accedit ignoràtia, veritatis & justiciæ inimica, justì atque æqui  
ignara; quæ si bona fide tantùm errat, quamquam nec satis con-  
sultaverit, si non aliquà veniã, minori tamen irã digna est, quàm  
quæ ex affectata: cunctos inquit Cicero de leg. cõsultunt, an lex  
sit, quæ suo possit suffragari appetitui & cupiditati; quò sit, ut  
ipsã, non Iudices periti, viam litigiis præstent, eoque laborare  
solent qui cùm de iure non satis gustaverint, de pulvere pratico  
nonnihil sordidi, penè æstimant se nihil nescire; longè ab iis  
diffiti, qui cùm juventam & senium in studiis cõsumpserunt,  
semper tamen exclamant, *Quantum est quod ignoramus.*

Sunt & quidam Pauperes, qui juris subsidiis pro libidine liti-  
gandi abutuntur: cùm enim sciant iudices debere pauperem iuxta  
ac magnum judicare, eique procuratorem & Advocatum dare,  
temerarias lites movent, nihil detrahi sibi, accedere autem jure  
vel injuria seu transactione extorta posse jactant; damnum non  
pari, lucrum facere posse: quæ improbitas si quando detegatur,  
severè est punienda, nullo pauperum privilegio digna:

Quemadmodum verò litigantes laborant suis vitiis; ita & qui  
eis inserviunt, qui in litibus nihil curant præter bursam, ut &  
procuratores litium concinnatores, accipitres pecuniæ, mures  
alièna rodentes, cautelarum architecti, consiliorum inquisitores  
subtiles & detectores.

Succenturiantur & Notarii, quorum sæpè imperitiæ notæ ar-  
mamentaria sunt litigantium: pereunt contrahentium & testan-  
tium voluntates, dum sæpè clausulas, quarum vim ignorant, actui  
contrarias, aut à mente contrahentium alienas, instrumentis suis  
inferunt, sermonem ambiguum proferunt.

Iudicum etiam ignorantia, & qualitarum requisitarum defectus,  
litibus alendis subservit, dum ut æquum tollant, quum non di-  
cunt, casus pro amico fingunt, refingunt, neque pro diversis liti-  
gatoribus

gatoribus idem iudicant; vel non ausi offendere quemquam litigantium, multos ipsi ambages mæandrolque quærent, & in ipsis vitiligantes non excutiunt causas, avocant, inferioribus Iudicibus sine causâ inhibent, & negligentia suâ lites quasi veterno torpidas ad finem non propellunt aut ipsi ius dicere tergiversantur, incertas & ambiguo sermone plenas dictant sententias, ut Oedipo sit opus, novisque sportulis; aut ita festinant ut cæcos pariant catulos: omitto imperitiam & erudiri negligentium ineptiam, à quo spectant multæ passim hodie inferiorum jurisdictiones, glebis adscriptæ quibus præsidet ad stivam nati, & qui non nisi alieno iudicio sapiunt. Denique populus ipse aliquando litium est causa, quando longo usu & abusu consuetudines irrationabiles introduxit ac mordicus defendit, quibus irretiuntur litigantes, & difficulter iure salvo extricantur.

Atque his potissimum causis originem ac generationem accipiunt lites, aluntur, longævam vitam ac ferè immortalem accipiunt à tela & filo, quo ducuntur & producuntur in Nestoris annos: ordine inquam judiciario ac processu, in cuius vestibulis ac portibus tamdiu sæpè partes deambulant, ut pluries amplius temporis spatium infumant, quàm Iustinianus indulserit causis ipsis finiendis, earumque instantiis perimendis; tum quòd vel iuris ordo non servetur, vel scrupulosè nimis servetur, non amputatis omnibus ambagibus non necessariis ad lites contestationem, causæ statum ritè cognoscendum, definitivum calculum porrigendum, eiusque tandem executionem maturandam; tot subterfugiis, dilationum comperendinationibus & processuum gryphis intricantur lites, ut ex labyrintho Dædali citius evadas, & nodos Gerdios exsolvas quàm has araneorum telas.

Adeo ut altiùs iam progressum sit litium & fori malum, quàm ut curabile esse credatur. *Desinit*, inquit Seneca, *esse remedio locus, ubi quæ fuerunt vitia mores sunt.*

Nihilominus quod obtineri non potest omni ex parte, saltem quatenus potest, & quo se usque vires humanæ extendunt, habeatur, satagendum est; nimirum ut scaturigines obturentur, unde

unde lites exiliunt; & quæ eruperunt ita excipiantur, ut quàm minimo tempore vivere permittantur: unde ad illum finem idem R. D. Zypzus<sup>a</sup> prosequitur, præscribitque diversa remedia, ex quibus primum habet locum Patientia, quæ ea quæ vitare non possumus leviora facit; & ut Concionatores suis auditoribus sæpè inculcèt id quod habetur Eccl. 28. *Abstine te à lite & minues peccatum*; detestationemque litium in sacris sermonibus commendent.

Præterea ne potentiores aut sycophantæ transcriptis in se aliorum actionibus vexent, atque in primis Advocati aliique pragmatici cum litigatoribus quocumque modo paciscentes, sub eorumque umbra & nomine alieno per fas & nefas exagitant.

Deinde Iurisjurandi religione litigantes compescant, quod maximū dirimendarum causarum remedium Iustinianus appellat.

Remedium quoque fuerit, ut quem temerè adversarium suum in iudicium vocasse constiterit, damnatum omne & expensas reddeat. <sup>b</sup>

*Cephidus* accusator quidam acerrimus apud *Iulianum*, accusabat *Numerium* furti. cum autem obiecta deluerentur, tunc accusator irà percitus exclamavit: *Ecquis nocens poterit esse unquam, si negare sufficiet?* Tunc *Iulianus*; *Et quis innocens esse poterit, si accusare sufficiet?* <sup>c</sup>

Nec abs re foret, in usum revocari plus debito petentium, & in quibusdam causis, quæ fateri oporteat, inficiantium pœnas, & infamiam in actione bonæ fidei damnatorum: quorum hodiè tanta temeritas non esset si ex talibus iudiciis notandos sese, atque ne ad honores dignitatesque proveherentur impediendos, præscirent; multi potius transactionis alicuius periculum facerent, quàm atræ notæ aleam subirent: quod remedium est valdè notabile: & quia quorundam divitum ea est malitia, ut vel idcirco tantùm cum pauperibus aut tenuioris fortunæ hominibus lite cõtendant, quia eos pares esse sumptibus non posse sciunt; idcirco pauperibus actoribus & reis quoque est subveniendum à Iudice, ne  
ius

<sup>a</sup> D. lib. 7. c. 6.    <sup>b</sup> L. 1. ff. ad S. C. Jurisp. §. 2. Instit. de pœna temerè litig.

<sup>c</sup> Ammian. Marcell. lib. 18.

jus suum teneantur derelinquere indiscussum jussis Advocatis, scribis, procuratoribus, aliisque Iustitiæ ministris, ut gratis eorum causas amplectantur atque promoveant, quas justas repererint, recepturi mercedē vel à Deo qui sibi factum imputat quod vni ex minimis factum est; vel à Repub. si ita laudabiles ejus mores fuerint; vel à paupere, si ex lite victor prædam retulerit, vel aliàs ad pinguiorem fortunam devenerit: magnum hoc erit pauperum præsidium, & adversus copiosos homines potens remedium. non facilè pauperes lite aggredietur qui eos reip. sumptibus defendendos intellexerit. \*

Pergit Zypæus ad subsidiariorum vitia, ad officium Iudicis pertinere tradit Vlp. *b non dissimulare, si quos causarum concinnatores vel redemptores deprehendat. Si Iudex, inquit Iustinianus, c aliquam senserit malignitatem ab aliquo ministrantium fieri, expellat quidem auditorio suo eos, qui non cum utili opinione causis utuntur.* Incumbet ergo ei, ut procuratores, Advocatos, aliosque litium subministratos intra legum præscripta coërceat, ne cavillentur, ne lucro suo civilia illa bella serant aut gerant. & procuratorum ut hodie sunt ingenia, sæpè lucri causa, sæpiùs negligentia, multus sudat labor, in fuga reorum, in texendis dilationibus, proferendis in ferias, aliosque terminos, quibus condemnatio, quam ex longinquo vident, prorogetur: qui etiam actorum partes agunt, dilationes à reis petitas ita oppugnant, tanquam qui vivere nolint, utpotè salarium aucupantes in singulos terminos constitutum; & cum causam, litem, totumque negotium procurare deberent, vix aliud agunt, quàm ut terminos Iudiciarios observent; clientibus curam & sollicitudinem causæ, eos frequentandi necessitudinem relinquunt.

In Advocatis porro cavere etiam Iudices convenit iureiurando, in singulas causas *d* si videbitur exacto, ne causæ improbæ patrocinetur, sive ab initio, sive postquam progressa lite talem deprehenderit: sed neque vana spe fallant litigantes, ac verbositate nimia utantur: ferè enim accidit ut dum in causis multa dicuntur,

\* Vernulcius Instit. Polit. lib. 3. cap. 8.

*b* L. 9. §. 2. ff. de Offic. proconsul.

*c* Auth. de Judi c. 7.

*d* L. 14. §. 1. de Jud.

de paucis iudicetur: cui rei valde nocet hodiernus usus Advocatorum, salaria pro numero pagellarum taxandi, ac si ignobilis pictoris tabulas æquo cum Apellis pretio æstimes: sed de his latius Thuld. <sup>a</sup> & inferiùs dicetur, quando agetur de aliis vitiis & abusibus.

Et ut ad Zypzum redeamus, pertinet summam ad Iudicem, ut cuique liti brevissimus cursus detur, satagere; ut fomenta & occasiones litium tollantur, & quicquid est remoriarum: secundum leges ipsæ saltem dirigantur & dirimantur secundum communem legum ratione nixam interpretationem.

Officium non nundinatione aut ambitu adeptum, non malis artibus quæsitum, melioribus exæquatur; ex forma iuramenti regat, consulat, iudicet: Omnes quidem Deum ipsum Iudiciis suis interesse sibi persuadeant; illum solum & Iusticiæ præcepta præ oculis habeant; ab eo pœnas sibi imminere etiam illi credant, qui nulli hîc rerum gestarum dare rationem tenentur.

Alii porro meminerint se vel ad syndicatum vocandos, vel alias ad pœnas injustè per sordes vel malitiam iudicantium: Improbi scilicet ut cingulo exuantur, & honore priventur. <sup>b</sup> sed & qui officio defuerint, emolumentis, quæ ex eo acquisierint, spolientur.

Inter monita ad lites extinguendas & Iudicia emendanda, non infimum habet locum nimis ad superiores Iudices provocandi licentiæ restrictio: provocatio enim talis plerumque est ingeniorum Iusticiæ non parentium, adeoque omnino legibus & pœnis coercenda.

Nec alicui permittitur sit ab ea sententia quæ modum liti præscribit, non finem ponit (interlocutoriam appellant) provocare: quippe multi ut justiciam fugiant, provocatione utuntur; & non raro ut reum fatigent, ac nimis sumptibus ad jus suum deferendum cogant.

Cùm autem, ut dicit Vernuleius, <sup>c</sup> summæ imprudentiæ sit, dubio litis eventui ac quasi fortunæ arbitrio id committere, quod componi

<sup>a</sup> Lib. 4. c. 11. de Corrupt. Judic.    <sup>b</sup> L. Iudices. C. de Dignit. lib. 12. & Zyp. d. l. Polit. lib. 3. c. 8.    <sup>c</sup> L. Iudices. C. de Dignit. lib. 12. Et Zyp. d. l. Polit. lib. 3. c. 8.

componi per concordiam potest ; expedit constitutum esse in omni repub. ut litigaturi non prius ad Tribunal admittantur quam rem omnem controversam componere inter se, aut viri alicujus boni æquo judicio tentarint : etenim verissimum est quod vulgò fertur.

*Macra concordia melior est pingui sententia :*

At quia non rarò fit , ut ex inuata quadam arrogantia, vel ne de causa desperare videantur, nec reus nec Actor postulare concordiam velit ; ideo publica Authoritate constituendi sunt aliqui publici Arbitri, litiumque compositores. Nec fas esse ulli debet euiquam litem movere, nisi prius coram publicis Arbitris de re controversa cum adversario contenderit , ut tum prius Iudices conveniantur cum nulla concordiaz spes est.

Pro litium diminutione remedium quoque foret ex immensa diffusaque legum copia, optima quæ quæ & necessaria in paucissimos libros conferre ; aut Cæsar aliquis communes Iurisc. opiniones in breviarium seu Corpus aliquod ad instar Novellarum redigeret, & hanc vel illam sententiam in Iudiciis sequendam determinaret : siquidem quò plures sunt leges, hoc major litium fœtura.

Id quod ipsa Gallia satis ostendit, ut quæ cœteras Europæ partes superat litium varietate atque multitudine, quæ potissimum incrementum acceperunt, cum *Carolus VII.* qui omnium primum, deinde cœteri, legum farragines ad Iustiniani exemplar scribi iusserunt.

Præterea si ad instar Caroli noni Galliz Regis judicarium vœtigal institueretur, ut quicumque litem intenderet, dependeret in Fiscum regium duos aureos, recipiendos si jure litigasse iudicatus esset ; sin perperam, relinquendos.

Plura invenientur remedia infra Lib. 2. c. 7. in fine.

*Introitus facilis, gravis exitus, & labor intus,*

*Dicere me faciunt, quod lites sint labyrinthus :*

*Hanc vitam vita, si vir sis Israëlitas*

*Mors est, non vita, vivere semper ita.*

C A P U T III.

*Quàm arduum & horrendum sit munus  
Iudiciale.*

**I**udex dicitur quasi Ius dicens populo : erant autem initio Iudices Principes populi, qui extraordinariè & in necessitate à Deo suscitabantur, eo fine ut populum à servitute & de manu hostium liberarent; unde & *Salvatores* dicti sunt. <sup>a</sup> *Clamaverunt ad Dominum qui suscitavit eis Salvatorem & liberavit eos: & b* *dedisti eis Salvatores, qui salvarent eos de manu hostium suorum: Tamen si enim Deus fuerit primarius Salvator, c* tamen *Judices* erant *Secundarii* & subordinati, ut notat August. <sup>d</sup>

*Clamaveruntque gladius Domini & Gedeonis* : ubi Deo tribuitur *primarium officium*, *Judici* *secundarium*: eratque *primarium* istorum apud *Iudæos* officium, ferè ut *Dictatorum* apud *Romanos*, *bella* apud *hostes* gerere; nihilo tamen minus etiam populo *Ius* dicebant, eratque hic *magistratus perpetuus* seu ad vitam; *Monarchicus* quidem, sed magna ex parte etiam *Aristocraticus*. à *Iosepho* nunc *Archontes*, nunc *Monarchi*, nunc *Imperatores* vocantur: *f*

*Iudex* etiam definitur, quod sit *vir bonus*, *ad id muneris publicæ Auctoritate vocatus*, *Iuris dicendi & æquitatis statuendæ peritus*. <sup>g</sup> *Vir*; non *foemina*: sed utinam inter *Judices* & *Magistratus* non fiat *foemina*; *quidem refert*, (ait *Arist.*) *utrum mulieres ipsæ gubernent, an eos, qui gubernant, à mulieribus gubernari?*

*Bonus*: qui scilicet exequens est officii sui, neque particulari abutitur, nulliusque expers vitæ.

*Ad id muneris publicæ auctoritate vocatus*, ut constet *Iudicandi* *munus*, *publicum esse & origine & Antiquitate: Vocatus* *citra* *Ambitus* *suspicionem*, & *sine munere promotus*.

F

*Juris*

<sup>a</sup> *Judic. c. 3. 9.*    <sup>b</sup> *2. Egl. 9. 27.*    <sup>c</sup> *1. Reg. 14. 16. 39.*    <sup>d</sup> *q. 18. sup. Judices.*  
<sup>e</sup> *Jud. 7. 18.*    <sup>f</sup> *Ex Tirino lib. Jud. c. 2. Joseph. lib. 55. 2. & 9. & lib. 11. c. 5.*  
<sup>g</sup> *Cantiuncula, de off. Jud. Lib. 1. c. 1.*



*Iuris dicendi & æquitatis statuenda peritus*: In Iure controverso quod æquum & bonum est constituendo; in Iure certo constanter & probè pronuntiando: quomodo ergo erit Iudex, *si non est in eo iusticia*. C. forus 10. §. *de Verb. signif.* hic cum Iustitiæ sit antistes, atque hoc officium sit Regium: Rectè Plato Iudiciariam legis custodiam, Regis, cuius est legem dare, pedissequam rationatur: Cum autem Principes singuli, tot litigiis, rebusque in populo subinde emergentibus, sufficere haud queant, viros sapientes, non minùs veritatis quàm pietatis amatores, & qui ab avaritia sint alieni, deligunt, controversiis dirimendis, Iustitiæque distribuendæ præficiunt. Id quod sacrum quoque Moysen fecisse, monente Raguele optimi iudicii viro, sacrae historię testantur. \*

Etenim quando Iethro Moysen convenit, eumque tribus virorum millionibus, eorumque negotiis vidit intricatum *sedentem Iudicem*, eorumque causas expediturum, ait: *Ultra vires tuas est negotium, solus non poteris illud sustinere: provide de omni plebe VIROS POTENTES, & TIMENTES DEVM, IN QVIBVS SIT VERITAS, & QVI ODERINT AVARITIAM, & constitue ex eis Tribunos & Centuriones, qui iudicent populum omni tempore: quidquid autem manus fuerit, referant ad te.* Nota, inquit Cajetanus, quas requirat qualitates in Iudice:

Primò, *Viros potentes*, non mulieres; viros valoris; viros virtutis, qui non timeant vultum potentis.

Secundò, *Timentes Deum*, honoris Dei zelosos.

Tertiò, *In quibus sit veritas*, id est sapientes, qui veritatem loquantur, tractent, sciant & intelligant.

Quartò, *Qui oderint avaritiam*, mundis auro manibus. His conditionibus præditi, Iudicis obligantur coadjutores; nec ipse etenim Iudex, quantalibet sapientiâ præditus, omnibus satisfaciendo est. Hanc tamen fervent conditionem, *quidquid autem manus fuerit referant ad te*: si quando eis casus aliquis gravior aut intricatior obvenerit, qui scientiæ ipsorum superet capacitatem, referant ad superiorem. Hos quoque Iudices sacra pagina *Deos* Vocat, quia Dei loco ponuntur ad dirimendum litigiâ; nam Iudicium istud ad

Deum:

\* Exod. 18. & Deut. 1.

Deum pertinet: & quia *Deus* non communicat tali modo cum hominibus, tradit iudicium hominibus, ut quidam per alios iudicentur, tanquam *Deus* iudicaret. sic enim dicitur Deuter. 1. c. *Non accipiatis cuiusque personam, quia Dei iudicium est*, id est, estis positi loco Dei. Rectè ergò *Deus* dicitur, qui vices Dei gerit in aliquo, & sic vocantur Iudices Dii in c. 12. Exodi, cùm dicitur. *Quod si dixerit servus diligo Dominum meum &c. Offeret eum Dominus Deus*; id est Iudicibus. Quid quod Iudicium etiam dignitatem, Iudiciorumque maiestatem commonstrat ipse *Deus*? qui primus ea exercuit & exercebit ultimus. etenim *Deus* transgressum iussa sua Adamum vocavit, audivit, damnavit. denique omnes à mundi origine nati homines, & usque ad eius interitum orituri expectamus terribilium illorum præconum Tubas, & ultimum divini Numinis iudicium. <sup>a</sup>

*Rex Theodoricus* scribens *Eugenio*, magistro Palatii: ait, *Esto innocentia templum, sacrarium temperantia, ara iustitia: Innocentia* scilicet templum, nemini noceas, aut iniuriam irroges; sed omnibus ius suum tribuas: *Sacrarium temperantia*, ad refrænandam avaritiam, & concupiscentiam. *Ara iustitia*, in qua incessanter sacrificetur iustitiæ. <sup>b</sup>

Talis erat *Timothæus* iudex, quem *Isidorus Pelusiota* vocat, *pu-dicitia & temperantia delubrum, prudentia sedem, fortitudinis ar-cem, Iustitia metropolim.* & *Architas* dicebat Iudicem & aram, idem esse utrumque miserorum Asylum.

Sed heu! iam terras *Astræa* relinquit: & ut *Tertullianus*, *Iustitia rarefcit, & iniquitas increbescit*, O quàm benè conveniret Iudicibus, quod *Isidorus Pelusiota* discipulus *S. Chrysoft.* <sup>c</sup> monet *Antiochum*: *Quoniam Imperii minister es, in id incumbere, ut Iustitiam in mörbum lapsam, imò etiam extremos spiritus edentem, confirmes.*

*Iosaphat* Rex Iudæ constituit Iudices retræ, præcipiens eis: *Videte quid faciatis, non enim hominis exercetis iudicium, sed Dei &c.*

*Et quodcumque indicaveritis in vos redundabit. sit timor Domini vobiscum, & cum diligentia cuncta facite: non est enim apud Domi-num Deum iniquitas, nec personarum acceptio, nec munerum cupido.* <sup>d</sup>

Quæ etiam inauratis litteris in Iudicum Tribunalibus curabat inscribi, ut sciant se non hominis, sed Dei exercere iudicium: nec enim frustra prudentem Iudicem titulo humani Dei honorat Plato: *Vbi sapiens, ibi est Deus in humano corpore.*

Caveant igitur Iudices (sib. quorum nomine possunt comprehendere Consularii, Magistratus, Scabini, Adfessores, Diceces, quoniam verbo uici possunt omnes Provinciarum Præfecti, quos Baillivos, quos Senescalcos, Præpositos, &c. vocamus) ne Legum ipsi administrari suam facere gratiam sustineant, quæ non hominis est, sed æquitatis & clementiæ Iuris, alioqui gratiam inane inuenientes ab hominibus, offensam suam facient in iudicio Dei. in rebus enim criminibusque Iudicandi Iudices, non humanitus gratiam inire debent, sed diuinitus, si quidem nomine suo digni sunt. "

Oportet quoque bonum Iudicem semper præ oculis habere Deum Iudicem, ut iudicet aliis, sicut vult & expectat ab eo iudicari. Quare Isid. <sup>b</sup> inquit: *Judex sicut nocere cuiuslibet novit, ita prodesse omnibus novit: aliis enim præstat censuram iniustitiæ, aliis bonitatem iudicii, sine personarum acceptione suscipit omnia. Nec infirmat iustitiam avaritiæ flammâ, nec studet auferre alicui quod sibi placeat.* Iudices iustitiam ad solam obtinendam Iustitiam æternam suscipiunt, ut dum de iudicio temporali ad temporalia lucra non appetunt, premio æterno ditentur. Et dum Dei iudicia oculis suis proponunt, semper timentes trementisque in omni negotio formidant, ne de Iustitiæ tramite deviantes cadant, ut vnde non iustificentur, inde potiùs condemnentur.

*Audite Reges, & intelligite Iudices, Sap. 6. c. præbete aures, qui continetis multitudines in plateis urbis in turbis nationum, quoniam data est à domino vobis potestas & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur; quoniam cum essetis ministri Regni illius, non rectè iudicastis, nec custodistis legem Iustitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis, horrendè & citò apparebit vobis quoniam iudicium durissimum his, qui præsumunt, fiet: exiguo enim conceditur misericordia, potentes autè potenter tormenta patiuntur.*

Ac.

<sup>a</sup> Bud. in Forea.

<sup>b</sup> De sum. bono lib. 3. c. 14.

Ac si vellet dicere, quòd si perversè in iudicio Iudex se gesserit, illi pœna incumbet: *Quodcumque iudicaveritis in vos redundabit.*

Audite ergò Reges, & intelligite Iudices terrarum. Vos, quibus mundi Imperium, & gloriamini in multitudine gentium, quæ vobis patent, *Aures erigite*, potestatem vobis à Deo omnem esse. Hæc autem opera vestra & intima cordis examinabit ac scrutabitur; non enim divinæ voluntati neque Iusticiæ legibus iudicium vestrum conforme fuit, horrendè & citò apparebit vobis.

Parvulis misericordiam præstabit, potentes verò potenter tormenta patientur. Hæc à Spiritu Sancto verba procedunt, quæ Reges & Iudices altè acberent memoriæ mandare.

*Quod si speculator viderit venientem & non insonuerit buccina, & populus se non custodierit, veneritque gladius & tulerit de eis animam, ille quidem in iniquitate sua captus est; sanguinem autem eius de manu Speculatoris requiram.* verba hæc sunt Ezechielis Prophetæ c. 33. quæ Fabri etiam adducit pro sæcularibus Superioribus. <sup>a</sup>

Sanctus autem Chrysoströmus, *Mirror*, inquit, *si quem ex his qui obissent principatum contigerit salvari in tanta eorum desidia, & in tot Dei adversus eos comminationibus.* <sup>b</sup>

Rex Iosaphat ut dictis incommodis occurrat, suo adest consilio; ut videlicet in ferendis sententiis timorem Domini sibi inseparabiliter Iudices associent, in verbis, *Sit timor domini Vobiscum.* Nam ut ait D. Chrysostr. <sup>c</sup> & D. August. facile impingit, qui in iudicando *Dei timorem* sibi non præfigit.

Refert Plutarchus lib. 1. Moral. Thebanos solitos esse in Cancellariis suis depingere seniores aliquot, debito inter sese ordine sedentes; unum autem, qui digniori loco constitutus cæteris præfideret; omnes quidem manibus truncos, sed defixis in cælum oculis: volentes indicare, Iudicem sibi semper præsentem *Deum* constituere, eundemque timere & revereri debere.

Refert Lobberius <sup>d</sup> Constantinopoli, eo loci ubi Principes provinciarum ius dicunt, supernè videri Imperatoris suggestum; quòd veluti per Cancellos spectare & audire possit, quid rerum in camera

<sup>a</sup> In supplemento Dominica Septuag. <sup>b</sup> In Ep. ad Hebræos. <sup>c</sup> Serm. S. Joan. Baptistæ. <sup>d</sup> In Spec. Eccles. c. 6. §. 7.

mera agatur: ex qua persuasione fit, ut qui juri dicendo præsumt, semper anxii trepidique consistant, quasi in oculis & auribus Imperatoris constituti. Si ad continendos Animos & æquam justitiæ lancem tantum afferre potest imminens unius Principis, etiam mortalis, oculus; quantum æquitatis accedere poterit, si judicis oculo, auribus, animo, semper incubuerit, vigil, apertus, explicatus divinæ mentis oculus, in cujus luce solè que patescit forum omne, explicantur lires quantumvis obicura & intricatæ, aperiuntur consilia, ac judicia, & quisquis est occultus sensus animorum.

Æthiopes feruntur in Senatu Cathedram excelsam statuere, eamque vacuam, quasi in ea resideret Deus Iudicii arbiter & moderator, quem proinde Senatores omnes in ferendis sententiis intueri imitarique debent.

At sicut Reges & *Judices mali* crudelius cæteris punientur, sic Reges & *Judices boni* gloriosius remunerabuntur; vnde proverb. 29. *Rex qui iudicat in veritate thronus eius in aeternum formabitur.*

Nicolaus Remigius in Dæmonolatria<sup>a</sup> refert, diversas *sagas* nominatim, quæ confessa judicialiter fuerunt, quod non obstante quod Dæmones, & ipsæmet *sagæ* infirum habent odium contra *Judices*, & in eos, qui leges in veneficos exercent, quodque nullis mortalium tam libenter infidari appetant, quam prædictis, qui ipsas per suppliciorum pœnas prosequuntur, nihil tamen ipsis in illos liceat, frustra que aliquid ad vindictam contra moliantur aut incipiant.

Ecce ut Deus saram tectamque præstat auctoritatem iis, quibus in terris suum demandavit imperium, *Deosque*, ut supra dictum est, vocavit: Agnoscant boni Iudices & Magistratus se ei vocationi inservire, in qua Deum propugnatores defensoremque habent, ac ut ipsi factis suis tanto nomini ac muneri respondeant.

Et quamvis Iudices procedentes contra Criminales præpurgent Rempublicam, & satisfaciant officio suo & vocationi; sic enim Apostolus loquitur de magistratu<sup>b</sup> *Non sine causa gladium portat, Dei enim minister est, vindex in fratri illi qui male agit.*

Ita

<sup>a</sup> Lib. 1. c. 2.<sup>b</sup> Ad Roman. 13.

Ita quidem ut si contra bonum commune omittant punire reos sine legitima causa, gravissimè peccent, & criminis participes fiant. <sup>a</sup> tenenturque ad restitutionem omnium damnorum quæ inde vel in rempub. vel in privatos redundant. <sup>b</sup>

Quin imò omittentes punire nocentes, Deo permittente quandoque morte puniri legitur. ut de Saule 1. Reg. 15, de Achas 3. Reg. 20. & Philippo patre Alexandri, quia Attalum obstuprum illatū Pusaniz eo petente non punisset. <sup>c</sup>

Est tamen procedendum contra maleficos, & in malos inquirendum ut è vivis exturbentur ita cautè & circumscriptè, processusque tam discretè instituendi, iuxta præscriptum legum & prudentis rationis, ut iis servatis non sit periculum ne boni & justique quoque attingantur, periculumque nullum secum trahant innocentes quoque puniendi.

Etenim olim in Veteri Testamento Abraham dum cerneret Deum in Sodomitarum necem, licèt justam, accinctum, ut ab innocentum cervicibus cladem averteret, omnibus impunitatem orare ausus est: *Abstine à te, inquebat, Ut rem hanc facias, & occidas cum Impio iustum, fiatque iustus sicut impius, non est hoc tuum qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc.*

Quam sententiam ipse Deus secutus, urbi impunitatem adjudicavit, si in tam ingenti munero, vel decem solùm iusti interfuissent.

Deinde in novo testamento ita legifer noster Christus manifestè præscribit: <sup>d</sup> dicebant servi Patrifamilias, *Vis imus & colligimus zizania? respondit ipse, Non, ne forte colligentes zizania, eradicetis simul & triticum.*

Vbi notandum, non dici solùm, *ne eradicetis*, sed adiungi quoque particulam, *ne forte eradicetis*; ut ostendat duo se docere, nimirum imprimis abstinendum ab extirpatione zizaniorum, si simul evellendum sit triticum; quod indicant verba illa, *ne eradicetis*.

Deinde verò abstinendum si vel eradicandi tritici sit periculum

<sup>a</sup> Text. c. 1. de Offic. & potest. Jud. deleg.

<sup>b</sup> D. C. & D. Thomas 2. 2. q. 26.

<sup>c</sup> Q. Curtius in Supplem. lib. 1. & Zech. de principe lib. 1. c. 6. <sup>d</sup> Matth. 13.

lum. quod indicat adiuncta particula, *ne forte eradicetis*: eni-  
verò cum omnia scandala de mundo tolli non possunt, permit-  
tenda sunt multa quæ commodè emendare non licet: *Præstat enim*  
dicente S. Augustino *quædam palea cum frumento trituratur,*  
*ante tempus ventilationis tollere potius propter bonos commixtionem*  
*malorum, quam violare propter malos charitatem bonorum*; estque sa-  
tius triginta nocentes dimittere, quàm vel unum innocentem  
plectere.

Proinde cum apud Magistratum de extirpandis zizaniis ferven-  
ter & zelosè quidam agere volent, id semper unà addât, ac sincerè  
moneant cautionem hanc quam maximè adiungendam esse, qua  
ab ipso tritico Zizania hæc accuratè distinguant, atque omne peri-  
culum avertant à cervicibus innocentum, adducatur parabola  
prædicta; nec enim tam Iusticiam colibeat, quàm formabit:  
neque enim hæc eo videre censeri debet, ut gravissima crimina  
in repub. maneat, & Iusticia retardetur: neque volumus delicta  
manere impunita: nec etiam supradicta parabola docet simplici-  
ter sinenda esse zizania, sed sinenda esse tum cum est periculum  
ne simul triticum evellatur; & insinuat iis qui ad purgandum  
Reip. agrum se accingunt, ut de circumspèctione moneantur, ac  
ne nimis acri fervore subinde aliquantò longiùs quàm oporteat  
in rebus arduis provehantur, & quod in extirpandis Reip. zizaniis  
plene removenda sint, quæ morale & frequens periculū invehunt  
simul evellendi tritici. vel enim hoc *Præceptum* est Christi, vel est  
*Consilium* dumtaxat: si *præceptum* quando est in materia valde  
gravi, graviter luet qui transilierit: si *Consilium* autem, caveat qui-  
cumque est ille Magistratus, principes vel Iudex, qui *Consiliarium*  
hunc non admittit cum ullum admissurus sit.

Sint ergò Iudices qui in negotiis talibus adhibentur, ad id munus  
tanti ponderis & tam *Arduum ac horrendum* idonei, quales erunt,  
si apprimè docti, prudentes, probi, misericordes, mansueti fuerint,  
ne quid scilicet vel imperitè, vel improvidè, vel malignè, vel  
crudeliter agant: caveant quoque ut imperitiæ se non iungat co-  
mitem impetus & affectus, quo sane multi non carere deprehen-  
duntur,

*a* Contra litteras Potiliani lib. 3. c. 5.

duntur: sint autem tales qui iuxta dictamen non solum legum, sed etiam naturalis rationis, dum res non aperte manibus tenetur, pro se seu accusato potius quam contra eum inclinent.

Licet verò posset iustitiæ hic zelus esse & velut ardor virtutis, absit tamen ut tam immoderatum quid virtus habeat, quæ non nisi inter eam lineam, quam lex & ratio direxerit, exercere viam suam solet: consulant Theologos, & invenient in humano sanguine ludi non posse, nec capita nostra esse pilas, quas pro libitu leviter temereque iactare liceat, ut nunc quidam facere videntur cum ad levissimum quemque suspicionis rumusculum ad adeo periculosas torturas profiliunt, & quidem illos etiam in quæstiones vocant, quorum apud omnes probitatis & integerrimæ vitæ fama ex gravissimis indiciis elidendis sola sufficeret, cum tamen ad torturam veniri non debeat nisi indicia valde accedant ad probationem plenam, & cum nihil deesse videtur ad plenam certitudinem, quam sola rei confessio. textus est clarus, a cuius sunt verba, *Ad tormenta servorum ita demum veniri oportet cum suspectus est reus, & aliis argumentis ita probationi admovetur ut sola confessio servorum deesse videatur.* ubi nunc quod in Iure metus torturæ æquiparatur? quodque gravissimi Auctores hunc solum incuti sufficere putant? miserrimam hanc judicialium quæstionum praxim piè & christianè plangit D. Augustinus, b cuius sunt verba: *Quid cum in sua causa quis torquetur, & cum queritur utrum sit nocens, cruciatur, & innocens luit pro incerto scelere certissimas pœnas: non quia illud commississe detegitur, sed quia non commississe nescitur, ac per hoc ignorantia iudicis plerumque est calamitas innocentis: & quod est intolerabilius magisque plangendum, rigandumque si fieri posset, fortibus lacrymarum, cum propterea iudex torqueat accusatum, ne occidat nesciens innocentem, sit per ignorantia miseriam ut & tortum & innocentem occidat, quem ne innocentem occideret, torferat. si enim secundum istorum sapientiam delegerit ex hac vita fugere, quàm diutius illa sustinere tormenta, quod non commisit se commississe dicit, quo damnato & occiso utrum nocentem an innocentem iudex occiderit adhuc nescit: quem ne innocentem nesciens occideret torset, ac per hoc innocentem ut*

G

sciret

a L. 1. ff. de Quæstionib.

b De Civit. Dei lib. 19. c. 6.



*sciret torset; & dum nesciret occidit. sic ille.*

Viderint ergo Iudices *arduum & horrendum* suum statum: imus omnes ad æternitatis tribunal, ubi si de quovis verbo otioso explicanda sit ratio, quid par est de humano sanguine æstimare?

Attendenda proinde & sequenda pro securitate nonne fuerit laudabilis quorundam iudicum & iudiciorum praxis, qui iudicia unius & alterius academix examini submitunt, earumque sententiam amplectuntur; neminem ut in equuleum conjiciant, cui non illæ torturam decreverint: tutius est id in re periculosa, cui nulla sat magna adhiberi diligentia potest: neque autem opus est recurrere ad quamlibet causam vel torturam in particulari, quia multæ iisdem iudiciis nituntur; & ex paucis de multis iudicari potest. etsi etiam mora aliqua per hoc injiciatur, quid inde, dum tanto tutior evadat? an igitur moram malunt adversarii, quam periculum vitare?\*

Denique considerare debet officiatuſ, Iudex, aut in Magistratu constitutus, quod oporteat legem ipsam tanquam Deum ante oculos semper habere; se verò non legis Dominum, sed fidum interpretem diligentemque ministrum existimare, in qua quidem administranda, delicta æquitate quadam & sine perturbatione puniat, virtutibus absque invidia pro dignitate præmia reddat; neque proprium cogitet, sed commune; neque proprio confidat ingenio, sed senes pios prudentesque viros in omnibus consulat; memineritque tutorem se publicum civitatis, & se à Deo, dum ipse homines iudicat, iudicari: istud quoque apud illum maneat alta mente repositum; *Vos quibus rector maris atque terra ius dedit magnum necis atque vitæ, ponite inflatos tumidosque vultus; quidquid à vobis minor extimescit, maior hoc vobis dominus minatur.*

Coram Sigismondo Romanorum imperatore cum gloriabundus quidam eques urbános Magistratus parvi faceret, tribunosque militum laudibus in cælum tolleret; *Tace,* inquit Imperator; *nulla nobis, ò Thraso, militiæ opus esset, si suas civitates quique Prætores, ceterisque Magistratus moderatè iusteque gubernarent.* Sensit autem ubique terrarum pacem tum fore, si Magistratus leges defenderet,

& omni

& omni tempore & loco diligenter suum expedirent officium: <sup>a</sup>  
 Sine justitia enim nihil commendabile, quæ fulcrum est civitatû,  
 cujus contemptu cæteræ virtutes contemnuntur, unde Seneca:

————— *Ubi non est pudor*  
*Non cura iuris, Sanctitas, pietas, Fides,*  
*Instabile regnum est.*  
*Absque illa principatum ipsum gerere*  
*Ne Iovem quidem ipsum posse, ait Plutarch: <sup>b</sup>*

C A P U T IV.

*Quæ sint in sentiendo partes Iudicis, & quomodo  
 Iudicandum.*

**C**AUSA vocatur à casu, quo venit. Est enim materia & origo  
 quæstionis nondum discussionis examine patefacta, quæ cû  
 proponitur, *causa* est; dum discutitur, *Iudicium* est; dum finitur,  
*Iustitia* est. Differt autem Iustitia à Iudicio, quia Iustitia est habi-  
 tus, secundum quem iusta volumus, iusta agimus, & iustorum su-  
 mus operativi:

*Iudicium* autem est ipsa operatio Iustitiæ, iudicando vel eligen-  
 do; seu Actus rationis practicæ, determinantis, quid oporteat eli-  
 gere, & pertinet ad prudentiam, quæ vocatur *Enmesia*, sicut Con-  
 siliarii secundum partem suam, quæ vocatur *Eubolia*.

Iudicium, ut dicit Ioannes Casus, <sup>c</sup> est veluti itæra æquitatis,  
 vox Legis, omnisque contentionis ac litis consummatio: & si  
 brevius definiri velis, *est de omnibus quæ in ius vocantur ipsius Iusti-  
 tiæ expressa conclusio:*

Aliquando accipitur *Iudicium* pro ipsa exhibitione Iustitiæ, scili-  
 cet pro actu imperato à Iustitia; nam Iustitia est, per quam iusta  
 facimus, ut supra dictum est, aut constans & perpetua voluntas  
 reddens unicuique quod suum est, ut patet ff. de Iust. & Jure.

G 2

Ille

<sup>a</sup> Æneas Syl. lib. 4. Comment. de reb. gest. Alph.

<sup>b</sup> Lib. 1. de Doct. princip.

<sup>c</sup> In Sphæra civit. Lib. 4. c. 16.

Ille ergò actus, qui est reddere unicuique quod suum est, vocatur *Iudicium*.

Tertio modo accipitur *Iudicium* à priori vel à posteriori.

A priori quidem, quia ipsa lex per iudicium rationis facta est: nam ad condendam legem requiritur prudentia politica in legislatione.

A posteriori vocatur lex *Iudicium*, scilicet ab actû judicandi, qui per eam fit: nam Iudices debent sequi in iudicando leges positas, & non inniti sensui vel prudentiæ suæ, ut patet §. *De constit. c. Canonum Statuta: Testat. Exodi c. 21. 1. 3.*

Et sicuti Iudex in Iudicio non debet accipere personam alienam, uti latius infra dicitur; sic etiam nec suam: neque propriam sequi opinionem, ne dicam phantasiam, sed illam, quæ legibus & auctoritatibus plurimorum famosorumque Iurisperitorum est roborata, ac secundum allegata & probata iudicare, *argumento l. Illicitas. §. veritatis. ff. De off. Præs. l. fin. C. De panis Iud. qui malè iud. l. ibidem DD.* & si semel permiseritis Rempubl. capessentibus, ut iniquè & contra Leges agant, & præfinitum Ius despiciant, inquit Demosthenes: necesse erit nos omnes illorum improbitatis incommodum capere, qui hanc urbem incolimus. Quemadmodum enim ex erratis, quæ in navibus inter navigandum contingunt, si quis præsertim nautarum peccet, leve aut parvum adfert damnum; verùm si Gubernator aberret aut delinquat, omnibus simul navigantibus commune infortunium ac periculum struit: ita privatorum hominum delicta non in plebis, sed in ipsorum incommodum referunt. Magistratum autem & Rempubl. administrantium peccata (& perperam iudicata) in vos omnes sparguntur.

Nec licet Iudici pro credulitate vehementi, aliquem condemnare; imò etiam si constet illi ex visu, aliquem esse criminis, dum tamen non convincitur testibus, nec confessione sua, non licet Iudici illum condemnare, & peccaret gravissimè condemnando. *Iuxta Testat. 2. Paralip.*

*Nec tibi sit temerè quemquam damnare facultas,  
Nulla tuis oculis est adhibenda fides.*

Nam cum Iudex publicâ auctoritate utatur, & non privatâ, non habet iudicare secundum ea, quæ sibi sunt nota, ut privatæ personæ, sed secundum ea, quæ sibi nota sunt ut personæ publicæ; alioquin Iudex simul esset & accusator: *¶ Sententia ferè creditur dari, non quia non sit debitor vel reus, sed quia non est probatum talem illum esse.* <sup>a</sup>

Hinc & D. Puteanus <sup>b</sup> ait: *Dividi sententia nequit, nisi ut iudicium, fluctuet.*

*Dividitur autem, quando à petitione actoris iudices recedunt: diversum quoque, quoties recedunt, iudicaturi.*

*Petuntur viginti mina: debentur decem: qui absolvit non simpliciter absolvit, quasi nihil debeatur, sed quia non debetur quod petitur.*

*Ad petitionem igitur, non ad veritatem sententia referenda est.*

Proinde etiam condemnans Iudex Innocentem, quem constat illi esse talem, licet secundum allegata & probata nocens probetur, debet intra se dolere; & talem non occidit ipse, sed qui testificantur. <sup>c</sup>

Nec etiam acquiescit plurimorum sententiæ, ut deviet, quia dolet Iudex se omisâ propriâ sententiâ debere sequi alienam: quam esse unam ex miseris Iudicum significat *S. August. lib. 19. de Civit. Dei c. 16.* agens de Tortura, cum dicit, ignorantiam Iudicis plerumque esse calamitatem innocentis. Non enim, inquit, hæc facit sapiens Iudex nocendi voluntate, sed necessitate noscendi; & tamen quia cogit humana societas, etiam necessitate iudicandi.

Debet verò Iudex, qui novit innocentiam accusati, adhibere omnem diligentiam, quam putat profuturam liberationi innocentis: ad quem finem tres sunt, viz, quibus conari adipsum potest.

• Prima, ut tam diu & tam exactè testes examinet, donec eos convincant contradictiones; & hoc facile est scienti subtilitates Iuris.

Secunda

<sup>a</sup> Costal. l. ult. ff. de Jurejur.  
<sup>c</sup> Tostat. tom. I. fol. 406.

<sup>b</sup> In Aphorismis Civilis Doct.

Secunda, ut reum remittat ad superiorem Iudicem, & ipse inferior Iudex induat personam testis, iuretque se scire certò innocentiam eius: fortè enim supremus Iudex, qui potest etiam nocentibus aliquando vitam condonare, credet inferiori Iudici potius, quàm aliis testibus.

Tertia est, ut occultè & absque scandalo procuret relinqui apertum carcerem, & ita consulat innocenti per fugam.

Sed non æquè certum est, an quando nulla patet via, quâ liberetur innocens, qui per testes probatur nocens, possit Iudex eum condemnare, an potius debeat dimittere officium, & quidlibet pati? Tres desuper sunt sententiæ.

Prima est, numquam licere damnare innocentem, sibi talea cognitum, sed potius debere officium & vitam perdere, sive hoc modo liberandus sit innocens, sive non: *Panormit. & Calderinus in c. pastorabis. de off. Iud.*

Secunda sententia est Adriani, *Quodlibet. 6. qu. art. 3. & aliorum Jurisperitorum in l. à Divo Pio ff. De re iudic.* qui docent in causis civilibus & minoris momenti, verbi gratiâ, pecuniariis, exilii, privationis officii, aut beneficii, licere damnare innocentem, probatum nocentem; sed non in criminalibus, quibus agitur de infligenda morte, vel mutilatione.

Fundamentum eorum est, quia damnare innocentem ideo malum est, quòd fiat illi Injuria: at si condemnetur in civilibus, dicto casu non fiet ei injuria, quia respublica, penes quam est auctoritas disponendi de fortunis suorum civium prout expedit communi bono, consentit, ut hoc casu condemnetur innocens secundùm allegata & probata, propter publicam pacem. In criminalibus verò semper fit injuria innocenti, quia cum nullus præter Deum sit Dominus vitæ & membrorum, non potest consentire, ut sic judicetur.

Tertia sententiâ est, licere damnare innocentem probatum nocentem, etiam in criminalibus, quando Iudex adhibitâ morali diligentiam, cum liberare non potuit. *Covarr. lib. 1. Var. resol. c. 1. ibidem diversos citans.*

Pro-resolutione propositiones duz à quibusdam ponuntur.

Prima: non licet Iudici palàm absolvere eum, qui legitime probatus est nocens, etiamsi certò sciat eum esse innocentem.

Secunda: potest & debet Iudex condemnare reum secundùm allegata & probata, quem certò scit esse innocentem, quando nulla patet via, quâ liberari possit, argumento *l. Filicitas ff. de off. præf. c. quamvis. n. 43. c. Pastoralis de off. Jud.*

Quamvis D. Tuldenus opinionem eorum impiam asserere videatur, qui dicunt Iudicem secundùm probationes posse condemnare eum, quem privatim liquidò scit innocentem; inter cœtera argumenta dicens, quòd Iurisconsultorum una vox sit, Iudicem boni & innocentis viri officio fungi, *l. 4. §. 1. ff. fam. ercisc.* neque in eo quem posse Iudicis boni officio satisfacere, in quo viri boni officium violat. Atqui vir bonus est, qui nec latum unguem à conscientia recedit: Desiccat autem in proposito à conscientia Iudex, qui integrum animi testimonium de innocentia rei postponit testibus, quos scit falsos esse. Præterea Iudex medium communemque se gerit, quamdiu causa obscura est; non item cum jam liquet alterutrius partis injustitia: Iam quippe reprimere, calumniam, asserere justitiam debet, & tueri innocentiam; est enim custos atque tutor æquitatis, veritatisque: quam proinde si non dicat, opprimit, falsa testimonia sententiæ pondere confirmando, & si opprimi patitur, desertor officii & perditor innocentia est. Nisi existimamus, nullas Iudicis partes esse nisi in proferenda sententia, secundùm probationes, vel concianatis mendaciis adumbratas; in reliquo ferè cognitionis tractu statuam fingi. Non quòd Iudex contra publicarum probationum auctoritatem judicare debeat; sed negat, quòd liceat contra veritatem, scientem prudentemque indicare villo adumbratarum probationum prætextu, potissimùm in necem innocentis. Etenim iustitia & veritas ferè jungi solent; neque contingere posset, ut iustitia niteretur sententiâ quæ veritati repugnaret, nisi haberet triste mortalitas privilegium, ut cum venia errer subinde in factò, cuius *Interpretatio* (inquit Iurisc.) *etiam prudentissimos fallit.* sed veniam non metus

retur in proposito Iudex, qui non errat, sed falli cupit, imò qui fallit ipse prudens sciensque. *De princ. Iurisp. lib. 3. c. 6.*

Vtrum verò Iudex possit aliquem condemnare, etiam si nullus sit accusator? Apud Hebræos si Iudici constaret crimen, & nullus accusaret reum, Iudex non poterat ipsum condemnare, 3. Reg. 11. & ibi *Tostat.* adeoque non poterat Iudex ferre sententiam contra reum, nisi in causa criminali haberet reus contra se accusatorem; in civili actorem. Idem sensitse videtur Scipio Minor, C. Livium prætereuntem cum vidisset, Hunc, inquit, virum scio pejerasse; verum quoniam nullus eum defert, non possum simul & accusator esse & Iudex. *Plutarch. in Aphor.*

Sed dum non est formalis Accusator, sufficit in aliquibus casibus virtualis scilicet infamia publica, quæ quidem non est sufficiens ad sententiam sine ordine Iuris, sed ad viam inquisitionis.

Deinde quando Iudex in sua & trium aliorum præsentia videt crimen perpetrari, si quis etiam fraternè delatus ad Iudicem post monitionem paternam maneat contumax, ipsa contumacia præberet locum accusatoris.

Ipsa etiam Iuridica denuntiatio, & illa quidem quæ fit ob bonum commune, & non solum delinquentis, tamen denuntians non vult suum nomen inscribi.

Denique quando crimen ita est publicè patratum, ut sit notorium notitiâ facti, *c. evidentia de accus. c. de manifesta*, 11. q. 1. & de his latius in Dig. alibi scribitur, quæ vide.

Cum autem varia sunt hominum iudicia, varix voluntates, atque inde qui eandem causam simul audierunt, sæpè diversum, interdum idem, sed ex diversis animi motibus sentiant; & sicut suæ quandoque quis inventioni nimis favet, & quasi fortissimum amplectitur, cum ab alio dictum est, quod ipse prævidit. *Plin. 1. ep. 20.*

Sic etiam in rebus humanis, in quibus sæpè nihil adeò remotum est ab omni controversia (tamen si maximam cum iustitia cognitionem habeat) quod dubitationem non recipiat, si subtiliter animi curas intendas. Vnde & Iudex sui arbitrii, & se uno censente contentus, in multorum offensionem incidat necesse est. **Quod vitium**

vitium non mediocre est in Præfide cujuscunque Cõsilii aut Curiz. Est enim doctorum bonorumque Iudicum assentiri interdum, dum debite res requirit, nec semper censere velle, suæque sententiz auctorem esse. Non tamen ita, ut tamquam inertes in sui muneris functione, nec tam causarum Iudices, quàm spectatores, numerum tantum augentes, videri censeantur; cujusmodi Iudificatio propria est nationis Chrestologiz studentis.

Scelus est autem, æquum illi esse fronte, cui mente iniquus sis; quod vitium est non paucorum: quidam enim Iudices comiter, blandè, benignè, litigatores appellantes, causas suppliciter commendantes, omnia etiam eorum cupere se dicentes incautos intas evertunt; verbis pessimè de iis merentes, à quibus gratiam vultibus inierunt. *Bud:*

Est & advertendus alius non levis defectus, quo aliqui Iudices graviter admodum divinam offendunt Maiestatem, quodd illis propria perversitas & avaritia non sufficiat, sed insuper & iisdem confratres & familiares suos inficiant. Heu sortem dolendam! quodd tibi non sufficiat quodd perversus sis & subdolus; velisque ut Diabolus te ad tartara rapiat; sed insuper & proximum, quem præviis bonis exemplis Deo lucrari debueras, perdere coneris.

*Lanuxa.*

Neque hoc genus artificii eorum, qui *Iudiciis præsumunt*, & studiis suis magis quàm Iustitiæ æquitati que serviunt non prorsus obsolevit ut viri boni & sinceri ablegentur, qui incommodi sunt sententiarum cõtione conflandis.

Quidam diu ancipiri disputatione sententiam dicunt, nec in alterutram partem satis certè vergunt, quasi Academicè censendum sit in Iudiciis.

Alios pudet dicere, quod alius occupaverat.

Sunt etiam, qui ementitis Legum Canonumque auctoritatibus, Iuris que Interpretum elogiis commentitiis, sententias suas impudenter sanciant.

At sunt etiam, qui verba faciunt ut cordati Iudices, ac causæ

H

semper



semper instantes, sibi que eorum quæ causam complectitur existimatores prudentes, & Iuris auctoritates statèrã prudentiæ appendentes. *Bud.*

Vix autem effugere adulationis suspitionem possunt, qui aliorum sententiis omnes probat, in cunctis pedarii, & *idem* quod præcedens sentientes ac dicentes, proprio nomine nominandi *Consiliarii vel Indices ad idem.*

Quod etiam dici potest de Adfessoribus, qui *adsident* tantum & subscribunt passim omnibus, quæ audiunt: qui certè *assentatores* veriùs quàm *adseffores* dicendi sunt.

Refertur de Philippo Macædonum Rege, quòd dixerit cuidam suo amico, in omnibus sibi annuenti, suasque sententias approbanti, *Diversum*, inquit *semel sensi*, ut duo esse videamur. *Plutarch. de diss. aduel.*

Quamvis autem Scriptura sacra dicat, *Nec in Iudicio acquiescer plurimorum sententiã, ut à vero devies.* Exod. c. 23.

Monendi tamen sumus, quòd illi, qui in sententiis dicendis à nobis discrepant ac dissentiunt, idcirco odio non sicut habendi, licet sint aliqui, qui solo suo ore & auctoritate sapere cupiunt, secus si fiat, odium incipiunt, & in pertinaci & agresti sententiæ suæ defensione voluptatem sequuntur vel dolorem. Voluptatem enim ex victoriæ percipiunt, si non dimoveantur de sententiã; & ferunt iniquo animo, si quæ quasi decreta tollantur & infirmantur. *August. 7. Enchirid. c. 9.*

Dictum verò istud sacrum, secundum Abulensem eodem loco, primò refertur *ad populum*, scilicet quòd si aliquis sit Iudex non debeat malè iudicare, etiamsi tota multitudo iudicari velit.

Secundò *ad Indices*, quando unus eorum verum scit & bonum, & ut complaceat sententiæ aliorum, subicit illud, & distorquet à vero: sicut accidit in Iudiciis, qui multi sunt, & omnes concordant in unam sententiã, & sunt viri magnæ auctoritatis; si existat inter eos aliquis, qui non sit tantæ auctoritatis; & cognoscat veritatem, non debet consentire falsitati, vel malo, quod alii facere volunt; licet sint magnæ auctoritatis: imò potiùs dissentire.

Et:

Et in hoc est magna virtus constantiæ, si zelo veritatis & vitandi mali faciat, & non gloriæ iactantiâ.

Iam quidam gloriæ cupidi, qui ut sapientes omnibus videantur, ab omnibus discordare laborant, ut ipsi verum dicere videantur. & cum prudentum facta conspiciunt, hæc eis omnia reprehensibilia videntur; suæque imperitiæ atque infirmitatis oblitæ, tanto intentius de alienis judicant, quanto sua profundius ignorant  
*Greg. Mag. l. II. Moral. c. 15.*

*Arrogans inscitia omnis, omnis imperitia est.*

*Nil putat rectum imperitus quàm quod ipsemet facit.*

Spernenda non est sententia plurimorum concordans; quia intellectus naturaliter fertur in speculabilibus in verum; & ubi verum cognoverit, manifestè non curat de alicujus opinione aut favore. Quia tamen aliquando de veritate dubium est, & ex defectu intellectus nostri arbitramur verum esse quod falsum; credendum est, quòd unus intellectus possit citius errare, quàm multi; & tunc assentiendum est pluribus, circa eandem opinionem speculativam.

Sicut autem est in speculativis, ita est & in practicis. Nam si intellectus noster clarè aliquid bonum esse videat, ita quòd nullum dubium intercidat, propter nullius opinionem movebitur, quia illud est suum bonum: quia tamen circa agibilia sunt multæ dubietates, in his facilius contingit, unum intellectum errare, quàm multos; ideoque multis assentiendum est.

Quando id, quod multi sentiunt, est dubiosum, ita quòd non videatur magis de bono quàm de malo, discedendum non est à iudicio multorum: & licet aliquis habeat opinionem contrariam, quæ sibi probabilior videtur, non tamè ei clarè patet quid sit bonum aut malum, debet sequi populi, id est, multorum sententiã.

Et esto, quòd contingat unum solum Iudicem tenere veram sententiã secundum suam conscientiam, & videat ceteros multos quidem in malam conformiter convenire sententiã, repugnare debet, *Ut à vero devies*: quasi dicat, sentire multorum iudicium non est malum, si solum hoc sit: sed cõtradicere multis,

*Ut devietur à vero, malum est. Latè Abulen. Exodi. c. 22. & 23.*

Sed hodie tantum quisque probat, quantum se assequi posse non diffidit, & quia laboris illud est, quem plerique fugimus, ferè quisque id damnat, in quo propter rerum multitudinem & copiã ægrè potest excellere. Raphaël Fulgosius Iudices admoneri scribit, ut in ferendis sententiis à singularibus opinionibus temperet, & Glossarum prolatis à plerisque opinionibus insistant. *cons. 129.*

Quidam sunt homines in aliorum opinionibus abrogandis tam parum moderati, ut nihil probent nisi quod apud se privatã commutatione invenerint. Tantum valet in præstantibus animis gloriæ appetitus, ut quæ ab aliis sunt allata, ferè probet nemo, & quæ quisque solus invenerit & dixerit, aliorum omnium inventis non dubitanter anteponit: In aliorum sententiis convellendis triumphant & exultant, neque temerè ea probant, quorum laus ad alios sit perventura.

Cùm tamen Iudici secundùm Leges Iudicandum sit, & aberrēt ii, qui ut propriam opinionem sequantur à legibus discedunt: neque enim ex capite nostro formanda est opinio, sed ex textu & glossa ordinaria, quibus inherere debemus sicut Bononienses inhererent Caroccio; & ut ait Baldus. *in l. precibus c. de Impub. & aliis substitut*: sicut ductor navis inhereret timoni.

Absit etiam à Iudiciis nimia subtilitas: hæc sapientiæ & simplicitati est inimica, & in legibus interpretandis omnem Iuris rationem & æquitatem evertit. quare ii inepti iudices sunt qui non legum Interpretes, sed Domini esse volunt, ut nimirum ad libidinem suam eas interpretentur, & Iustitiam ipsam perfringant. suis illi acutis & subtilibus, ut putant interpretationibus, verum Legum sensum & Legislatorum mentem pervertunt. Docti ii non sunt, & nihil minus quàm Iurisconsulti, qui nescio quo novitatis splendore, sed fallaci, videntium mentes perfringunt, & omnino non intelliguntur.

Sciant tales, qui Iurisprudentiam ingenio suo, non artis facultate metiuntur, opinionem plurimorum non mediocriter iis in rebus valere, in quibus rationum æqualitate & pondere, animi  
hominum

hominum in varias sententias distrahuntur. Qui enim, qualibet occasione irrepente, sibi semper elegit genus sentiendi singulare, perniciosissimum quiddam inducit in hanc scientiam, ut jam proprie ioculare haberi videatur: Numquid dum quis sententiam suam totius orbis testimonio aut auctoritati anteponit, desipientis arrogantiae est? Si enim unquam errandum est, donec veritas ipsa sese ex diuturna ignorantia ad lucem extulerit, cum multis errare, quàm cum uno præstat. In quo plurimi homines gravissimè labuntur, qui novam suam opinionem, satis probari existimant, si aliorum sententiam validissimè everterint. Et si autem veritas una sit & perpetua, neque ex aliorum assertione suspensa, quia tamen plerumque in obscuro lateret, est animi ingenui potius cum multis sentire, quàm propriam alacritate de re quacumque velle iudicare. *Cassal.* Nec enim turpe est sequi doctiores, seniores, meliores: nam firmiter pedem figimus, quando probatis aliorum vestigiis insistimus. Humiles esse debemus, & non nimis sensui nostro credere: *Illi enim omnia desunt, qui sibi nihil deesse putat.* S. Bernardus. *Ubi dixisti sufficit, ibi defecisti: & ubi tibi placuisti, ibi peristi.* S. August.

Proinde optimus suæ opinionis & scientiæ est professor, qui sua verècundè, aliena verò studia & scientiam callidè metitur & existimat: de suis modeste, & de alienis magnificè loquitur. Qualis fuit *Scavola* clarissimus Legum vates & interpret, qui quamvis Iuris scientiam teneret egregiè, tamen quoties de Iure consultabatur, ad *Furium* & *Casellum*, qui huic scientiæ dediti erant, & in ea assidue se exercebant, consultores rejiciebat, non ut suam ipse scientiam damnaret, quasi exiguam, aut non sufficientem; sed ut modestiam in se maximam profiteretur, qui alienam pluris quàm suam faceret existimaretque. *Val. Maximus.*

Tiberius Cæsar licet fuerit singulari prudentiâ præditus, pauca tamen fecit ex sese, vel nihil potius; sed de minimis quibusque rebus referebat ad Senatum, cumque eo communicabat omnia, & Consiliarios admittebat. Cumque ipse suam sententiam dixisset, non modò dabat potestatem omnibus ut contra se dicerent; sed etiam:

etiam factis sæpenumerò decretis, in contrarium æquo animo ferebat, interdum contrà differebat; sed ita dicebat, ne libertatem eis eripuisse videretur. *Dion Nycaus in Tiberio.*

Præterea non raro Civitates ac Respublicæ in ruinam tendunt ob discordias magistratum, in quas naturaliter proni sunt hominum animi, præsertim qui se ceteris plus posse confidunt: etenim alter alteri meritos invidet honores, suam obfuscare laudem existimans, nisi crescentem gloriam alienam oppugnatum eat; unde necesse est negligi salutem Reipub. permiscerique fratrum celo. quo nomine discordiam exultare canit Silius 13. bell. Pun. nam cum magistratus faciunt pluris odia sua, quam patriæ commoda; civitatis in periculo est ut deseratur à Deo, & in imum calamitatum mergat.

Quare longissimè à Iudiciis abesse debet discordia & simultas inter collegas: neque enim oportet eos privatis odiis dissidere, qui publicè summâ sunt juncti potestate: etenim periniquum est propter privatas similtates Reipub. in discrimen adducere, nec abutendum occasione ad explenda odia, sed potius Reipub. sunt donandæ privatæ injuriæ.

Q. Fabius Max. censura duobusque consulatibus simul gestis expertum se esse dicebat, nihil concordie collegio firmiter ad firmandam Reipub. tuendam atque propagandam, unde rectè Prudentius.

— Scissura domestica turbat

*Rem populi, titubâtque foris quod dissidet intus:*

*Ergo cavete viri, ne sit sententia discors.*

*Sensibus in vestris.*

Recedant qui consilii quamvis egregii quod non ipsi afferunt inimici sunt; qui bonum publicum privatis similtatibus impediunt; qui prospera sibi vindicant, adversa aliis imputant.

Sed an cedendum refractariis istis ac litigiosis? haud censet *D. Chockier. Aph. lib. 3. c. 18: alios ibidem citans.* nam animi pervicaces, cum sentiunt adversarios ad se demulcendos verti, non se moderatiores, sed longè tenaciores & duriores præbent, ait *Dion. Halicar.*

Quo-

Quocirca etiam abesse debet *pervicacia*: sunt enim quidam qui nec invidia nec odio cujusquam ducuntur, sed *pervicacia* quadam ab ea quam conceperunt semel sententia divelli se aut rationibus illis sibi persuaderi non patiuntur, ac sæpè argumentorum vi ac multitudine veniunt in Senatum, ne vel in dicendo peccasse vel sententiam mutasse videantur. At qui meliori mente sunt, non difficulter pro re & tempore aliis assentiuntur, neque indignè ferunt, si suam rejici sententiam vident, quales fuere Nestor & Ulysses Homericæ Odyss. 8.

*Haud unquam neque concio nos neque Curia distis  
 Audivit pugnare, animo sed semper eodem  
 Et sentire eadem, atque eadem decernere vidit.*

Hoc intellige, ait Chochier dicto loco, post discessionem & re peractam; nam ut ait Aristenes Livianus lib. 32. priusquam aliquid decernamus, occasio est dicendi aut suadendi quod quisque velit aut optimum ducit. Vbi semel decretum erit, omnibus id etiam quibus ante displicuerit pro bono atque utili fædere defendendum. & Plinius. Lib. 6. ep. 13.

Singulos integrè re dissentire fas est; peractâ, quod pluribus placuisset tuendum: facessant ergo qui errare malunt, & eam sententiam quam adamaverunt pugnacissimè defendere, quàm sine pertinacia quid constantissime dicatur, exquirere. Cic. 1. Acad. quæst. Chock. in Aph. lib. 3. c. 13.

Alius adhuc est in Iudiciis *abusus*, qui fit allegandis & accumulandis auctorum opinionibus, quibus Iudex fatigatur: & tanquam ex scriptorum opinionibus auctoritas legum, non ex auctoritate legum, opiniones scriptorum pendeant: unde benè Tuldenus lib. 2. c. 18. lib. 3. c. ult. de corrup. Jud. Jurisprudentiam integritati Maiestatiq; restituendam esse publica auctoritate monet, definitis in ea controversiis signatisq; capitibus ab usu remotis; cohibitis quoque intra modum interpretationibus, scribendorumq; in Iure examine uni supremo Concilio tanquam custodi & arbitrio Iuris mandato, & Iudicibus ad constituti publicatiq; Iuris observationem adactis: ita enim duz tollentur causæ eæque maximæ perturbatorum Iudiciorum disciplinæ; ingenita Iuris auctori-

auctoritas dum in dies vagis opinionibus, hinc ab *Usu*, inde ab æquitate oppugnatur: & iuceri Iurisprudentiæ finis, quos interpretationi licentia proferre aut referre non disinit: nimirum *ut fetem nimia sternit ubertas, & rami onere franguntur; ut ad maturitatem non pervenit nimia fecunditas*: sic luxuries ingeniorum & interpretationis Iurisprudentiæ hodie opprimit, efficitque ut privatum non publicum bonum censeatur, scholis magis quàm palatiis digna.

Præmissis autem modis evitari aut minui possunt litium multitudo, diuturnitas, & sententiarum inconstantia, corruptela atque *abusus*. quæ enim frequentior illorum causa incommodorum quàm ambiguitas juris? unde autem ea crebrius manat quàm à repugnantibus invicem auctorum opinionibus? has ipsas cui imputes, nisi effrenatæ licentiæ interpretationis? hæc denique quam aliam habet originem, quàm quod jus infinitum habetur, æstimationi Iudicis, quam æquitatem appellat, obnoxium? quia scilicet nullo supremæ auctoritatis limite cohibetur, sed scholasticorum argutiis, vel pragmaticorum astutiis in quamcumque formam, ut cera fingitur & refingitur.

Restat ut videamus quomodo agatur in conciliis, & magistratibus ubi plures simul concurrunt Iudices, scabini vel senatores: etenim tum ad sententiam dicendam & votorum atque opinionum ordinem, non idem ubique fuit modus. Papinianus dicit *quod potior causa habetur in sententiis ferendis, qui pluribus in eodem tempore suffragiis iure decurionis decorati sunt: sed & qui plures habet in suo collegio primus sententiam rogatur cæterisque honoris ordine precellit*. L. spurii. 6. §. ult. ff. de decur.

Apud Romanos ordo solitus erat incipere à dignioribus: licet aliqui existimant periculosum esse secundum ordinem dignitatum singulos gradatim consuli, ac tum perire libertatem juniorum aut inferiori gradu consistentium, cum necessitas sequendæ sententiæ à majoribus ingeritur, quorum auctoritas cæteros pertractura sit: inde Zypæus de Pisonia apud Tacitum ait: *quo loco censebis Cæsar, si primus habes quod sequar? si post omnes, vereor ne imprudens*.  
dissen-

*Sententiam.* Dionys. Halicar. lib. 6. Zyp. lib. 2. c. 8.

Aréopagitz globulis ideo definiébant, quos hodie sequuntur Veneti: albo absolvunt, atro condemnant.

Mos est Syracusanis, ut ait Cicero, *ut si qua de re ad Sénatum referatur, dicat sententiam qui velit: nominatim nemo rogatur; & tamen ut quisque honore & aetate antecedit, is primus solet sua sponte dicere, idque à cæteris ei conceditur; si quando taceant omnes, tunc forte coguntur dicere.* Act. 6. in Verrem.

Romæ in Augurum collegio dicendarû sententiarum ratio erat, ut majores natu anteponerentur, teste Cicerone: *In Collegio, inquit, vestro ut quisque aetate antecellit, ita sententiâ principatum tenet, neque solûm honore antecedentibus; sed iis etiam qui cum imperio sunt, majores natu augures anteponuntur.*

Alibi Juniores dicunt sententiam priores, apud Nos seniores in officio.

Modus autem votum dicendi debet esse laconicus; nam veritas in paucis consistit, & inter prudentes odiosa verboritas; sufficiunt intelligenti pauca. Circumspectè etiam loquatur Iudex, non dicax sit, neque citatus in lingua, neque acerbis facetiis quempiã irideat, maxime superiores, nam earum apud præpotentes in longum memoria est, præsertim ubi multum ex vero traxere, acriorem sui memoriam relinquunt. *Tacit. lib. 5. & 15.*

Curare etiam Iudicem ad extremum oportet, ut sententia certa sit, non ambigua, aut aliquo dubio resperfa, quia Iudices qui ambiguis, incertis, ac obscuris verbis utuntur, non litem finiunt, sed alias serunt, generant, sumptus augent, disceptationes producunt, & sportulis suis tantum profunt. *Zyp. lib. 2. c. 8.*



## CAPUT V.

*Causa & non persona est in Iudicio attendenda.*

**I**udicis viri boni & Integri officium est, causæ studere, non personæ; Iuris rationem, non Amicitiz ducere; non affectibus non stomacho servire, sed Iusticiæ præceptis; nullum eximium habere; unâ perticâ primores cum popularibus metiri. *Budæus in forens.*

Vt enim Sol non est alius pauperi, quàm diviti, sed omnibus cõmunis; ita Iudex personam spectare non debet, sed rem: & ut qui acrius cupiunt perspicere, alterum oculum occludunt; ita Iudex rectiùs intelliget Iustum, si nullius personæ respectu revocetur.

Antiquis Oculus iustitiæ symbolum fuit, quòd hujus & illius magna foret consensio. Est oculus speculum naturæ, res sibi obiectas exhibet, & animo reddit eorum species ac simulachra; quæ ut fideliter referat, amat certam in obiecto distantiam; si enim hoc nimium removeri contigerit, non videtur: & contrà, si nimis propinquum, si oculo imminens fuerit, non percipitur: vult nimirum oculus sibi convenientem & æquam in rebus obiectis distantiam; quam nisi dederis, nec tibi eas videre atque intueri dabit.

Quod oculo, hoc & Iustitiæ. Nosce voles cur quandoque & sæpiùs caliget Iudicis oculus; cur ex vero bonoque oblatas sibi causas, & divitum pauperumque jura non referat? cur in uno beneficus, liberalis, prodigus; in alio parcus, avarus, sordidus? hæc in luce est ratio.

Pauperes à iudicis oculo longiùs absunt quàm ut videri possint; divites autem propiùs adsunt & incumbunt, quàm ut & ipsi perspiciqueant: hinc cæcutit atque aberrat oculus, ipsaque ratio amorque ab æquo deflectit. nec mirum: *Vbi enim errat oculus, ibi errat affectus* inquit S. Ambrosius. Ne porrò hic aut ille erret, Deum audi hæc præscribentem. *Nulla erit distantia personarum: ita parvum audietis*

*audietis, ut magnum; neque accipietis personam, quia Dei Iudicium est: non hominum; Dei enim vices gerit, qui in throno iudicaturus sedet. & quia ut rectè Sapiens Proverb. 24. cognoscere personam in iudicio non est bonum, rationem hanc adjicit D. Bernardus: Qui cognoscit in iudicio faciem, à facie Dei stare non poterit, Lib. I. de Confid. & Lobbet. in Spec. Eccles. c. 6. §. 7. unde apud Poëtas iudices incorrupti velatis oculis solent pingi.*

Est etenim personarum acceptio injustitia, quâ persona personæ præfertur in conferendo ei aliquid, quod ex debito iustitiæ alteri est conferendum; vel est inæqualitas Iustitiæ distributiæ, in quantum aliquid attribuitur alicui præter proportionem. Thom. 2. 2. q. 63. art. 4.

Quæ in multis prohibetur, tum vel maximè in Iure dicendo; dicit enim Dominus: *Vbi audiveritis causas inter fratres vestros, iudicate iustè inter virum & fratres eius: etiam inter peregrinum ei, NE SUSCIPITE PERSONAM IN VILLO IUDICIO, NEQUE PARVVM ATQUE MAGNVM AUDITE. Ne meuitote à quoquam; nam Iudicium ipsorum est Dei. Deut. I. c. 16. 17.*

*Iustitia non novit patrem, non novit fratrem; veritatem novit, personam non accipit, Deum solum imitatur. S. Hieron. sup. Psal. 14.*

Iustitiæ enim est universa æquali inter omnes mensurâ distribuere, unicuique largiendo quod suum est, omni humano respectu amoto: etenim Iustitiæ parens, filius, servus, advena, dominus, amicus, inimicus æqualiter incogniti sunt; sola autem veritas ei ignota non est. Qui autem aliter causam pauperis, aliter potentis, aliter sodalis, aliter auditi ignoti, staterâ utique librat iniquâ, & pro iniquitate libræ doloque abominabitur à domino: & qui sincerius agit in omnibus, qui causam æquâ lance discernit, is nimirum iusti Iudicis voluntati & actioni congruit. Beda sup. illud Proverb. Statera dolosa.

Vnde Nolite Iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate, quia non est acceptio personarum apud Deum. Ioan. 24. Rom. 10. 12.

*Multi enim colunt personam potentis, & amici sunt dona tribuentis.*

Proinde nihil ad eò gloriosè lucet in Iudice, sicut amare & exhibere Iustitiam sine omni acceptione personarum; *Exiit enim personam Iudicis, quisquis amicum induit.* Æquitas cui Iudex obsequitur, sinistram odii vel amoris dextram nescit: nam talis debet esse Iuris minister, ut in ejus manu, nullius auctoritate personæ titulus bet aut vacillet libra Iustitiæ. *Pet. Raven.*

Neque verò tantùm est vitium acceptionis personarum, quando Iudex in ferenda sententia considerat personam potius, quàm æquitatem causæ; sed etiam, quando causas pauperum differt, & extrahit, causas autem divitum expedit: similiter quando uni parti concedit longiorem terminum ad probandum vel informandum, quàm alteri, cum tamen par sit utriusque ratio. Et si enim relinquatur arbitrio Iudicis, ut constituat terminos longiores vel breviores, prout expediens visum fuerit, & causa postulaverit; non tamen ut pro sua libidine, & gratificandi studio, uni possit concedere terminum longiorem quàm alteri, maxime cum notabili incommodo partis: nam hoc concessum est Iudicibus in gratiam utriusque partis. *Less. de Iure & iust. l. 2. c. 32.*

Adeoquæ aberrant iniqui Iudices à veritate sententiæ, dū attendunt qualitatem personæ, & exulcerant sæpè justos, dum improbè defendunt iniquos.

Non attendunt merita causarum, sed personarum: non Iura, sed munera; non quod ratio dicat, sed quod voluntas affectat; non quod sentiunt, sed quod mens cupit; non quod licet, sed quod libet, *Isid. de sum. bono lib. 4.*

Numquam in illis est ita simplex oculus, ut totum corpus lucidum sit, sed aliquid semper fermenti, quo totam massam corrumpant,

Pauperum causam cum mora negligunt, divitum causam cum instantia promovent: in illis rigorem ostendunt, in istis ex mansuetudine dispensant. Illos cum difficultate respiciunt, istos cum facinore tractant. Illos negligenter audiunt, istos subtiliter auscultant. *Clamat pauper, & nullus exaudit: loquitur dives, & quilibet applaudit. Dives locutus est, & omnes tacuerunt, & verbum illius.*

usque ad urbem perducunt. Pauper locutus est, & dicunt, quis hic? & si offenderit subvertent eum.

Pleni etenim homines divitum sermones judicare sapientes: imò verò aliquis ex tenui familia vir pauper benè dixerit, ridere: unde cum quidam Advocati gentiles SS. Symonem & Judam annosis viderent, eos contempserunt: quibus ait Symon. *Sapienter venit ut intra scrinia aurea quæque vilia habeantur, & intra vilissimas captas sint gemarum pretiosa monilia:* In aurea legend. de S. Sym. Audiamus ad hoc propositum verba S. Jacobi Apost. 2. 1. *Si introverit in cætum vestrum vir anulum aureum habens in veste splendida, introierit autem & pauper in sordido habitu, & attendatis in vestram, qui indutus est veste præclarâ, & dixeritis ei, tu sede benè; pauperi autem dicatis, tu sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: bene iudicatis apud vosmetipsos & facti estis Iudices cogitationum iniquarum? Si tamen legem perficitis regalem secundum scripturas, Diligite proximum tuum, sicut teipsum, benè facitis. Si autem personam accipitis, peccatum operamini, redarguti à Lege, quasi transgressores.*

Quin imò tam longè à Iudicio personarum acceptionem abesse voluit Deus, ut nedum divitis, & munera dantis respectum inhibuerit, sed etiam dixerit, *Pauperis non misereberis in iudicio*, cum tamen plurimùm commendaverit, esse miserendum pauperum, viduarum, ac pupillorum qui etiam sub numero pauperum ac miserabilium personarum comprehendi possunt, uti diverso misericordiam respectu communicantium cum habentibus paupertatem: & ibidem dicat, *Non declinabis in iudicio pauperis:*

*In iudicando esto pusillus ut pater, & orphano & vidua ut vir.* Eccl. 4. Adeoque Iudex videtur debere in iudicio misereri pauperis ut viduæ & pupilli: Circa quod sciendum, quòd Deus non velit misericordiam auferri à pauperibus, ad quam naturalis inclinatio & ipsa ratio nuda, Iuraque omnia frequentissimè cohortantur: sed dicit, quòd ipsa misericordia non est habenda in Iudicio: quia in iudicando non debet esse acceptio personarum: Si autem aliquis miseretur pauperis, quia pauper est, aliquid ageret pro illo, quia

quia pauper est, præter merita causæ suæ, & sic injustitia fietet.

Quicquid enim in Iudicio præter causarum merita fit, personarum acceptio est.

Si autem det uni de lucro magis quàm mereatur sua causa, aut diminuatur de pœna, aut damno supra merita causæ, necesse est, ut tantum de meritis causæ divitis tollat; & sic quia pauper est, gravat alterum; quantum enim tribuit uni, tantum subtrahit alteri, nam injustitia, ut Aristoteles censet, cernitur in distribuendo plus æquo, & in accipiendo pariter, dum Iudex iniquè judicat; adjudicando enim cui non oportet, plus æquo dat; & quia id gratia vel odio vel pecunia impellente facit, hoc ipso injustè accipit. Species enim lucri est ex alieno largiri & beneficii sibi debitorem adjungere. unde is furti tenetur qui ideo rem amovet ut eam alii donet. *L. 34. ff. de furto.*

Proinde Lex ista, *Pauperis non misereberis in Iudicio*, hoc est, tractare negotium suum, ita ut propter paupertatem ejus agas aliquid contra Legem, quia illa est injusta distributio, & acceptio personarum.

Ut autem reconcilietur textus supradictus, *non declinabis in Iudicio pauperis, & in iudicando esto pupillis ut pater &c.*

Notandum, quòd duo sint modi miserendi, scilicet dare misero quod non habet: aut defendere miserum, ne quis ab eo auferat id quod habet.

Primus modus, scilicet dare misero in iudicio aliquid quod non habet, hoc est iudicare pro parte ejus aliquid quod non exigunt merita causæ ejus, non est licitus; quia est accipere personam, ut suprà dictum est. Secundus modus miserendi commendatur superioribus textibus, nempe defendendo ne quis tollat jus ejus aut opprimat, & isto modo potest Iudex misereri pauperis in Iudicio. Quia ut communiter illi, qui divites sunt, terrent pauperes, & faciunt, ne jus suum proponere & intentare audeant: atque in hoc debet Iudex misereri pauperis, pupilli & advenæ, suscipiendo eos in suo patrocinio, defendendo etiam eos ab infestatoribus & oppressoribus, ne quis eis noceat, & ut sine vlllo timore audeant proponere causas suas.

Hoc

Hoc etiam facit Iudex, cum libenter audit pauperem in iudicio, suum jus ei non tollit, etiam si non habeat munera, quæ det, aut quia in illis nihil lucratur, ut solet in causis divitum; quia illæ gratis & pro Deo tractantur: & isto modo misereri non est acceptio personarum, quia Iudex agit quod debet de jure. Imò contra-rium agendo est acceptor personarum: nam sicut acceptio personarum est judicare pro paupere solùm, quia pauper est, considerans nullatenus meritis causæ ejus; ita acceptio personarum est judicare contra pauperem, solùm quia pauper est, nihil ultra considerando. Ita *Tostat. Exodi c. 23. q. 3.*

Abfit ergò, ò *Judices*, pauperes ut despiciatis; sufficiens enim hisque grave eis est supplicium ipsa paupertas. *Demost.* & qui calumniatur pauperem, ut augeat divitias suas, dabit ipse ditiori, & egebit.

Abfit etiam in Iudicio gratia, causæque merita discernantur, & remota personarum acceptio, negotia determinentur: nescit enim personam respicere qui meram considerat æquitatem.

*J. Gregor.*

Vbi affectus regnat, ibi Iustitia exulat. Si trutinæ lanx una oneratio sit alterâ, non dicam selibrâ unâ, sed vel unico lasillo, æquillibris stare trutina non potest; ita planè si in unam magis partem propendat ad opulentos, ad familiares, ad cognatos, illæsa non poterit conservari Iustitia.

Leo Armenus inter optimates charum sibi famulum habuit ut-  
bis præfectum; non tamen ab affectu se cohiberi passus est quò mi-  
nus virum Principem sibi gratissimum, sed socordix deprehen-  
sum puniret: cum enim Leo è Palatii clivo descenderet, vir ple-  
bejus supplici gestu occurrit & absque præmio, questus est raptam  
sibi vxorem à quodam Senatorum; se quidem iniuriam exposuisse  
Præfecto urbis, nihil tamen fieri quod iustitiæ consentaneum vi-  
deretur. Mox Imperator iussit reverso sibi sisteretur quàm pri-  
mùm accusator: delatus Reus, & urbis Præfectus: audit omnes.  
ubi reum accusatum noxæ, urbis Præfectum negligentix com-  
perisset: istum quidem Officio & dignitate omni privavit, Senatori

Reo

Reovitam ademit. Verissimè dixit Augustinus *remota iustitia, quid sunt regna, nisi magna latrocinia*: Profectò in Curiis, nil æquè Iustitiam frangit, quàm ingens affectuum malorum varietas. tutatur favor Euryalum, à nummis melius instructum; pronius honoratori, amplius ditiori cupimus, quàm sordenti palliolo. *Greg. in Salom.*

Brutus Consul & Manlius Torquatus liberorum suorum personas minimè respexerunt, imò capite mulctarunt, ut patriæ libertatem conservarent. *Val. Max. lib. 5. c. 8. & lib. 6. c. 3.*

Imp. *Kanutus* dum in Merica suæ ditionis latrocinantes, ultimo curasset supplicio affici, quidam è medio damnatorum exclamavit se esse de Principis Kanuti cognatione, & iure sanguinis vitam deposcebat: quo Rex audito, *Cognato* inquit *nostro, ut honoratior sit locus, sublimiorem parate crucem.* Crantzius Lib. 3. Wand. c. 32. & Chok. l. 2. c. 2.

Phocion Atheniensis genero suo Charilao reperundarum reo, causamque coram Iudicibus dicturo, adesse noluit, dicens: *Equidem mihi generum te hominem iustum & probum optavi.* quo dicto, desertoque genero, inde se proripuit. *Plutarch.*

*Papinianus* Iurisc. ab Imperatore Caracalla iussus parricidium Getæ fratris in Senatu & apud populum diluere, recusavit dicens, *Non tam facile parricidium excusari posse, quàm patrari.*

*S. Joannes Baptista* Herodis Regis personam minimè respexit, quò minùs ei liberè diceret, *Non licet tibi fratris tui habere uxorem.* Marci 6. 17.

Legitur de Nathan, qui libera mente voceque explicata Davidi suum scelus in os objecit, & Leges æquitaris ac pudicitiz fuso per nefas sanguine, violatoque toro, opposuit.

*S. Lambertus*, Civis & Episcopus Trajectensis ad Mosam, Regiz famæ & saluti consulens, zelo Religionis, libertimis verbis Alpaidem pellicem increpuit: à cujus fratre Dodone intra domum Ecclesiz Leodii occiditur.

Leo ubi ab amicis ad Iudicaturam promotus est, eosdem reliquit, Magistraturam recusavit.

Them-

Themistocles aiebat nolle se tribunal, ante quod requirebant amici, inimicis potiores esse.

Proinde Iudicibus illud perpetuò debet esse commendatum, ut pro dictamine sincero conscientiz veram æquitatem, non palliatam considerent: *ne forte*, ut ait Iustus Iudex *Ierem. c. 21. 22. egredietur ut ignis indignatio mea, & succendatur, ut non sit qui extinguat, propter malitiam studiorum vestrorum*: ea enim est malitia studiorum, quæ ab alia causa movetur, quam simulat: ab hac cavere debent, qui casum pro Amico firmant; qui Iræ, odium, aliæque animi vitia patiuntur. *Zyp. l. 1. c. 10. sed in Iudice nihil sibi potentior vindicare debet, nihil usurpare ditior, gratia abesse, & causæ, merita deternere. S. Ambros. l. 2. off. c. 24.*

Si autem contigerit delegari quem iudicem in causa Amici, semper meminerit ut dumtaxat amicus sit usque ad aras Iustitiæ. Optimè Cicero *Lib. 3. off. judicaturum de Amici causa exuere personam amici, induere Iudicis. non ille admisisset quæstiones pro Amico*, quas inconditi aliqui indigerant; & in quibus gratiæ locum faciunt, quas rectè insectatur Christianè idem Ethnicus Cicero eod. lib. *Cum Iudici dicenda est sententia, meminerit se Deum habere testem*: non homines, quorum affectus deponere debet, juxta prudens Philistinorum consilium, *Reg. 1. Ceperant illi bello Dei Arcam, quâ captâ, Deus illos plagis cœpit torquere durioribus: hærent suspensi, earum causam ignorant: vertunt in dubium, Num Deus Israël illos castiget, an verò aliæ interveniant tantorum flagrorum causæ. Ut autem certam horum cognitionem habeant, sapientes suos & divinos consulunt, & prudens hoc consilium decernunt. Iungunt vaccas duas, quæ necdum traxerant jugum, & recenter pepererant, quarum vitulos stabulo concludunt.*

*Arcam Dei* plaustro imponunt, quam vaccæ protraherent: hanc sibi rationem proponentes, quodd si vaccæ trahentes Arcam, & mugitum audientes vitulorum, illos nihilominus deserant, & cõsuetam prætereant inclinationem, ac naturalem erga vitulos affectum; sed nec retrocedant à via recta tendente in terram Israël;

K

evidens



evidens illud argumentum erit, *Deum* *Israël* huic operi præsidere, illasque deducere, ipsum pariter supplicii nostri esse auctorem, eò quòd Arcam illius diripuerimus: veruntamen si vitulorum mugitibus apres prebeât, & ad illos revertantur; non agnoscimus *Deum* *Israël*, sed alio ex principio nostra fatemur oriri supplicia.

*Iudices* vacas esse dixero, ordinatas ut currum regiminis statufque trahant publici, atque in eo *Iustitiam* velut cœlestem quandam Arcam.

Quando conveniunt in *Concilium* suffragia facturi, caveant, ne secum passionum suarum & affectuum ducant *vitulos*: at illos aforis dimittant, conclusos & ligatos fune rationis: non eorum præbeant aures mugitibus, nec sit qui attendat ad fratrem suum, Amicum, Inimicum; vel lucrum aut sui conservationem spectet; sed rectâ gradientur viâ, ducat illos divinus *Iustitiæ*que immaculatus instinctus. Si namque ad suorum se convertant clamores vitulorum, argumentum est, *Deum* ibi non præsidere. Non ille in Iudicio affectus admittit, non acceptionem personarum. inde solemnitas illa formula breviculis sententiarum quarundam more maiorum inferi assueta. *Solum Deum & Iustitiam præ oculis habentes.* & ad hæc aptè Cicero: *Istud est hominis magni & sapientis, cum illam iudicandi causa tabellam sumpserit, non se putare esse solum, neque sibi quodcumque cupierit, licere; sed habere in consilio legem, religionem, æquitatem: libidinem autem, odium & invidiam, metum cupiditatésque amovere: maximèque astimare conscientiam mentis suæ, quam à Deo accepimus, quæ à nobis divelli non potest; quæ si optimorum consiliorum atque factorum testis in omni vita nobis erit, sine ullo metu; summa etiam cum honestate vivemus.*

Mansuetudinem commendat & legem & religionem & æquitatem & conscientiam *Iudicis*, & *Deum*. Vnde dum *Iudex* ne latum unguem à recta conscientia discedat illi plus animi & plus consilii suggeritur, estque metu vacuus: quemadmodum enim laurus non timet fulmen; ita bona cōscientia nullâ culpâ pallescit.

*Sic illa sa malis constat pulcherrima virtus,*

*Laurus ut est diris integra fulminibus.*

Dignum

Dignum memoriâ Thomæ Mori exemplum, cui ad mortem eunti cum obuius quidam, quod contra eum olim iudicasset, exprobraret; percunctatus quis esset, respondit se causæ meminisse, que tum ita iudicasse, ut nunc faceret cum in promptu ultimo Iudici rationem daturus esset.

O utinam ita omnes Iudices! utinam semper meminissent supremæ comminationis, *Ego iustitias iudicabo.* (Pl. 74. Zyp. lib. r. c. 15.) pulchè noster Imp. Iustin. (*Constit. 26. de Prætoræ Thraciæ.*) *Magistratus nostros convenit, cum officia suscipiunt, animam suam devovere Deo, & tueri subditos nostros æquitate & iustitia, ab omnibus sordibus, inimicitia, gratia remotissimos.*

Et iterum, *Nemini omnino oportet eos succumbere, neque si insigni aliqua vita sit dignitate præditus, neque si opibus abundet. Propterea enim gravioribus viris & auctoritate plenis, eiusmodi tradidimus officia: ne quid necesse habeant remittere his, qui opibus suis freti, aliis velint inferre iniuriam.*

Obnubilare enim solent oculos Iudicium aspectus potentum, multo maximè suorum principum; contra quos, nisi evidens sit causa, rarè iudicatur. Ideoque prudētissimè *Rex Catholicus Ferdinandus quintus*, consiliariis præscripsit, ut cum causæ iustitia ambigua videretur, contra se fiscumque suum pronuntiarent. (Zyp. de Iud. lib. 1. c. 1. A.) *Non puto, inquit Modestinus (Lib. 10. de Iur. fisci. d. scrib. de polit.) delinquere eum qui in dubiis questionibus contra fiscum facile, quod votandum, responderit.*

Fuit hoc etiam Imperatore Traiano Plinioque laudatore dignissimum: *Quæ sæpius gloria tua est; sæpius vincitur fiscus, cuius mala causa nunquam est, nisi sub bono principe; & in hoc bonus Senator cognoscitur, si & principi & Reipub. utilia suadeat: si Regis aut superiorum voluntati semper non obsequuntur; tum scilicet malè ac mala iubent, & aliquando ingenuè repugnant, si denique omnia propter virtutem agere, suadere, dicere videantur.*

Oportet ergo Iudicem causam meritò discernere, non gratia, neque sic recipere faciem potentis, ut contristet contra iustitiam pauperem; neque pro paupere auferre Iustitiam à potente. *Fid. lib. 2. c. 5.*

Regnante S. Ludovico, Dux Andegavensis iudicio contendebat contra pauperem quendam nobilem, & sibi conquiſiverat famoſiſſimos curiæ Pariſienſis Advocatos: ſed S. Ludovicus, timens ob defectum Conſiliariorum & Ducis potentiam, quod Nobiliſſime ille ſuccumbere poſſet, deſtinavit eidem doctiſſimos & famoſiſſimos Patronos, à quibus exegit expreſſum iuramentum de ſideli Patrocinio & conſilio præſtando Nobili prædicto: quo facto S. Ludovicus oſtendit ſe verum Advocatum imbecillis contra potentem, docens quod non debeamus adulari aut favere opulenti in præiudicium inopum; neque potentibus adſentiri ob illorum metum, in defectum inferiorum.

Sed dolendum quòd hodiè aliquæ reperiantur *Curia elingues*, in quibus dicere quod velis periculolum, quod nolis miſerum eſt: exulat ab his amor veritatis & libertas, occupantur ab aſſentatione & diſſimulatione, cum tamen boni Senatoris & Conſiliarii munus ſit liberè apèrte & ingenuè in Magiſtratu aut conſilio ſententiam ſuã dicere quæ vel principi vel Reipub. ſalutaris ſit futura: neque ætate iuniores aut conditione ſua minus ſpectabiles deterreri debent, quia ſapientia iudicii quæ præſtantia, non annorum numero neque conditionis excellentia circumſcribitur.

Absit *aſſentatio*, quoniam *aſſentari & placida loqui in conſilio Reipub. perniciem maximam ei adferri ſolet*. Demoſt. Orat. 3. contra phil. Chock. lib. Aph. 3. cap. 13. Vnde rectè monet Epiſtètus. Approbato eos qui benè conſulere cupiunt, non etiam eos qui ubique adulari ſtudent; illi enim utile in veritate cernunt, iſti verò ea quæ potentibus placent, ſpectant, corporum quæ umbras ſpectantes omnibus illorum dictis aſſentiuntur.

Absit & *diſſimulatio* ubi præſertim Eccleſiæ vel Reipub. damnum imminet: tum nullus eſt diſſimulationi locus, non tacendo, non dubiè loquendo, non fugiendo conſiſtorium, ſed clarè & liberè, cum ea tamen qua decet modèſtia ac reverentia repugnandum eſt.

Arque huius rei ratio eſt, quoniam hoc differt officium charitatis ab officio Iuſtitix, quòd illud omitti poteſt cum privatam damnum

dammum timetur, aut nullus fructus speratur, ut in fraterna correctione: qui verò insuper ex Iustitia obligatur, etiam cum proprio detrimento, etiam nulla spe lucri debet officio fungi, ac censendi monendique libertate uti, voce libera, mente incorrupta, virtute divina. *Idem Ch. d. L. Platus lib. de Card. dig. & off.* Solet obiici, frustra quem dissentiri, dum maior pars contra sentit, & odium frustra sibi querere dementiam esse: cui obiectioni respondet Hier. Albanus. *Tract de Card. q. 5.* non frustra esse, imò sperandum esse alios etiam, veritate audita, suam mutaturos sententiam, quoniam ea veritatis vis est ut omnia denique vincat.

Ulterius obiicitur, id videri debere uni de multis æquum, quod placuit maiori parti: superbum enim & arrogans videri, ut audeat aliquis suum Iudiciũ aliorum tam multorum sententiæ præferre. Respondet Albanus, id quidem concedi, posteaquam, quid tu sentias & quare ita sentias, exposueris: nam si his auditis nihilominus plures in contraria parte fuerint, tum verò decet ita æstimare, potius decipi paucos quàm multos: sed sunt alii qui ad regendum timorem, & cupiditatem suam, illam afferat rationem, Szpè principes de eo ipso quod in consultationem, per Migistratum adducitur iam ante constituisse, & propterea etiam si contradicatur, nullum omnino fructum secuturum: cui respondet Platus, quamquam ille affectus de quo agitur non consequatur, alias tamen utilitates esse certas.

Primò quia princeps vel alius in similibus rebus consideratior fiet, cum videat non deesse qui audeant pro bono communi contradicere; esseque magnum frenum altioris potestatis, cui facillimè obrepat licentia.

Secundò alii etiam senatores ac consiliarii ejusmodi exemplis animosiores fortioresque fiunt, viresque & animum sumunt.

Denique si nihil aliud senator ac consiliarius quidem qui hoc facit, officium suum facit: quod si deindè alii impediunt, ipse certe culpâ vacat, qui sanè est fructus conscientie vel maximus.

Sed querunt ulterius nonnulli, si senator vel consiliarius in consistorio seu Magistratu, consilium aliquod tractatum iri sciat cui

cui salvâ conscientiâ assentiri nequit, an si eodie domi se contineat; officium suum minus diligenter & fideliter fecisse dici possit?

Dubitandi causa est, quia tutius est in senatum non venire, quàm in aliam trahi sententiam, & adversus conscientiam agere.

Deinde culpa vacare videtur qui in tam iniquam rem non consentit: Contrarium dicendum ait R. D. Vicarius Chockier, *Jur. Aphor: lib. 3. c. 13. 20.* nam si etiam non rogatus consiliarius publici boni causa, principis consiliarius principi consilium dare tenetur: multo minus salva fide effugere occasionem poterit ne rogetur.

Non est boni & cordati consilarii fugere & declinare in rebus arduis consilium: *Fugit* inquit D. Gregorius, *qui se sub silentio abscondit, fugit qui tacet cum resistere deberet.* Hom. 14.

Dominus Zypeus in tractatu suo de Iudice. *Lib. 1. c. 14. sub fin.* dicit, quia affectus excæcat ne vel providi labantur, quod probi & modesti Iudices se solent excusare, quando manifestum est, alterâ apud eos partem gratia prævalere.

Cœterum in Iudicando & consulendo, veritatis comes est constantia; quâ professus fuit egregiè Maximus Philosophorû *Socrates.* hic cum aliquando consiliarius fuisset, Senatorumque iusiurandû jurasset, quo continebatur secundum leges consilium daturum, qui cognitor populi fieret: cumque populus contra leges voluisset novem illos duces qui cum Thraſylo & Erasimide fuerant, communi omnium sententia interimere, noluit ille suum calculum adjungere; neque aut iram populi aut indignationem potentum timuit, sed pluris fecit Sacramentum servare quàm populo & magistratibus præter Iustitiam placere & gratificari. *Xenophon. lib. 1. de fact. & dict. Socratis.*

Depulsis prostratisque inimicorum partibus Sylla occupatâ Urbe senatum cogebat, ut *Marius* consul, Romanus hostis judicaretur: cujus voluntati nullo obviam ire audente, solus *Q. Scevola* interrogatus hac de re, sententiam dicere noluit: quin etiam turbulentius sibi minitanti *Sylla*, Licet, inquit, mihi agmina militum quibus

quibus curiam circumdedisti, ostentes: licet mortem identidem miniteris, nunquam ramen efficies ut propter exiguum senilem-que sanguinem meum, Marium, à quo Vrbs & Italia conservata est, hostem iudicem. O quàm tales digni ut in senatu, magistratus, & consiliis consistant. *Val. Max. lib. 3. c. 8. Chock. lib. 3. c. 14.*

De *Prisco Heluidio* audiamus, ad quem cum *Vespasianus* misisset ne in senatum veniret, *Panes te*, inquit, *est ne me senatorem esse patiaris: quamdiu autem me loco non moves, est in curiam mihi veniendum: Age, at ingressus taceo* inquit. *Ne me roga & tacebo: At est mihi rogandum: & mihi dicendum quod rectum putavero: Verum si dixeris occidam te. Quando ego dixi me immortalem esse, tu tuum facies ego meum: tuum est occidere, meum mori non trementem; tuum relegare, meum exire non tristem.* O miram animi constantiam, & in Christianis ipsis magistratibus, Iudicibus & Consiliariis, si hodie inveniretur, admirandam. *Ex Arriani 1. dissert. c. 2. Chock. Aph. lib. 3. c. 14. N. 5.*

*Ferdinandus II. Imperator gloriosæ Memorix* paucis abhinc annis vita functus, summoperè loquendi in sententia dicenda libertatem amabat. ab ejus obitu fuit sceda propria reperta ejus manu scripta, *Canes mutos in consilio non probare*, qui nempe auctoritate cujuscumque abripi se sinunt in sententiam, quam alioqui non probant; amare qui candidè, syncerè, liberè, modestè tamen enuntiant quod sentiunt.

Factum est non semel, ut dicentis libertatem non modò commendavit, sed tuendam etiam susceperit: cum enim è majoribus aliquis agrè visus esset ferre libertatem, qua minor oppositam in consultatione sententiam firmabat, tum *Czsar* pro minore stetit, suaque tutela egit, ut & postea alii dicerent liberrimè. *Chock. lib. 4. c. 2. n. 7.*

Neque hic est omittendum in omni deliberatione ac resolutione bonum publicum privato cedere debere, quodque illi qui *Reipub.* præfuturi sunt, duo *Platonis* præcepta tenere debeant.

Vnum, ut utilitatem civium sic tueantur, ut quæcumque agunt, ad eam referant obliti commodorum suorum.

Alterum

Alterum ut totum corpus Reipub, curent, ne cùm partem aliquam tuerentur, reliquas deserant. ut enim tutela, sic procuratio Reipub. ad eorum utilitatem, qui commissi sunt, non ad eorum quibus commissã est, gerenda est. *Cicer. lib. 1. off.*

Quo circa benè.

*Tu Civem Patrémque geras, tu consule cunctis :*

*Non tibi, nec tua te moveant, sed publica dāna.* Claud. ad Hon.

Si populo consulis remove à te suspicionem alicujus commodi : fac fidem te nihil nisi populi utilitatem & fructum querere : est boni Magistratus, commoda civium defendere non divellere, quapropter erga subditos tanquam curator erga pupillum minorenémve, vel tanquam pastor erga gregem gerere se debet : ille enim propter pupillum, hic propter gregem est constitutus : *Ductorem te constituerunt homines, curam eorum habe, & omnem tui copiã illis facito, cùmque probaris te requiescito.* Samuël 1. c. 8.

*Hadrianus Caesar* dicebat se sic gesturum principatum ut sciat rem populi esse non suam, sicut Tutor res pupillares administrat.

*Tiberius Caesar* dixit se operam daturum ut rationem factorum & dictorum suorum reddere posset.

Sic *Antigonus* ad filium dixit : *An non novisti, fili mi, regnum nostrum esse nobilem servitutem.* *Alian. lib. 2. c. 20.*

Pessimus verò est status Iustitiæ & politix quando publica negotia negliguntur, ac dominantur illi qui sua ut privata consectantur & spectant : sed prò dolor ! plerique hoc tempore pluris faciunt suas voluptates & commoda quàm Reipublicæ bonum, atque ita se præferunt toti populo.

*Principes eius in medio eius sunt leones rugientes, Iudices eius lupi vespertini.* *Eccles. c. 3. 16.*

*Idcirco intermittitur lex, & non procedit unquam Fides, quia circumfudet iustum idcirco prodit ius perversum.* *Pl. 28. & 72.*

Præterea vitiantur Iudicia ac Respub. propter insufficientiam regentium & incapacitatem ex defectu virtutum ad Iudicandum necessariorum : quæ insufficientia partim procedit, quod homines sint & humanis infirmitatibus obnoxii, neque tanto ingenio, sapientia

scientia & virtute sunt, ut omnia quæ usus Reipub. & causæ poscitur, sciunt, videant vel intelligant, omnique loco & tempore sapiant : multa fugiunt sagacissimos quandoque, obscuraque iis sunt quæ ex usu Reipub. ac tribunaliû debet rectoribus illius esse prospecta: Partim etiam quia de plurimis quoque intellectis sæpè judicando aberramus, & ratio humana cæcutit, nebulis densis obsita quasi, & affectibus atque desideriiis implicata ; atque ita abripitur, ut rectum nonnunquam judicare minimè possit : & quandoque pravis suis affectibus ita aliqui seducuntur, ut etiam studio contradicendi & contentione sua impediunt bonorum in administranda Repub. judiciisq; sententias : publica remissius, aut collegis suis curas relinquunt, laborum & molestiarum impatientes, qui vitio pleonexias laborant cum studio honorum, potentia ac pecuniæ immodico : quo vitio nullum in Iudicibus nocentius, potentius & frequentius.

Varia sunt etiam quæ multos scientes volentesque apertius à recto discedere & vim conscientia facere, ac justii iniquisq; rationem habere non patiuntur; multaque Iudicium animos sollicitat, ut etiam ad id quod recta ratio non suggerit, modicè deflectant, causasque querant, quibus hoc quod statuunt, honestè se statuere cum aliis, tum sibi ipsis persuadere conantur.

Ita David, ut occultum foret suum adulterium, sub specie prælii curavit Uriam occidi: Iesabel Nabothan interfecit, & vineam illius occupavit sub juris prætextu. Affectus etiam sæpè personarum negotia agentium in Iudicantibus prædominantur, ita ut in luctu cum aliorum cupiditatibus sæpè vincantur : nam interdum in opum afflictorumque lamentationes & preces animos Tribunalium tentant & à recto abducunt : nonnunquam amici ipsis molesti sunt, instant, urgent, donec ipsa importunitate aliquid impetrent.

Vti David precibus, importunitate, & calamitate supplicantium victus Thekoam, Sibæ, Simeon, Mephiboseth, concessit, quæ aliis non concessisset. *Albusius polit. c. 25.*

Necessarii, consanguinei, parentes, conjux, fratres validam ad expugnandos animos vim habent.



Hoc modo Themistocles puer adhuc jactabat inter suos se Athenas adeoque totam Græciam regere; nam mirantibus dicebat se in potestate matrem habere, matrem verò imperare Patri, Patrem consilia publica regere Athenis, Athenienses denique Græciæ principes esse.

Liberum ergo senator, Iudex, ac Magistratus, & ab omni affectu alienum animum retineat, officiumque suum firma promptaque mente gerat: neque inertia, otio, aut negligentia occasionem & tempus causarum omittat vel differat; in cognoscendo non excaudet aduersus eos quos malos putat, neque illachrymetur aut moveatur precibus amicorum aut calamitosorum. (*L. observandū S. C. de offic. praesidis Novell. 17. c. 2.*) neque in gratiam cujusquam contra conscientiam judicet; Vti Darius fecit, Danielem in leonum foveam conjici jubens; & Zedochias Ieremiam, & Pilatus Christum condemnans: sed tanquam lex viva, custos & minister eusdē, causæ merita & non personarum attendens, nihil nisi lege jubete; velit, faciat, vel omittat.

Et pro fine hujus capituli serviet quod *Agathon* dicere solebat, *Magistratum trium debere meminisse: Primum quod hominibus imperet: deinde quod non semper imperabit: tertio quod non nisi secundum Leges.* *Stobæus.*

## CAPUT VI.

### *De precipitantia & tarditate in determinandis causis, & ordine Iudiciali.*

Iudicium etiam suum habet ordinem substantialem, requirentem ante omnia causæ cognitionem, & examinationem, quæ nedum ad Iudicii solemnitatem, verum etiam ad naturalem Iustitiam conservandam adinventum est. Naturali namque rationi convenit: ut quis prorsus cognoscat id, super quo judicare debet & propterea dici consuevit, quod causæ cognitio à Iure divino descē-

dat:

dat; & sententia non præcedente causæ cognitione lata, ipso jure est nulla. Quæ cognitio actum debet præcedere, non sequi. aliàs hujusmodi præpotteratio vitaret. Vnde à præcipitatione Iudex debet abstinere, quoniam *præcipitatio dicitur noverca Iustitiæ*. Vant. de nullit.

Ordinem & Deus observavit in Adamo, eundem citando & audiendo, antequam puniret: non quòd aliquid sibi foret absconditum, sed ut Iudicibus sæculi, in sententiis proferendis exemplù daret, ut ait *Text. in cap. Deus omnipotens, 2. q. 1.*

Sic Deus voluit super peccato Sodomorum facere inquisitionem, & non punivit eos, quousque in conspectu Angelorum constitit ipsùm factum, volentibus Sodomitis abuti eis. *Genes. 19.*

Ordo servatus est in Achan, *Iosue 7.* in Villico, *Luc. 17.* & in extremo Iudicio servabitur: in jussu & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de Cœlo. *D. Paul. ad Thessal. c. 4.*

Cùm Pharisæi multa de Christi operibus ex servis Pontificum aliisque audirent; inviti eos acrius perstrinxère, seductos esse imò & maledictos exclamavere: quibus Nicodemus ( ille qui venerat ad Iesum nocte: ) *Numquid lex nostra iudicat hominem nisi priùs audierint ex ipso & cognoverint quid faciat*: Non temerè ergò, sed ex causæ & æquitatis cognitione procedendum insinuans. *Ioan. c. 7.*

Temerarium sequitur etiam Iudicium perversum: dicit enim Ecclesiastes 8. c. vers. 14. *Sunt iusti, quibus nulla mala proveniunt, quasi opera egerint impiorum; & sunt impii, qui ita securè vivunt, quasi iustorum facta habeant.*

Homicida quidam fortè juxta murum ruinofum securus dormiebat, audit vocem in somnis; *Surge miser, quid hęc iaces? surge, alicubi cuba.* Surgit homo, mutat locum, & ecce mox marcidus ille murus humi ruit. Ille mane excitatus, superis gratias egit, putavitque Cœlestes homicidis delectari: verùm iterum in somnis audivit vocem, *Putasne, miser, malos mihi esse curæ?* Et si nunc non permisi te mortem obire (mortem enim effugisti, sed facilitatem) scito tamen terribilem te in crucem reservari. *Stob. Serm. 7.*

Venit ad pastorem Religiosus quispiam, de Cœnobio exire

contendens, ed quòd cum fratre, qui malè apud quosdam audiebat, remanere nollet: cui ille, *Ne facile malum credideris, quod audivisti.* Cumque alius se ex relatu viri fidelis accepisse assereret: adjecit: *Si fidelis esset, numquam id tibi dixisset.* De Vorag.

Principium rectè judicandi omnia, est, ut nihil antè vos nosse existimetis quàm intellexeritis, ait Domosthenes. Quapropter in Iudiciis quibusdam triplex formula causarum in scripto constitutum observatur. Est enim admonitoria scriptio, quasi *Ani-madversionem* Iudicum, attentionemque postulantis: est rerum actarum & facti quæstionum editrix & enarratrix, quod *Intentionem* vocant: est præterea, quam Commemoratricem dicere possis, seu Commentarium argumentosum, *Memoriis* in foro dicunt. *Bud. in forens.*

Ad hoc facit Text. 2. n. l. c. l. Primò *super omnia diligenter inquirete, ut cum iustitia & charitate definiatis, neminem condemnetis ante verum & iustum iudicium: nullum iudicetis suspicionis arbitrio, sed primùm approbate, & postea charitativam proferte sententiam, & quod vobis non vultis fieri, alteri nolite facere.*

Confirmat Sapiens: *Antequam scruteris, ne reprehendas: intellige prius, & tunc increpa:* Antequam audias non reprehendas, & licèt apertissima sit contrariorum reprehensio, veruntamen ab his oportet, qui dati sunt, ad eorum examinationem, ordinem tervari.

Priusquam audias, ne respondeas verbum, & *in medio sermonum ne adicias loqui.* Eccles. c. 11. Licèt hæc Regula diversis aptari possit, etiam Iudicibus & Consiliariis convenit: ut prius omninò attentè omnes audiant, ex sola accusatione neminem condemnent, tam reum, se defendentem, quàm accusatorem agentem auscultent, quin imò & aliorum sententias & iudicia exquirant, omniaque circumlustrent antequam suam sententiam pronuntient: alioquin illis dicetur: *Sicut pravè intellexisti, sic pravè respondes,* ut & habetur de Consecr. dist. 2. c. 1. & 15. q. 8. *Priusquam audias, ne iudicaveris quemquam: atque ante probationem accusationis illata neminem à tua communione suspendas, quia non statim, qui accusatur, reus est: sed qui convincitur, criminofus.*

Verita-

Veritatem dies aperit, potestque poena dilata exigi, exacta revocari non potest. Seneca de Ira. Est quippe insontis animi citò irasci & credere rumoribus: sæpè enim sinistro rumori malignitas dat initium, credulitas incrementum. *Noli igitur ex suspitione tua aliquem indicare, antequam discas, utrum ita se res habeat, neque aliquem culpa: sed potiùs Deum imitare, qui ait, genef. 18. Descendam & videbo.* S. Chrysoft. *expecta, quòd numquam pœniteas.* Seneca.

Verum quidem quod pro rerum ac temporum circumstantiis aliquando moderanda sit festinatio & tarditas; attamen illa tum demum damnosa est cum perniciosior est quies, quàm temeritas, aliàs mora & cunctatio sæpè tutior. Vnde benè Herodotus: Vir ea ratione fiet optimus, si in deliberando quidem cunctetur & prætimeat quicquid potest contingere, in agendo autem confidat.

Consulere lentè quidem oportet, at cõsulta exequi festinanter.

Legatis Thebanis instanter petentibus ab *Agésilao* ut sibi responsum daret, *An non, inquit, scitis cum seria res agitur in mora multum esse consilii?*

*Diodotus* apud Thucididem dixit celeritatem & iram bonæ consultationi maximè contrarias, quorum alterum cum ambentia conjunctum esset, alterum cum imperitia & consilii tenuitate.

*Ludovicus Granatensis* summus Theologus, inter quinque cautiones quas deliberantibus proponit, moram quoque ponit: singulas audiamus, dignæ enim sunt memoria.

Prima, ut à divino Numine consilium aut judicium auspicietur, sine cujus ope in irritum cadunt humana consilia & Iudicia.

2. Est mentis aciem dirigere, & intendere non modò ad substantiam rei, verùm etiam ad circumstantias, easque diu multumque justâ Iudicii trutinâ appensas librare: nam quandoque neglectus unius circumstantiæ articulus omnem enervat, si non evertit, consultationem aut judicium.

3. Re sic sæpiùs examinata, eam conferre cum consultatoribus aut collegis: quæ enim cogitata sine consilio exequantur, aut ferme

mè bonum exitum consequuntur: ideo Salomon monet, *Ne sis sapiens apud te metipsum.* Proverb. 3.

4. Spatium deliberationi dandum: mora quippe interposita, & meliùs eorum, quibuscum negotium confers, ingenium morcscque noris, & notiora tibi sunt omnia & certiora, ne quod antea placuerit ex intervallo displiceat.

5. Ut exemplis præteritorum temporum non insistas, nisi omnes circumstantiæ pares sint; quod tamen rarissimè accidit. *Chock, aph. lib. 3. c. 20. 34. 10.*

*Thomas Morus*, ut nihil nisi benè examiatum in consilio statueretur, consuebat, quo die primùm quid in eo proponeretur, nihil de eo disputandum, sed in proximam conventum differretur: ne quis, ubi quod in buccam primùm venerit, temerè effutiat, ac ea postea excogitet quibus decreta sua tueatur, malitque salutis publicæ quàm existimationis & opinionis suæ jacturam facere, perverso quodam ac præpostero pudore, ne initio parum prospexisse videatur. Quod monitum ab Alexandro Severo sumpsisse videtur, ut ait *D. Chokier* *Dicto loco* qui proposita re consiliariis suis, spatium ad disquirendum cogitandumque dabat, ne de rebus sæpè magnis, incogitati sententias dicere cogerentur: Prudens & laudabile institutum.

*Proinde debent* Iudices esse maturi, & non repentè, maximè in rebus arduis, proferre sententiam; nullà etiam levitate præcipites esse in dictandis judiciis, cuncta benè rimari, & ordinem rerum sollicità inquisitione discutere.

In criminalibus verò, etiam audito delicto alicujus per famam, vel per alium modum, non statim debent procedere ad pœnam quousque fuerint sufficienter informati de veritate. Causas enim priùs examinare debent ante iudicium, semoto in totum omni respectu: ac de vita & spiritu hominis, qui pars mundi est, & animantium numerum cõplet, laturus sententiã diu multumque cunctari oportet, nec præcipiti studio, ubi irrevocabile factum est, agitari.

*At tu Iudicii cui sors commissa cruenti,  
Perspecta quid agas, sedulus ante vide.*

*Res*

*Res tibi cum morte est, non est hæc alea lusus :*

*Te reus antè tremit, tu magis ipse treme.*

L. Gellius cùm gravissima crimina de filio, in novercam commissum stuprum, & parricidium cogitatum, propemodum explorata haberet, non tamen ad vindictam continuò procurrit, sed pene unîverso Senatu adhibito in Consilium, & expositis suspitionibus, defendendi se adolescenti potestatem fecit, inspectaque causa absolvit : *Val. lib. 5. c. 9.*

Index igitur procedere debet pædetentim, maximè in rebus gravioribus : ut ad ferendam sententiam contra reum, de fisco dicandis bonis, aut de morte infligenda, non præceps feratur ; sed quid agat maturè consideret. *Nulla enim de morte hominis cunctatio longa.* Illa quæ vidit Ezechiël animalia, currum ejusque mobiles trahentia rotas, Iudicum & Magistratum symbolum sunt, qui Reipubl. currum trahunt. Siquidem hi figuram habent aquilæ, quæ summâ volat agilitate, pariter & vultum præferunt bovis, cui proprium est, non præcipitatum sed sensim procedere, ut gradum figat tutiorem ; qui tunc securior figitur, quando non præcipitanter, sed maturè proceditur.

Vnde & Iudices ac magistratus nostrates, apud quos in causis criminalibus, appellationibus jam olim locum mores non faciunt, monitos oportet : ut cùm de capite hominis absolutè judicant, non nisi cunctis exactissimè cognitis, pronuntient. cùm enim nulla sententia criminalis præcipitanda sit, sed manifestissimæ probationes priùs desiderentur ; tum ibi maximè iudicium præceps cavendum est, ubi error provocatione corrigi non potest. *Zyp. Iud. lib. 3. c. 6.*

Nimia quippe festinatio Iudiciorum noverca & labes dicitur, in qua scilicet legitimus cognitionis ordo & processus est prætermisus : qua in re peccavit *David*, ad accusationem *Sibæ* condemnans statim *Mephiboseth*. *Samuël c. 1. 19.*

Sunt ergò *Iudices* ut *nasus* Iustitiæ inter binos oculos, qui quasi duæ faces eum illuminant. Ita illos cognominat Christus, *Lucerna corporis tui est oculus tuus* ; ut noverit Iudex, dum è justitia conve-

convenit damnare sceleris reum, præviâ perspicaci consideratione perpendens quem & ob quid damnet.

Optimus *Judex* est, qui citò intelligit, & lentè judicat; unum enim benevolentia est, alterum verò diligentia exquisita. *Dei moer.*

*Grave* quippe Iudicium est quod iudicium non habet; & ad poenitendum properat, citò qui judicat.

Vnde etiam Iudices sedendo sententiam pronuntiant ne videantur ex levitate quadam moveri; & ad notandam maturitatem, quòd non impetuoso animo & præcipitato feratur sententia, sed cum tranquillitate iudicii.

Litigantes verò coram Iudice debent stare, & non sedere; ut patet. *Iuxta Tostat. Deuter. 25. & Levit. fol. 329.*

Sed neque Iudices debent gravari, ut audiant partes utrimque, & iuris sui studiosis ac ius æquumque postulantibus aures accommodent, nihilque illis inauditis præiudiciale decernant.

Ludovicus XII. Rex Gallia, dicere solebat: Etiam si mihi in Turcam aut Diabolum bellum esset suscipiendum, eos tamen priùs audire vellem. *Car. Molin. Monarch. Franc.*

Alexander Magnus, cum in initio in causis capitatibus sederet Iudex, accusatori aurem alteram occludebat; rogatus cur id faceret, Alteram, inquit, integram servo reo.

*Qui statuit aliquid parte inauditâ alterâ,*

*Æquum licet statuerit, hæud æquus fuerit. Seneca in Medea.*

*Quisquis inauditum damnat, vel crimine solvit;*

*Æqua licet statuat, non tamen æquus erit.*

Anu quadam paupercula Philippum interpellante, ut causam ipsius cognosceret, respondit ille, sibi non esse otium: cumque anus inlammasset, Proinde ne Rex quidem esse velis; Philippus admiratus aniculae liberam vocem, non illi solum præbuit aures, verum etiam alios audit. Hoc idem Zabini tribuunt Adriano Imperatori: sed Philippo tribuit Plutarchus in Apoph. Reg. & Imp.

Congratulandum igitur amico est dere magna in Curia ambi-  
genti,

cui obvenit perspicax litis inspector & acutus enucleator, hominum nec causarum amicus. Non omnium enim horum dierumque ea est felicitas, nec cuivis obvia opportunitas: ac post inspectam otiosè & accuratè litem, & Juris æquitatisque monumentisquè perpensam, ad Consilium bonâ fide relatam promptam, sententiam eadem probitate dicit atque diligens, dignus est qui Iudex optimus numeretur:

In summa, Iudicis est videre quid faciat, audire necessaria, audire prudenter perpendere, neque præcipiti & cæco impetu, absque prævio studio, sententiam proferre, sed quæcumque ad litem acciunt, non segniter universa inquirere ac patienter ruminare: In isto Iob similes effecti, c. 29. 16. *Causam quam nesciebam diligentissime investigabam, veluti si de vita res ei fuisset.*

Unde licet Iudices possint carere manibus, ut sint incorrupti, oculos tamen ad omnia cognoscenda debent habere apertos; ut in Tribuni, qui (si Alciato credimus) habebant in domorum suarum Ianuis depictam Regis sedentis iconem sive statuam, oculis tantum, non autem manibus privatam; *Judicis aliam, manibus truncam, oculorum tamen beneficio gaudentem.*

Iudicare volentes, quale Regis, quale Iudicis munus sit: illi manus esse, hunc autem manibus, non oculis carere debere. Iudici enim tot licet sint oculi, quot fabuloso Argo, sive mysterio plenis animalibus (quæ Ioannes Apoc. 4. oculis undequaque referta videt) vix sufficiant examinandis & indagandis litibus, nec non universis, quæ Rempub. concernunt, de quæ omnibus imbuendo Reges, cui conveniens est, ut manibus, brachiis ac fortitudine polleat, ut cuncta executioni madare queat.

Inter cetera etiam in causis judicialibus observanda est etiam quod primâ non debent râpi informatione Iudices; *qui enim cito credit cito fallitur.*

Unde perpendant omnes, qualiter delusus *Josue*, vir cætera prudentissimus. Illum Dominus populi Iudicem ducemque creavit. Hoc munere strenuus impingitur, & quæ sunt Iustitiæ tenax sequitur, Dei præceptis obtemperans. hanc Deus in quosdam declarat



rarat inimicos suos, nempe Gabaonitas, populum vicinum, quam dum *Iosue* implere cogitat, illi factum subodorati, vestes induunt laceratas, tritosque calceos, panem assumunt ad solem arefactum, vinum deferunt acetosum, & hoc schemate se *Iosue* sistunt Iudici, *Domine mi*, inquirunt, *tales non sumus, quales nos arbitraris: etenim populo circumiacenti divinam intendas sententiam; nos verò de longè adsumus, ut nostrum testatur schema. Nam egressi de terra nostra novis induti vestibus, novisque calceis, ecce per longas itineris molestias detriti sunt: panis, quem recentem accepimus, ut vides, eduruit, vinumque electissimum in acetum amaricavit: Audit illos Iosue, legitimasque judicat eorum rationes, & pro eorum pronuntiat incolumitate, contra quos divina lata erat sententia. Delusus est Iosue, ejusque comites, allegatis à parte fidem adhibentes nimium creduli, quia ad Deum non recurrerunt, gratiam lucemque postulantes, *O Domini non interrogaverunt. Iosue 19. v. 14.**

Sicut autem vidimus quod non nimis cito, nec leviter aut inadvertenter Iustitia sit administranda; ita & non minus tardè & cunctanter: neque enim dumtaxat nocet Iuris Iustitiæque contractio ac præcipitatio, sed etiam eiusdem dilatio & protractio, Iudicumque indulgentia, quâ litium materia solet foveri: debent enim magna cum diligentia expediri; quia Deus novit & homines, quòd ob longas & invtiles probationes, iteratas excusationes, dilatam sententiam, detineantur litigantes, quorum & substantia devoratur & consumitur; atque ubi tandem optato fine potiuntur, non ille in eorum, ut deberet, commodum, sed detrimentum obtinetur.

Iustitia olim pingebatur *virgo* (quam *Astream* quasi cœlitem vocabant) *libram* manu tenentem ad *Æquilibrium*, *alterà gladium sive ensē Virginem*, ut significarent eam debere esse integram, & incorruptam. *Libra* indicabat eam debere jus utriusque partis exacto examine librare, & non uti *staterâ* dolosâ. Qui enim aliter causam pauperis, aliter potentis, aliter sodalis, aliter audit ignoti, *staterâ* utique librat iniquâ; sed debet cuique juris æquilibrium assignare, ut bonis præmia pro meritis, malis pœnas pro demeritis

geome-

geometricâ proportione distribuat. Prout idipsum superius e-  
riam repetitum est.

*Ense* repræsentabant vindictam, quam Iustitia in reos exercet. Addit Pierius Hieroglyph. 42. c. 61. quem citat à Lapide Eccles. c. 20. ei appinxisse duas mulieres, quæ captivæ ab ea traherentur: unam, quæ fractum ensẽ manu prætendebat; alteram, quæ conto innitebatur, ut duo vitia extrema à Iustitia domita exhiberent, atque ex utriusque medio virtutem ipsam adstruerent. per fractũ scilicet ensẽ *Severitatem & præcipitantiam* nimiam retusam cohibitamque intelligentes; per Contum *Lentorem* nimium abdicatum, quo Iudicia plus æquo producebantur & laxabantur. Inde enim dicta *contatio*, quæ retardationem significat.

Ex nimia contatione & tarditate sæpè fit, ut major atque languidior tarditas actiones ipsas corrumpat, reddatque aut parum eas utiles, aut prorsus inefficaces, &, testante Spiritu sancto, Amos 6. c. 13. *Convertitur in amaritudinem Iudicium, & fructus Iustitiæ in absinthium.*

Brevibus dilationibus peragendæ sunt partes: peccatque multũ qui morarum tædio aliorumque incommodorum fastidio illas affligunt, maleque iudices proinde faciunt qui per detractionem fungendi officii, remoras alias super alias comminiscuntur, ita gratiam ineuntes ab una parte, ut alteram tædio, sumptu, & molestia enecent, avocamenta captantes, captatoria atque impedimenta, sicque se posse de multis impunè benè aut secus mereri, stipendiorum suorum corollaria esse censent commoda & luculenta.

Ita ut multis utilius esset, citò causâ cadere, quàm post tot annos vincere; quia litium dispendia suo obtinendo adversa sunt, & sæpè victorias Cadmæas efficiunt. Iudicum autem indulgentia improbitati Iudicatorum favens, callum vetustatis obduxit, & in curia & in omnibus penè foris, tam litigantium moribus quàm eorum cogitorum. Quod autem ad Iudices pertinet, eò penè res evasit, eorum culpa, quos inertia vel studio cunctatores esse non pœnitet, ut litigantes numerum illis augeant affeclarum,

cùm quotidie domum Iudicis ventitantes anxii litigatores, domoque prodeunti adhærescentes, & spe desperationeque alternantibus, animo sæpè linquntur: Dum litus arare sese sentiunt, nec tamen idem agere desinunt reticulumque inflare, aut certe lupum auribus tenent, quibuscum huiusmodi Iudicatoribus res est.

Atque hoc modo *Iustitia*, per quam obtinere quisque debet quod suum est, si jus experiri velit, *Iustitium* esse incipit, cùm retrogradam ac frustratricem sese exhibet per dilationum largitiones, frustrationum & calumniarum impunitates, dissolvendi æris alieni remoras.

Vnde multi non tam in jus quàm in iniuriam vocantur, ut quidem nunc est permultis in locis constituta Iurisdictio, seu Iudicium crimine, seu ut dictum est, conniventia, qui circumforaneis fur-tis fraudibusque potentiam indulgentius accommodare non iniurium esse putant, inanem etiam gratiæ clementiam captantes & corollaria dilationum alia atque alia estargientes, diversæ partis dispendio ac promiscuè inficiatorum talium perfugia admittunt; ut sunt intercessiones futes, provocationes improbæ, postulationes protervæ & detrectatoriæ, eremodicia affectata. Quorum rerum tædium & molestia devoranda iis, qui jura sua persequuntur. Ut nunc mittam fastidium Iudicum, qui observantiâ clientelari gaudent & cruciatu, iustitiam nequidquam flagitantium. Sed stomacho imperandum, quamlibet bile rumpatur, qui litigare statuerit, aut animus despondendus est, qui perferre ad extremum, sibi imperare non possit.

Cùm tamen Iudices uti Iustitiæ administri id maximè plerumque agere deberent, quod in Iudiciis agendum est, scilicet ut unusquisque rerum suarum fructum pacatum habeat, & lites inter cives minuantur, & quàm fieri potest expeditissimè diffiniantur.

Quod dum non fit, *Iustitia tantùm est constans & perpetua voluntas ius suum cuique promittendi.*

Quinimò litem lite, litibusque sæpè resolvunt Iudices, qui huiusmodi dant sententias, è quibus una vel plures lites subnascantur, quod

quod interdum culpa Iudicum, interdum litigatorum evenit, qui vinci semel nequeunt, & talium litium materia elidi radicibus, non nisi multiplici ac varia jurisdictione possit. Et alioquin hoc tempore, hac morum iniquitate, his hominum studiis, ad controversiarum aucupia incumbentibus, ista denique multitudine Interpretum Iuris, cujus nomenclaturam ediscere, & memoriter referre, non cujusvis est memoriâ præditi, ista scriptorum voluminum cujusque eorum Iliade, non magnopere mirandum lites litium jam perfoecundas, unamque litium sementem in multas messes restibilem; ut profectò forensium controversiarum seminarium sit, quod esse oportebat excidium. Vnde videmus, quòd lites quædam non tantùm iustitiales, sed etiam sæculares sint, ad quas auspicandas, Nestore adolescente, ad finiendas porrò senescente opus est, nisi heredi mandaturus sit. Quamquam translatitium sit apud nos controversias ab annis exortas, à nepotibus jam grandiusculis absolvi; nullaque causa nunc est tam fugax suâ naturâ, quàm non ætatem ferre instituta forensia docuerint.

Solertis ergò erit Iudicis, obscuris, ut evenit, causarum actionibus, principisque lumen quoddam admovere, interlatiunculis, & percuntationibus, inductione ad pacem, aliisque mediis conari interciderè: interdum etiam labantes actiones in tirocinio togatorum allevare molli, ut dicitur, & indulgenti brachio, partisque non longioribus terminis terere, sed causas illarum omnî meliori modo expedire, etiamsi ex dilationibus plus lucri foret expectaturus. Cùm enim Deus Iudicibus communicaverit suâ supremam functionem, illâ per avaritiam aut alios defectus abuti non debent; sed considerate, quòd illorum bursam nullus intret aureus, quin partibus constet decem, quæ quandoque plus sunt dispositæ ad emendicandum, quàm ad dandum: quandoque etiâ processus unicus cujus ipsi erant causa, aliquando poterit esse in ruinam integræ alicuius familiæ.

Præterea perpendendû est, quòd nulla coram ipsis pendeat lis aut controversia, quin excruciet unam vel alteram partem usque ad penetralia cordis. Et quoniam una ex majoribus hujus mundi

plagis

plagis & afflictionibus sunt processus, consequitur quod maximè sit charitatis illos impedire, aut saltem quàm potest fieri brevissimè diffinire. Deinde, si maxima sint peccata illa, quæ præcipuè advertantur charitati, ut docent Theologi, credendum est, quòd sit unum ex maximis peccatis, lites excogitare, multiplicare & prolongare, signantes respectu Iudicum, qui ad hoc sunt constituti, ut illas determinent & evacuent.

Cùm autem Pontifex Cl. *dissendiosam de Jud. dissendiosam pro- rogationem litium ex subtili ordinis iudicarij observatione provenire* scribat, refert clarissimus Tuldendus in causis corruptorù Iudicum lib. 3. c. 11. quod, qui nunc invaluit Iudicii ordo, non est ordo sed confusio; non processus ut vulgo appellatur, sed ambages; non quasi discretus quidam trames disputandi cognoscendique, sed labyrinthus: quæ via esse debebat ad cognitionem, definitionem causæ directissima, quid aliud sunt quàm salebræ quædam in quibus insidias utriusque litigator disponat? non hæc ad directionē Iudicis valent sed ad deceptionem: & quid nisi asylum aperitur calumniæ, tergiversationi, fraudi? qui portus esse debebat Iusticiæ, scopulus esse cœpit, aut certè vadum in quo causa sæculis aliquot adhærescat. Hinc semper remora quæ etiam expeditissimæ causæ cursum reprehendat. *Neque ignara hæc Reipubl. moderatoribus.* cùm non de alia Iuris parte plura indies constituent quàm de ordine instructuque Iudiciorum: sed profectò hoc ipsum est oleū camino addere, quantoque diligentior Iuris ordo præscribetur, tanto eorum impeditior erit ac tardior exitus; quia tanto plura de ordine litigandi, quàm de statu litis disputabuntur: quanto major circa istas accessiones occupatio, tanto tardabitur progressus causæ principalis: igitur non augendus iudiciorum ordo est, sed minuendus, & tanquam profunda sylva densitate arborum horrenda & licentia ramorum impedita & grassatoribus quàm viatoribus opportunior securibus truncanda est ac recidēda: & cùm nimis superstitiosè descriptum publicæ disceptationis ordinem reprehendimus, non id agimus ut nulla sit solennis ratio constituti Iudicii, sed ut moderata; nec tot præceptorum modis implicata ut neque

monere

nonne se Iudex possit, neque ad causæ conditiones adaptare cognitionem : neque enim in hac tantum re nimia diligentia nocet. Dum autem eundem Iudicii apparatus exigit causa perspicua & obscura, brevis & argumentosa; dum tam tumida diligentia de stillicidio quam de capitis discrimine instruitur; iisdem scribendi vicibus explicatur cum res oculis discernenda est, ut in finibus regendis, & cum non nisi animi coniectura comprehendi potest; dum una eademque per omnes cognitiones series intendendi, expiendi, replicandi, duplicandi, longiusque etiam alternandi disputationem (quo quid absurdius?) nunquid *mutantur pleraque causas, temporibus, necessitate, occasione?* nunquid, si Romanas leges contempleris, pleraque commissa hæc in parte Iudicis prudentiæ, ut arbiter sit & moderator ordinandi pro re & causa Iudicii ipse Iudex: quorsum enim omnis illa solennitas & ordo, nisi ut ille instruatur? Ipse igitur dispiciat quomodo edoceri causam quam optime & celerrime possit: quod quomodo uno per omnes causas tenore constare poterit? Ulpianus inter cætera quæ habentur l. 68, 69. 70. ff. de Iud. ait: hoc autem æstimare oportet eum qui jus dicit, & pro conditione causæ vel personæ vel temporis ita ordinem edictorum vel compendium moderari, & l. 2. ff. de re Iudic. Qui pro tribunali cognoscit, non semper tempus iudicati servat, sed nonnunquam arctat, nonnunquam prorogat, pro causa qualitate & quantitate, personarum obsequio vel contumacia: præterea Imp. Anthonini hæc sunt verba in l. 3. c. de edendo. *Edita actio speciem futura litis demonstrat, quam emendari vel mutari licet prout edicti perpetui monet auctoritas*, vel jus reddentis æquitas: sed causæ cognitioni non interponit se Iudex, nisi solenni illa inanum disputationum serie explicata: quæ advocatos quoque cogit causæ argumenta in alias atque alias scribendi vices dispartiri: etenim in illa scribendi cæca vicissitudine sæpè evenit, quod allegatione aliquam peremptoriam adversarius sine distinctione aut inficiatione transmittat, repetita tantum sua intentione, eiusque firmamento, ubi si causæ status notaretur à Iudice, jam lis seipsam peremisset: at nunc eo cœcius pergunt in acervandis probationibus. nam hodie

hodie dum scribendi vices inter partes recipiuntur, abest à causæ cognitione Iudex, statumque demum fatigatis jam ineptissime disputationis serie partibus, inquirere incipit, accedentibus præsertim causidicorum artibus, uberiores ex protracto jurgio questum aucupantur. Ne quis miretur ergò sæpissime se judicia habere sine Iudice agitata: non enim ille disputantibus præsto est ac moderatur, tandemque demum ferendæ sententiæ tempore non recognoscit causam. sed cognoscit, nec de controversia tantum sed de ipso iudicii actu jam dispiciet: adeò omnia hodie causidicis licent, adeo languet & dormitat Iudex; adeoque nequidem tentat habenas retinere, nec tam abripitur quàm sequitur errantes, & cum furentibus insanit: nisi tamen consuetudinis vi cum abripi dixerimus.

Itaque hunc instituti ordinem expediat, ut ante omnia causæ coniectio usurpetur, & vera liti contestatione *status* causæ proponatur: neque sanè antè effusis disputationibus orationibusque causidicorum indulgere Iudicem oportet, quia statu causæ demum constituto apparere potest quid demonstrandum sit, & quatenus admittendæ disputationes: quid enim si status sit in articulis Iuris minimè ambigui? an non statim jus dicet si de jure liquet? neque tantum paucis verbis status potest, sed exiguo quoque tempore. Nam quod hodie etiam ad excipiendum, replicationemque & ad duplicationem dilationes etiam plures dantur, id supervacaneum erit si eo modo inquiretur causæ status quem insinuat Tuldenus lib. 3. c. 14. & 15. de caus. corrupt. Iud: ubi *statum causa* appellat nihil aliud esse quàm principalis questio ex prima intentione & depulsione emergens; generale scilicet caput, quo omnia referuntur; id enim est quod litem facit, & quo sublato lis tollitur, unde reliquæ questiones subferuntur, & cui applicantur ut adminicula, cui denique subserviunt.

Quod autem una Iudicii forma non omnibus causis conveniat, jure quoque edocemur Pontificio, unde tamen maximè adaustra videtur Iudicarii ordinis observatio, cum ex Romanis legibus simplicior esset: sic enim scribit pontifex Clem. de verb. signif.

Sæpè

Sæpè contingit quod causas committimus, & in earum aliquibus simpliciter & de plano ac sine strepitu & figura Iudicii procedi mandamus, ut necessarius libellus non exigatur, litis contestatio non postuletur, in tempore etiam feriarum ob necessitates hominum indultarum in Iura procedi valeat: amputetur dilationum materia: litem quantum poterit Iudex faciat brevior, exceptiones, appellationes dilatorias & frustratorias repellendo: *partium, advocatorum, & procuratorum contentiones ac iurgia testiumque superfluum multitudinem refrenando. non sic tamen Iudex litem abbreviet quin probationes necessariae & defensiones legitime admittantur: citationem verò & præstationem Iuramenti de calumnia vel veritate dicenda, ne veritas occultetur, per commissionem huiusmodi non intelligimus excludi; verùm quia iuxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet, pro parte agentis & etiam rei, si quid petere voluerit, est in ipso litis exordio petitio faciendæ sive scriptis sive verbis: actis tamen continuo (ut super quibus positiones & articuli formari debent, possit haberi plenior certitudo, & ut fiat definitio clarior) inserenda, & quia positiones ad faciliorem litium expeditionem propter partium confessiones & articulos ad clariorem probationem usus longævus in causis admisit, Iudex sic deputatus (nisi aliud de partium voluntate procedat) ad dandum simul utriusque terminum dare possit, & ad exhibendum omnia acta, & munimenta, quibus partes uti volunt in causa post dationem articulorum, diem certum, quandocumque sibi videbitur valeat assignare; eo salvo quod ubi remissionem fieri contingeret pro testibus producendis, possunt etiam instrumenta produci assignatione huiusmodi non obstante. Interrogabit etiam partes sive ad earum instantiam, sive ex officio quandocumque hoc æquitas suadebit: sententiam verò diffinitivam citatis ad id, licet non peremptoriè, partibus in scriptis, & prout magis sibi placuerit stans vel sedens proferat, etiam, si ei videbitur, conclusione non facta.*

Sed quàm alienum est à ratione vilissimas hodie lites non nisi magnis scriptorum voluminibus explicari, atqui in re exiguz summæ non est tanti vincere: impensæ in Iudicium majores sunt,

N

quàm



quàm emolumentum condemnationis, quomodo id vel fraudis vel stultitiæ culpa careat non video. *Tuld. lib. 3. c. 16. de Corrupt. Iud. caus.* neque enim litigantes approbare conscientiam vel erudiri iustitiam avidi in iudicium confugiunt ut rem persequi tot sumptibus dignam videantur: sed rei familiari consultum volunt, & consequi suum vel tueri. Non enim bona conscientia litigantis præmium est, sed victoria, ait appositè Celsus.

Imperator Iustinianus, ne lites fierent immortales, & vitæ hominum modum excedant, expressâ lege statuit, causas criminales non ultra biennium, civiles autem non ultra triennii metas post litem contestatam esse protrahendas. *Tex. in l. properandum C. de Iud.* aliàs perit instantia, & infligitur Poena Iudici viginti librarum auri si ultra biennium distulerit. *L. finali C. ut intra cert. temp. quæst. crim. terminentur.* Iudex autem negligens causam civilem intra triennium terminare, si est in magna dignitate positus, punitur in decem libris auri; si in minori dignitate, in tribus filco applicandis, & ab officio amovetur. *§. Sin. autem utraque, d. l. properandum.* & quia nonnunquam Advocatorum negligentia fit, ut lites non possint terminari infra triennium, tunc advocatus punitur in duabus libris auri. *§. Illo procul dubio, d. l. finaliter* fit Iudex in Iustitiam pronus, adiri facilis, humanus, obvius, & benignus, omnium querelas excipiat, omnium causas discutiat, non extendat lites, non prolonget controuersias. *Drex. in Salom.*

Atque interim etiam cavere Iudicem oportet ne ipsa brevitatis noxia fiat dum prolixitatem fugit: non enim sic Iudex debet litem abbreviare, quin probationes necessariae & defensiones legitimæ admittantur: non ita litigatores angustos concludat, quin causam suam dicere, testibus & Instrumentis se munire, cœteraque omnia ad eam necessaria expedire possint: nec partibus etiam deerit Iudex, *sed interrogabit* inquit Clemens c. *sæpè &c. partes sive ad eorum instantiam, sive ex officio, quando cumque hoc æquitas suadebit:* consonat l. 21. ff. de interrogat: adeoque in omni Iudicii parte ubi Iudici videbitur non satis propositum esse, non satis disertè distinctum ut definiri possit negotium, interrogando supplebit id, quod

quod noscendo causæ statui deest, & probationes exiget quarum defectus definitionem remoretur. hinc ea, quæ praxis *puncta officii vocat*, nascuntur, & frequentissima sunt apud Brabantina Tribunalia, perquirente Iudice ea quæ causæ desunt, & litigantes tota aliquando via aberrantes dirigendo. Nec hoc datur personis, sed causæ, sed Iustitiæ. *Zyp. de Jud. l. 2. c. 7.*

Cœterum redeundo ad facilitatem & benevolentiam, de hac laudatur à Plinio Trajanus: *nulla in audiendo, inquit, difficultas, nulla in respondendo mora: audiuntur statim, dimittuntur statim.*

Amicus incusantibus quod parum memor Imperatoriæ Maiestatis nimium omnibus expositus esset, respondit, *Talem præstabo me Imperatorem privatis, qualem optarem ipse privatus*: Nihil est tam deforme, quàm ad suum Imperium etiam acerbiter naturæ adjungere: modestia verò & humanitas in Iudice ita est gloriosa, ut in mediocribus odiosa jactantia, & spreta in tempore gloria interdum cumulator redit. *Livius. 5.* quò quisque Major, eò se submissiùs gerat, dicere solebat Imp. Carolus V.

Pulchrè monet Isocrates, *Comis erga eos esto, qui te conveniunt, non superbus; nam fastidium & arrogantiam vel servi Dominorum ægrè ferunt: comitas verò grata est omnibus. Sis facilis aditu, inquit Agapetus, indigentibus, ob vim supremæ illius potestatis, atque aperias aures his qui à paupertate obsidentur, ut invenias Dei aditum apertum: quales erga nostros fuerimus conservos, talem circa nos reperiemus Dominum.*

Nec minus hanc commendat Seneca virtutem. *Esto sermone affabilis, accessu facilis, vultu qui maximè populos demiretur amabilis, à quis desiderii propensus, nec iniquis acerbus.*

Et quamvis suprâ dixerimus, quod Iudex debeat esse benignus, ac facilis in admittendo & audiendo litigatores, tum quia pars magna est rei benè cognoscendæ & benè judicandæ; tum porrò tœdii litigatorum magnum levamentum, quibus ipsæ litium morosæ tricæ satis molestiæ adferunt: *Verbum dulce multiplicat amicos & mitigat inimicos.* Eccles. 6. & licèt lege civili id etiam decretum sit, ut Iudex in adeundo facilem se exhibeat, vult tamen etiã

esse gravem. *L. obs. 9. de off. Præs. l. congruit ibidem.* Dum ergo se Magistratus vel Iudex exhibet comem & facilem, gravitatem remove non debet, quæ oblitit nascenti ex facilitate contemp-tui, prono deinde ad ingratitude. & quamvis *sapiens in verbis seipsum amabilem facit*, & Iustinianus dicat his verbis, *In aubent. de defens. in fin. & Zyp. lib. 3. c. 23. cognoscant omnes, quia & maximorum & mediocrium & parvulorum nobis cura est: & nihil est tale quod à nostra sollicitudine removeamus*: Attamen etiam sermonis gravitas in Iudice requiritur: & quamvis comiter excipit atque audiat adeuntes, nihil tamen polliceatur quod præstare non possit; non potest, quicquid sine injuria non potest; non potest sine injuria Ius alterius alteri dare; non aliquid addicere quod ad rem judicandam attinet, nisi diligentiam suam. Commendationes ut hodie nimium frequentantur, docet comiter excipere, Ius sequi, nec aliud amicitiae dare aut commendationi, quam quod inquit Symmachus: *Iusticia quidem suffragium non requirit, sed amicitiarum plerumque respectu celeritas causarum adiuvatur.* Lib. 1. ep. 10. Zyp. lib. 1. c. 27.

Memores tamen esse debent Iudices Isocratis ad Nicoclem dicentis: *Qua dicis aut recipis te facturum, tanquam rem sacram semper habeto.* neque in his promissis vlla fraus adjungi debet vel misceri, quæ cum omnibus foeda sit, tum verò iis qui majore dignitate præditi & tribunalibus adsident aut præsidet: neque enim sola verba venusta ac magni servitii aut servitoris nuda promissa, quibus curiæ ac Iudices hodiè abundant; sed facta benignitatem ac veram animi humanitatem declarare debent: etenim tam inanis & extrinseca verborum gestuumque lenitas non est humanitatis socias; sed comitati maximè contraria tam benè quàm ipsa morositas, quæ duriter alloquitur & fastidiosè audit alios, difficulter officia præstat, & quamquam interdum benefaciat aliis, tamen in sermone vultu vel gestibus nullam suavitatis aut benevolentiae significationem erga alium ostendit: ut autem carbo oleo non extinguitur, sed accenditur potius; sic humanitas iram frangit, morositas autem nulli cedit.

Idcirco homines agreſtes, & ſaxis, ſtipitibus atque feris ſimiles, pœtarum fabulis occaſionem dederunt, ut *Deucalion* ex ſaxis homines formaffe, *Orpheus* cantu ſylvas, ſaxa, ſeraſque traxiſſe: *Ambion* cythara Thebanos muros ſtruxiſſe fingatur: quoniam homines ad mitiorem vivendi cultum ſua ſapientia pertraxerunt.

Etenim hodie honores, nobilitatemque Magiſtratus ac officiati ipſa loquendi formâ, & ſerenitate vultus oſtendere conantur; vix ullum ad colloquium admittunt, quaſi aliter magni, niſi hac inſolentia tumeant, haberi nequeant: cum tamen melius præcipere videntur, qui monent, quanto ſuperiores ſumus, tanto nos ſubmiſſius geramus, & qui plus propter virtutem & nobilitatem poſſunt, eò minus quantum poſſunt, debeant oſtendere: & inter eruditos regulariter quo quiſque eſt doctior eò etiam eſt humanior & humilior, eruditionis expers nuſpiam eſt humanitas. Vis perire humanitatem? vim fac in ſcientia: doctrina ubi eſt, ibi quoque eſt humanitas: Torvitas verò & Morofitas regulariter inſcitiz & ſtultitiz eſt indicium: ſemidocti etenim torvitate vultus, & negligentia in expeditione ac tarditate, ſibi & exiſtimationem doctrinæ atque auctoritatis arbitrantur circumdari: tales ſunt qui duriter & cum ſaſtidio partes audiunt, ac vix dignantur reſpondere, negligentes in adminiſtranda juſtitia.

In *Demetrio* Rege inſignis non modò negligentiz & ſaſtidii in audiendis ſubditis: verùm etiâ levitatis & malitiz nota cõſpicitur: cum enim in via aliquando magnam copiam libellorum ſupplicum hilari vultu à ſuis ſubditis accepiffet, & hi optima ſpe læti certam ſibi opem à Regis clementia promittentes, ſequerentur: Rex tranſiens flumen *Axiuum*, cum ad medium pontem veniſſet, omnes ſupplicationes non lectas in flumen effudit, & ſupplices à ſuo comitatu depelli juſſit. quid hac arrogancia odioſius? quid vanius? ſuperba quippe tumiditas ſemper odioſa, ſemper ingrata & ſaſtidioſa eſt. quid verò eſt contrâ affabilitate dulcius, quid comitate amabilius? cujus tanta eſt vis, ut & impſobum hominem charum & amabilem reddat: hæc in vultu erit, ſi placidus, ſi jucundus, ſi minimeque auſterus aut tetricus ſit.

In

In alloquio libenter alios alloquens & leniter non fastidiosè audiens, ac benignè & comiter respondens, in omni sermone, gestu, actione, & officiis præstandis, benevolentiam suam erga alios cum quadam suavitate declarando.

Hæc virtus summopere commendat Iudicem, ut quæ lenitudinem quandam animi efficiat, exhibeatque congregatus & colloquia, inter eruditos præcipuè, placida, jucunda, suavia, & candido salerincta: vera enim est comitas, placidè audite eos qui nos compellant, & vel de doctrinis aliquid sciscitantur, vel causas exponunt quas officii ratione Magistratus & Iudices cognoscere oportet, ut Alexander Magnus audito accusatore, inquit, se alteram aurem integram audiendo reo servaturum esse.

Hanc nobis recommendat Ecclesiastes c. 4. dum dicit. *Congregationi pauperum affabilem te facito.* & alius.

*Aditus faciles præbeto interpellantibus; mollit corda mansuetudo, indurat corda austeritas:* unde *Parsatis* Cyri Artaxerxisque Regum matris præclarum illud fertur elogium; *Byssina Regum ac Superiorum esse verba debere.*

Graviter tamen, ut etiam suprâ diximus, excludi nolumus, sed suo loco & tempore adhibendam: exemplo *Ferdinandi Imp.* qui dum Noribergæ versaretur, roganti cuidam ex Primatibus, quo modo tantam multitudinem regeret, respondit, *Blandis verbis & atrocibus pœnis:* sic enim debent Respub. esse constitutæ, ut superiores omnes subditos cum comitate recipiant, audiant, & respondeant, atque in pœnis delinquentibus infligendis gravitatem servent, & iustitiam synceram atque inviolatam administrant.

Hanc autem humanitatem ac benevolentiam nec vendere neque emere oportet: vera enim & non acquisita sit; sequendumque exemplum *Philippi*, qui Alexandrum filium suum objurgabat, quod largitionibus benevolentiam Macedonum sibi conciliaret: *Quæ te, malum, inquit, ratio in istam spem induxit, ut eos tibi putes fore fideles, quos pecunia corruperis: an id agis ut Macedones te non Regem suum, sed creditorem putent?*

O quam

O quàm multi hodiè reperiuntur Iudices humani, benevoli, & affabiles, quamdiu accipiunt; apud quos dum munera cessant, cessat & humanitas; nulla partibus datur audientia, nullum causarum examinandarum aut finiendarum tempus suppetit; negotiis aliis se obrui dicunt.

Non ita nos docet *S. Ioannes Eleemosynarius*, qui cum aliquando præsedisset, omnium alloquio querelisque excipiendis paratus, & nemo pro subsidio accepisset, vesperè subtristis: causam verò sciscitanti cur tristior appareret? *Hodiè*, dicebat, *nullus à me quicquam accepit; neque minimum quidem piaculum offerre potui Christo pro peccatis meis.*

*Perdis diem, quo nil facis bono bene:*

*Henricus Imp. Frederici filius* ita erat in rebus assiduus, ut vix serò cibum caperet: momentibus autem, valetudinis curam haberet: *Privati*, ait, *hominis tempus cibi est cum id lubet aut solet: at Regi si nomen suum non abdicat, id solum quo vacat.*

*Alexander* se ita communem præbuit, & erga eos cum quibus versabatur, comem, usque eò ut & interrogare liceret *si quis quid vellet, & responsa benigna redderentur*: quis non admiraretur?

*Rudolphus I. Imp.* cum videret à stipatoribus pauperes arceri: *per Deum*, exclamavit, *sinite eos ad me venire: non enim sum ad Imperium vocatus ut in arcula includar.*

*Pius II. Pont. Max.* cum ad eum senex verbis supra modum profusus petendi quippiam gratia accessisset; eumque quia profusorem quidam de adstantibus moneret, verè *Pius* Pontifex omnia illum ab exordio repetere imperat: vultuque severius in alterum retorto, *Nescis*, ait, *ex quo pontificatum ini, aliis vivere me oportere, non mihi:*

Rarum exemplar humanitatis verè quod meritò, æmulentur posterì.

*Tolle humanitatem, homo ipse & universum tollitur: vel primarum virtutum omnium est humanitas.*

Vt Consules ac Iudices humanitate & facilitate interpellantibus se faciles præbeant, vult *Vlpianus* expressè in I. necquicquam

S. obser-

§. observare ff. de off. procons. dum decernit, *ut omnium desideria audiantur, ne fortè dum honori postulantium locus datur, vel improbitati ceditur, mediocres desideria sua non proferant &c.*

Sed multi sic hodiè aures suas obturant, audentque dicere: *num me Tribunal mendicorum censentis: num inanium rixarum arbiter sum?* quantum abest ut tales faciles sint in aditu, & audientia benigna: cum tamen Iusticiæ sit prima pars dare locum dicturo, imò animare timidum.

Aliud nobis dat documentum *Traianus Imperator*, cui profecturo ad bellum, cum equum jam conscendisset, vidua quædam occurrit alta voce iuclamans *filius meus, ô Rex, te regnante interfectus est*: mox apprehenso pede illius dixit: *Obsecro Domine, ut cum eum mihi reddere non vales, sanguinem saltem eius vindicare digneris*: Ego, ait ille *satisfaciam tibi cum rediero*: *Quod si non redieris* ait illa, *quis mihi præstabit?* *Successor meus*, ait Imperator: *at illa, Quomodo hoc sciam? quod & si facturus est, quid tibi proderit si alius benefecerit? successor tuus iniuriam patientibus vel passuris pro se tenebitur: te non liberabit Iustitia aliena: nonne melius tibi est, ut tu iustitiam mihi facias, & pro hoc mercedem recipias, quàm alteri hanc transmittas*: movit Imperatorem pietas & equo descendens causam viduæ diligenter examinavit, & condigna satisfactione viduam consolatus est. *Spec. exemp. lib. 10. c. 46.*

## C A P U T VII.

*Iudicia non vendenda, nec ambientes ad illa admittendi.*

**C**VM omnis potestas à Deo sit, teste D. Paulo *Ad Rom. 12.* ex cæque honor profluat ut à Sole lumen: sed maxime luceat in iis, quorum vitia, ut nubes, lumen non impediunt, qui dignitatem criminibus non prostituunt, qui Magistratum non pecunia

cupia, aut fautoribus, sed virtutibus ambiverunt: qui non auratis alis, ut loquebatur Euripides volare contendunt: *Hæc enim res ipsa*, inquit, Seneca *ep. 115.* quæ tot Magistratus & Iudices facit, Pecunia, ex quo in honore esse cœpit, verus honor cecidit, Mercatoresque & venales invicem facti, quærentes non quale sit quidque, sed quanti. *Zyp. lib. 2. c. 2. in Iudice.*

Cùm tamen *Judicia* publicæ sint functiones, & *Dei administrationes* ut supra dictum est, adeoque ad eiusmodi officia summo cum delectu eligendi sunt *viri sapientes, timentes Deum, qui oderint avaritiam: sint vitæ incontaminata*, quales se esse profitebantur candidis vestibus, qui olim Magistratus petebant; & qui habebant non tantùm *manus sed etiam oculos continentes*, nec promovebantur cum negotiatione pecuniæ. *Tholof. tom. 2. c. 7, lib. 21.*

Licet, quod dolendum est, plerique Iudicum à sordibus puri, non item ab ambitione & gratiæ aucupandæ studio infontes sunt. Dicitur quippe *Ambitus* & *Ambitio*, cum hoc interesse, quod *Ambitio* propriè est honorum & laudis immoderata cupiditas; *Ambitus* verò, cùm ad publicos honores & Magistratus, turpibus ac inhonestis artibus, ut puta blanditiis, precibus, largitione, contendimus.

Quæcumque autem *Ambitus* facit, *Ambitio* facere compellit.

Hoc plurimi his temporibus ducti vitio, & inanis gloriæ cupiditate, aut avaritiâ, aut otio molesto, aliaque commoditate, ad capeffenda negotia, longa subsellia & pulvinos aspirant, ac per iocum & ludum publica negotia tractant.

Imperandi etiam ista cupiditas levitatem præ se quandam ferre videtur: auctoritatem nullam parit. Imò quo quisque Iudicaturam aut Magistratum appetit avidius, eò magis à populo contemnitur, sequæ ipsum commendare necesse est; & de post deprehenditur, quod Seneca scribit, ambitionem ad dignitatem, non nisi per indigna ducere: qui enim per contractum aut pœnâ pecuniariâ studet ad publica peryingere officia, is se eodem officio indignum reddit, juxta Platonicum iudicium, quo officia captantes rejiciuntur, & qui ab illis fugiunt, soli ad eadem compelluntur ac digni habentur. *Damb. de emend. offic.*



Ideo



Ideo Alexander Severus, ut à Lampridio refertur, Præfectum prætorii fecit, qui ne fieret, etiam fugerat dicens, *Invitos, non Ambientes, in Rempub. collocandos esse.*

Ex hoc *Ambitus* vitio etiam procedit, quòd illi, qui rerum experientiâ valent, quive probi, sed pauperes sunt, cum nec pecunias habent ad officia mercandum, vel si habeant, nolint laborem mercari, non sint in gubernaculis iudiciorum & Reipub.

Non enim qui pondus administrationis Reipub. rectè norunt, sollicitudinem ambiunt Magistratus (sub quo nomine & cœtera officia comprehendi possunt) si probi, sunt pauperes: multo minus si probi & divites, suâ sorte, extra aleam tantæ curæ, contenti. *Theos. d. loco.*

Hos ambientes, rerum ambitri & moderatores, latis legibus ambitus in republica collocari vetant, illosque tantum extolli, qui virtute, non fautoribus ambiunt.

Dictoque crimini variis modis in Republica Romana obviam itum est, quos collegit ex Livio, Cicerone, Plutarcho, aliisque Auctoribus Alexander ab Alexandro genialium dierum. lib. 3. c. 17.

Proximè accedere ad Ius quod nunc obtinet *Lex Calpurnia*, refert Tuldenus. *Adl. Iul. Ambitus n. 5.* quæ in perpetuum ab honorum petitione summovit eum, qui publico Iudicio ambitus, foret condemnatus, nisi ejusdem criminis alium peregisset reum, & si quis competitorum suum ambitus condemnasset, eius Magistratu munerabatur. *Lex Tullia* ambitus damnatum relegari in decennium jubebat. *Lex Petilia* vetuit forum & conciliabula præoccupandorum gratia obire. *Lex Papiria* candidam vestem ademit. in Cod. Theodos. confiscationis & exilii pœna huic crimini imponitur. *Lex Iulia* Ambitus punit pœnâ centum aureorum, itemque exilio & infamia.

Et in eandem mulctam incidit non solum emptor, sed & venditor, ac etiam is, cujus permisso omnia peraguntur, & qui easdem literas obsignat ac chirographo munit. *Damb. d. l. de empt. & vend. off.*

Deinde novella Iustiniani 8. Ut Iudices sine quoquo suffragio fiant:

fiant: Denique Novel. Tiberii. 2. inter Iustiniani Novellas relata v. 161. Quibus Constitutionibus etiam jurisjurandi necessitas imposita est iis, qui honori aut administrationi alicui præficiuntur, se pro administratione sortienda neque dedisse quicquam, nec daturus umquam postmodum fore, sive per se, sive per interpositam personam, in fraudem Legis sacramentique: aut venditionis donationisve titulo aut alio velamento cuiuscumque contractus. Et ob hoc (solis exceptis salariis) nihil penitus tam in administratione positos, quàm post depositum officium pro aliquo præstito beneficio tempore administrationis, quàm gratuito meruerunt, accepturos. Cujus jurisjurandi formula amplior concepta est à Iustiniano, & subjuncta d. Novellæ 8.

Si autem quis ausus fuerit, prædicta sacramenta negligere, non modò adversus dantem, sed etiam adversus accipientem, accusandi cunctis tamquam crimen publicum conceditur facultas. Per ultim. C. ad l. Jul. repetund.

Sed cheul ad quæ pervenimus tempora? ubi nunc tales Candidati? <sup>i</sup>

Si omnes Dantes & Accipientes accusarentur, numquid Tribunalia libellis plena forent?

Si non essent qui acciperent, numquid & cessarent dantes? Quis ergò plus peccat?

Numquid & Accipientes sciunt Dantes præstando tale juramentum, etiam quandoque in manibus accipientium, apertissimè pejerare?

Etenim quàm rari sunt qui hodie gratis promoventur ad potestates, Iudicaturas, ac Magistratus, nisi priùs aliquid dederint, aut daturi sint, si non per se, saltem per interpositam personam. Qui sunt, qui non plurimis & variis præcedentibus commendationibus, sollicitationibus, ac promissis promoventur? Sed numquid illis, qui tales promovent & idoneos dicunt, constat de sollicitationibus indirectis & etiam directis? Numquid illi sciunt qui munera accipiunt vel antè vel depòst, & æquè benè ad prædicta officia admittunt, & ordinatum juramentum excipiunt, quo talia

interdicuntur? Sed dicunt, dantur uxori aut prolibus, dantur post promotionem, adeoque gratuita sunt, non obligatoria. Numquid dicitur in juramento, nec *directè*, nec *indirectè*: nec *dedisse*, nec *daturos*? & dum dant vxori numquid dant indirectè saltem? dum depòst, non recordantur, quòd se non daturos promiserint. nec antè nec depòst: Vnusne ergò hìc peccat, an duo?

Audiamus S. Augustini verba ad textum Iuris Canonici relata: *Ille qui hominem provocat ad iurationem, & scit eum falsum iuraturum esse, vincit homicidam* ( id est plus peccat quàm homicida ) *quia homicida corpus occisurus est, ille animam; imò duas animas, & eius animam, qui iurare provocavit, & suam. Scis verum esse, quod dicis, & falsum, quod ille dicit, & iurare compellis: ecce iurat, ecce peierat: tu quid invenisti? Imò & tu periisti.* De decollat. S. Ioannis Bapt. & 22. q. 5. c. ille. *Auimæ verò unius perditio est gravior quàm mille corporum.*

Quin & Ceccero lib. epist. ad Q. fratrem insigne dat monitum. Hæc opinio sit non modò iis, qui aliquid acceperint, sed etiam iis, qui dederint, te inimicum, si id cognoveris, futurum: Neque verò quispiam dabit, cùm erit hoc perspectum, nihil præter eos, qui simulant se apud te multum posse, abs te solere impetrari.

Perjurii occasionem Legibus dare noluit, sed tollere, Imperator Iustinianus ( in l. Ambiguitas c. de indicta viduit. tol. ) ubi vult cessare Legem Miscellam, & juramentum de non nubendo, dicens his verbis: *Quare scientes & prudentes periurium committi patiuntur?* & circa finem: *Cùm satis esse inhumanum videatur, per leges, ( statuta, recessus ) quæ periuria puniunt, viam periuriis aperiri.*

Sunt & qui se Collatores officiorum vocant, & dare se illa exponunt: numquid mentiuntur, dum non dant, sed vendunt, & quidem plus offerenti? Numquid dum Magistratus, Scabinatus, Prætoratus, honores & officia venalia sunt, fit, ut majori in respectu & pretio sint divitiæ, quàm virtus & Iustitia?

Probabile enim est, eos, qui officia ambiendo & emendo impensam fecerunt, assuescere quoque quæstum facere: Numquid tales

tales justitiam, injustitiamque non ex re, sed ex commodo existimabunt magis, magisque vultum, quam ingenium bonum; & aliud clausum in pectore, aliud promptum in lingua habebunt:

Sed & hi Tribunatum adepti, conquerentur de pòst, quod non sint ad Præturam deducti: si desit consularis, nec hoc quidem sufficiet, si opus est ultrà. *Cupiditas enim non unde venerit respicit, sed quò tendit.* Seneca in epist.

Numquam improbæ spei quod datur satis est: omnia meruisse existimat. Majora enim cupiunt, quò majora venerint: ut flammæ infinita vis acrior est, quò ex majore incendio emicuit. *Idem de benef.*

Quantum verò ambitiosus in honorum petitione est inverecundus, quantum in rerum sublimium appetitivè immodicus; tantum, ubi eas adeptus est, insolens & intolerabilis in superbiam extollitur, in jaçantiam effrænatur. Non curat prodesse, sed gloriatur præesse: præsumit se meliorem, qui ceruit se superiorem: priores dedignatur amicos, notos ignorat: externos comitatur, contemnit antiquos: vultum avertit, cervicem erigit, fastû ostendit: grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur, præesse molitur, subditis onerosus, arrogans, gravis & importunus. *Innoc. de vilitate humana.*

Mavult audire probus, quàm esse. Vult haberi severus, cùm tamen Iustitiam asperneretur: Magnanimitas si quid adepta est, in eo conquestit: ut ambitio illa ipsa quæ pravè concupivit quamvis per se pulcherrima, non intelligit, postremò non intellecta dedignatur ac fastidit.

Sanè qui judicandi munus ambiunt, eo ipso indignos se ostendunt: munus inquam minimè gratiosum, quo alios bonis, alios etiam vita exuere sæpè necesse est. Appositè de eò Fabius: *Durum ministerium & iniucunda honoris huius necessitas. sed quis potius leger exequatur, & hominum commissa, nisi qui Rempublicam administrat? nemo istud faceret libenter nisi necessitate: imò nemo ambitiosus affectat, nisi qui lucri magis occasionem, quàm religionem officii spectat: quam ergo perversi commatis est, Iurisdictionis officia*  
 venum-

venum exponere, & addicere plus licitanti: quod quid aliud esse dicas quàm publicè dare licentiam & jus corruptelarum; quid aliud quàm velut publico edicto denuntiare animis ad magna surgentibus ne ingrata sapientiæ, sed ut pecuniæ studium, id est avaritiam, colant? quid aliud est, quàm doctæ industriæ veræq; gloriæ stimulos retundere, & in exilium pellere bonas artes, ac tenebris damnare virtutes, *quas nec sperare liceat, nec habere profit?* Quæ cum ita sint, nemo dubitaverit hunc grandem esse *Abusum* & corruptorum Iudiciorum causam, quod Iudices ipsi sæpè corrupti & pravi, qui non virtutis aspectu sed ambitu provehuntur: quomodo enim sinceritatem Iudiciorum in negotiis alienis præstent exsortes virtutis, cum in propriis etiam rebus totaque vita corruptis Iudiciis hallucinentur, pro honestis amplectentes turpia, blandientis utilitatis specie abducti.

L. Sylla pro tribunali cum Prætor esset, atque Cæsari adhuc privato iratus diceret, *se officio suo usurum*: respondit Cæsar, *Rectè tuū appellas officium, quod pecunia tua comparasti*. Ecce quomodo hæc emptio causa fuerit tantæ audaciæ & jactantiæ.

Sapienter idcirco Basilii Imp. Constantinop. ad Leonem filium, cognomento Philosophum, inquit cap. 43. *Auro & muneribus venales honores & dignitates cave ne habeas, sed eas dignis largire gratis. Qui enim Magistratum pretio emit, subiectos illi Magistratus multò magis emit, ut muneribus, quæ dedit, fretus, ipse audaciùs manera capiat. Proba ergò & explora priùs diligenter, atque ita demum ad honores provehe eos, qui sine muneribus ambibunt, si vis à Republ. omnem sordium & concussionis labem exulare. Nam qui dat, ut Magistratū habeat, quæstū sibi à Magistratu captat: dat enim ut ius capiendi habeat contra leges, hoc agens, ut nullis legibus teneatur. Qui enim Magistratum mercari didicerit, is numquam munera capere dediscet, & sine muneribus aliquid facere numquam volet: Te autem concussionis & sordium habebit Magistrum, quem debuerat habere vindicem: neque ipse solùm munera capiet, sed eos etiam, qui sub ipso erunt, munera capere coget.*

Quis ergò mirabitur, si navis à talibus Navarchis ducta in scopulos

los & perieula incidat? O quàm benè agitur, cùm ille, qui modicis contentus modestè & inter inferiora versari mavult, quàm ut aquila arduo volatu & nubes verberare, & inter nubes vanescere.

Atque hoc modo monet Iustinianus superiores, circa iudices vigilare, in verbis Auth. *Vi Iudices sine quoquo suffragio, &c. vos autem si negligentes non referatis* ( illorum scilicet prava iudicia ac negligentias ) *rationem reddetis apud Deum pro aliorum iniustitia, si quod nobis non agnoscentibus damnum apud vos hominibus inferatur.*

Quod si verò licitè officia vendi posse contingeret, requirerentur sequentes conditiones: primò ut vendens habeat auctoritatem, supremus scilicet Princeps. 2. ut vendantur quantum fieri potest digniori. 3. ut pretio moderato, ne detur occasio emptori ut multa iniqua extorqueat sicut docet experientia. 4. ut id censetur necessarium Reipub. vel utile bono publico: tamen ob multa incommoda plerumque est perniciosum, quia dum venduntur, plerumque conferuntur, non quidem dignis, sed & indignis, qui pecuniis suppleant quod meritis deest. Digni enim vel tantis pecuniis carent, vel certè censent indecorum hac via ad officia irreperere: præterea hoc modo magis provocantur homines ad studium pecuniarum quibus vident dignitates parari, quàm ad studium probitatis & bonarum disciplinarum, quibus in Repub. parum loci relictum.

Denique illi qui hæc officia sunt consecuti, non administrant ea prout Reipub. bonum postulat, sed pro suo compendio, & ut pretium recuperent quod solverunt; undè fit ut multa injustè extorqueant, iustitiam venalem habeant, divitibus & potentioribus favcant, causas pauperum negligant. *Lessius de Justit. & Iure, lib. 2. c. 32. n. 15. 22. 28. & 29.*

Proinde qui rectè gesturus est Magistratum, tantum ab ambitione debet esse sepositus, ut quærat cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi; quis enim locus tutus, & quæ causa poterit esse excusata, si veneranda iustitiæ templa pecuniis expugnentur? *Quantum quisque mereatur,*

*non*

*non quantum dare sufficiat aestimetur. Leo Imperator. In l. si quemquam, C. de Episcop. Male se res habet, cum quod virtute effici debet, id tentatur pecunia. Cicero lib. 2. offic. virtute ambire oportet non fautoribus non prece nec pretio, excelsiusque est per iniuriam negatos esse honores, quam citra meritum delatos: Cato malle se ait ab hominibus cur statum non haberet, quam cur haberet, requiri: in promptu causa est.*

*Virtus repulsa nescia sordida  
Intaminatis fulget honoribus,  
Nec sumit aut ponit secures  
Arbitrio popularis auræ.*

Et licet magnanimus honorem appeteret, generose tamen contemnet: etenim

— — Bene, cum sat est mereri  
Non ambitur: at optime omnium hoc fit,  
Nolle sumere cum sat est mereri.

Contemptus Catoni est honor, quia negatus: & ignominia, quia contemni potuit, nulla fuit: sic *Arristippus* à Dionysio iussus infima per contemptum mensa accumbere, *Hunc inquit Rex illustrare locum voluisti*, Putean. in livio vitæ humanæ.

Sed hodie ambitionis termini eò usque se extendunt, ut & accedant, qui in speciem religionis fortunas effundunt, & aliquibus locis piis donationes faciunt, ut per eorum profectus suffragia consequantur, quæ apud alios emere non liceat. sanè non tantum ingeniosæ & per leges vetitæ donationes coërcendæ sunt, sed & deplorandæ multorum locorum consuetudines, ubi publico scito venales Magistratus & officia subhastantur: quibus Zypeus *Lib. 1. c. 32. n. 6. de Iudice.* nihil aliud reponit quam verba Iustiniani, *Authent. ut Iudices sine quoquo suffragio fiant.* ubi non solum ut Legislator, sed & ut Philosophus in hunc *abusum* invehitur, cujus verba sunt.

*Quicumque desiderat primatum in terra, inveniet confusionem in cælo; quoniam non qui maior in honore, ille iustior; sed qui fuerit iustior ille maior: conversatio ergo melior desideranda, non dignior gradus:*

D. Chry-

D. Chrysoft. *c. Multi dist. 40.* sicut locus regiminis desiderantibus est negandus, ita fugientibus offerendus.

Moderatione animi constrictum scimus Rutilium Consobrinū, iteratam Censoriam dignitatem deprecatum : Fabium N. ne filius iterum consul designaretur ; Africanum, ne sibi æternus consulatus, perpetua dictatura, aut status decerneretur. *d. Greg. cap. in script. 8. 41.* & licet pluribus rationibus dictum sit & adhuc dicetur cur Magistratum & Iudicaturas emere non liceat, quinque tamen cōpendiosas adducit Ioannes Casus. *In Sph. Civit lib. 2. c. 9.* scilicet

1. Magistratus est bonum publicum civitatis, quod solum virtuti debetur.

2. Ambitio in omni rectè administrata Repub. prohibetur.

3. Hoc modo honesta paupertas ab omni dignitate civitatis excluditur.

4. Sordidum est in Republica, si talis quæstus permittatur.

5. Periculosum est, si Tribunal Iustitiæ corrumpatur.

Sit ergo Superiorum præcipua cura, ut cognoscendis causis viros præficient incorruptos : id quæ fieri potest ubi venduntur iudicandi munia, & eis designatur iudex, non qui vir melior est, sed qui ad dandum prior vel largior ?

Nunquid verissimum est, quod nundinari Magistratus *omnis malitia sit initium & finis* ? Vernul. polit. lib. 2. c. 4.

Imò hoc unum est malæ constitutæ Reipub. argumentum, si pecuniâ Magistratus parentur : tollitur sanè virtutis & eruditionis studium, si iis tantum ad honores aditus pateat, qui sunt opulentiores : quamquam nec facile eum subditi verebuntur, quem propter pecuniam, non propter virtutem, superioribus placuisse non ignorant.

Quinimo magnus virtuti stimulus addetur, si qui munus à principe accipit, intelligat illud se propter virtutem suam & merita accipere, non verò propter opes aut aliorum recommendationem : vix commendatio sine fuce est. melius sanè cum Repub. ageretur si nulli commendarent, ac solum merita investigarentur.

Ast quemadmodum nihil unquam adeo rectè institutum fuit,



in quod fiducia licentiæ, quæ pravis ingeniis agnoscitur, *abusum* non invehret, ita in Magistratum honorumque petitiones recommendationum sordes immisit. Sunt enim permulti qui importunis precibus ac negotiosa quadam contentione, quod meriti non sunt, præmium consequuntur, alienique laboris ac meriti fructus percipiunt, dum non petunt tantum, sed vexant, & quodammodo cogunt. Sanè qui generosi sunt ac veræ virtutis amantes, servire melius & mereri norunt quàm importunè mercedem extorquere: vilissimorum est hominum, tot porrectis libellis supplicibus mercedem extrahere, Principum ministros sequi, Amicos adorare, urgere, verbo dicam, pudorem ponere, *Vernul. polit. lib. 1. tit. 12. c. 3. §. 4.*

Proinde virtutis ac meritorum habenda ratio, non opum aut recommendationum; nam propter opes tantum aliquem evchere, est illi causam dare, ut se insolentiùs efferat, ampliores opes corradat, & suæ modum cupiditati nullum ponat. Alicui etiam nulla virtute egregio ac tantum illustri stirpe nato honores deferre, est virtutem ipsam dedecorare, & ignominia majores ejus aspergere. Cum verò sola virtus ac merita spectantur, spes oritur dignitatis obtinendæ in obscuris, & metus honestatis amittendæ in nobilibus, atque ita fit, ut illi ad virtutem & præclara facinora excitentur; cum autem Iustitiæ proprium munus sit, cuique quod suum est tribuere, non tantum in constituenda inter litigantes ac disceptantes Iuris æquitate, ac in justa pœnarum ab improbis ac sceleratis hominibus exactione; sed etiam in æqua præmiorum, honorum scilicet, dignitatum, & publicorum Magistratum distributione: quippè præmiorum pœnarumque justa distributio, vera est humanæ Societatis disciplina: licet hodie pœnarum aliqua ratio haberi videatur, præmiorum tamen vix vlla habetur; est etenim parum omni virtute excellere, nisi aliunde commenderis. Ad eò plùs hominum commendationi, quàm virtutis excellentiæ tribuitur, si quis tenuioris sit fortunæ quantumvis virtute præstans, vix ad opes aut dignitatem aut gratiam aditum reperiet.

Quod profectò quid aliud est, quàm unam Reipub. partem negligere:

gligere; sanè nō minus præmiis quàm pœnis Respublicæ cōtinentur; & injuriam virtuti facit ac Reipub. grave damnum, qui honores indignis dat, dignis negat. unde deplorandum est quod hodie sibi Reipub. officia promittant qui amicorum numero prævalent; virtus jacet & penè odiosa jacet. *Vernul. polit. lib. 1. tit. 12. c. 2. 3.*

Neque etiam in æquali hac distributione & ambitione deest injustitia notoria: dicit etenim Aristoteles, *Lib. 5. ad Nicomachum: & Putean. in bivio vita hum.* quod non tantum injustus esse videatur, qui legi non paret; sed & is qui plus sibi sumit quàm est, & is qui æqualitatem non servat. Quomodo autem qui plus sibi sumit quàm par est? quia sumit quod alienum est: sed alienum est quicquid meritis non spondet. plus etiam sibi sumit, quoties quod bonum est, non ut bonum sed ut commodum metitur: neque enim hoc agit ut injusta vindicatione melior ipse evadat, cum se potiorrem facit; sed ut potentior, ditior, celebrior.

*Cyrus Rex* apud Xenephontem: Nihil, inquit, inter homines inæqualius & lethalius duco, quàm & ignaum & sortem virum æqualia consequi. Vnde res mira in Ludovico XI. qui futuri sui fecialis ac Internuntii; tonfori Legati; medico Magni Cancellarii munus detulit. *Bod. 6. de repub.*

Attendite, ô Principes, Dynastæ, & officiorum collatores, & seriò scitote, *Idoneos vos oportere rebus gerendis præferre, non etiam eos qui Magistratus prensant.*

*Flavius Vopiscus* declinatis imperii Romani omen eidem rei adscripsit; dum nimirum sub *Aureliano Imp.* officia venalia esse cœperunt, neque dabantur hominibus, sed divitiis.

Aliter autem florente Reipub. nam tum vigeabant leges de ambitu, quas seriò renovavit Augustus Cæsar, anno V. C. 736. edictum promulgando, *ut qui largitionibus factis Magistratum ambiisset, per quinquennium ab his arceretur.* mitius quàm lege Calpurnia qua statutum erat, anno V. C. 684. ut qui ambitus condemnatus esset, in perpetuum gerendi honoris impotentia mulctaretur. Ejusmodi leges multis in locis fuerunt receptæ: at jam propemodum videmus parvi fieri.

*Martianus*, Illyricus genere, Imp. initium reformationis Reipublicæ ex ea parte incepit qua ambitio coërcebatur, & confestim decrevit nemini pecuniâ Magistratum esse conferendum, nolens Iudices adhiberi, aut ad Magistratum promoveri, qui sese ad munus ambitiosè aut per se aut amicorum industria offerunt: *qui falso doctrinæ nomine adepto, quod hodie fieri cernimus, maxime titulum in exteris petendo regionibus: & quasi nolentes eo se pertrahi fingunt, cùm nihil magis, & qui vel docti solum sine rerum usu, vel usu præditi tantum, sine doctrina sunt: Sed probi, docti, prudentes quos nec ambitio nec gratia nec simulatio virtutis aut doctrinæ, nec æstimatio ficta & vulgaris commendat.*

Olim *Melius Falconius Imperator* dicere solebat. *Quæ, & malum ratio est, habere Imperatorem, qui eos faciat consules, duces, Iudices, quorum vitas, merita, ætates, familias, gesta, non norunt. & licet Rex solus omnia negocia sustinere non potest nec naturæ imbecillitas, ac rerum multitudo non permittat, in eam tamen incumbere potest partem, ut si non omnes, plerisque saltem suæ ditionis viros prudentes ac probos noscat. Sed hac in re plerumque peccatur, quia dum in noscendis subditorum virtutibus negligentes sunt, ita familiarum paucarum dictis dumtaxat credunt, & Iudicia affectus plena sequuntur, qui amicos, cognatos, notos, putant in principum notitiam insinuandos doctrinæ virtutisque nomine: Alii spe commodorum suorum, à quibus parem sibi aliquando gratiam existimant inferendam: Alii si quos se prudentiores viderint aut suæ opinioni adversarios, eos à rege calumniis, detractione & invidia permoti, continuò distrahunt, ne suis illi consiliis obstant, aut ne probitate ac doctrina perspecta sibi anteponantur: ita fit ut cùm paucos eiusmodi homines apud se Reges habent, eisdem fidem adhibeant, nec veri quidquam intelligant, nisi quod sit ab ipsis relatum, nec probos & utiles cives cognoscant, nisi ab eisdem commendatos: quare talium familiarum prius multis modis integritatem perspectam habere deberet, ac tum etiam sic ipsis credere ut iidem nihil illi facile persuadere se posse intelligant, & cognitis eorum consiliis, per se postea deliberent, significentque*

ficientque nihil gratiam apud se valere, ut cujusquam ducantur sententia, sed libera velle se consilia audire ac proponi; virtutis autem non gratiæ ac recommendationis habere respectum: si enim familiares prædicti, hoc modo animadvertant principem affectum, ad eundem ita accedent, ut nullo actu suoque persuasuros se quicquam inutile aut inhonestum arbitrentur: alioquin si secus fiat, & se Regis amicos vident, superbiendi ansam capiunt; soli amicitia & studio illius uti conantur, exclusis reliquis omnibus aut detractioe aut odio: cunctis se negociis miscent: nulli Regem favere, nisi aut sibi aut iis quos ipsi amant, patiuntur: omnia dinique tanquam Rex alius quidam agere arbitrio suo volunt: tum reliqui omnes cognita in illum Regis amicitia, ejusdem ambiunt studium, benevolentiam, gratiam; hanc sibi officiis muneribus studioque aliorum conciliant, horum favore quidvis perfecturos sperant, & sic plures etiam inimicos & invidos faciunt: cum tamen publica munera non tantum recommendationis aut etiam mercedis alicujus, sed ipsius functionis viris prudentibus tribui debeant: nullum enim detrimentum Reipub. gravius accidere potest, quam ut illius munera indignis assignentur. ne quod ad multorum commoditatem pertinet, ad aliquorum tantum utilitatem convertatur: quales persæpè sunt ii, qui aut gratia, aut ambitione, aut favore, non meritorum verorum nomine promoventur, etiam si quippe Magistratus conjunctum cum labore honorem habeat, quem & expetunt cuncti, & probitatis ac bene meritis tribui nonnunquam oporteat: quia tamen in eo potissimum curæ & functionis habenda est ratio, Prudentia potius & aptitudo ad id muneris spectanda erit in eo, qui eligitur, quam facta aut merita, aut Regis in eum gratitudo & benevolentia: quo nomine nullius Reipub. præficiendus etsi charissimus Principi & multa præclare pace & bello gesserit, nisi ei muneri cui præficitur aptus habeatur. Hinc enim totius Reipublicæ exitium oritur, quod dum illorum honori & cupiditati, qui ad potestates, tribunalia, & Magistratus evehuntur, consulitur rapinis, ambitioni, insolentiæ & audaciæ: nec Respublica bene administratur, dum suam quisque quærit utilita.

utilitatem: & sicut talibus, corrupto titulo ac via emptionis ad munera pervenire permissum fuit; ita & se eodem modo vendunt ac corrumpi sinunt: unde prudēter *Jugurtha Rex Numidarum* cūm Romam stabiliendi Regni, quod flagitiosè à fratribus usurparat, causa veniens, ac Senatorum plerōque pecunia corruptos, ad suā sententiam pertrahens, avaritiā urbis cognosceret, *ò urbem dixisse fertur, venalem ac brevi perituram, si inveniat emptorem.* Hoc idem de Regno illo, in quo pretio Magistratus cuique conceduntur, dici commodè possit, cūm non Iulitrix sed divitiarum ac denariorum nomine indigni ad Rempublicam adhibentur, qui eam vexant, spoliant, affligant, corrumpant, ac una demum cum Rege perdant. *Anonymus in politicis.*

Alexander Severus dicebat, Necessè est ut qui honorem Iuris & gladii emit, vendat: & ego non patiar mercatores *potestatum seu officiorum*; quod si patiar, damnare non possum: erubescō enim punire hominem qui emit & vendit. *Tholos.* *Qui Magistratum emit are, rursus are distrabet: haud Magistratus mandandus ditibus, sed optimis: dignitas creet Magistratum, haud pecunia atque opes.*

*Alexius Angelicus* proclamari jubebat Magistratum se non venditurum, sed delectu ex optimis habito, gratuito mandaturum. *Nicetas lib. 2.*

Et meritò: si enim honor est cujusslibet virtutis præmium juxta *D. Thomam*, qui dum municipalis est, definitur Reipub. administratio, cum dignitatis gradu sine erogatione contingens: quem etiam non debet sequi virtus, sed ipse virtutem: quomodo dabitur contra vel præter virtutem illum exigentibus, qui potiùs ob virtutem non petentibus dari deberet?

*Antisthenes* sciscitatus quæ res protenderet civitatibus exitium? quando in his inquit nullum esse potest bonorum ac malorum discrimen. *Laërt.* de quo conquerendo

*Pius II. Pontifex* aliquando dixisse fertur, Magistratus alios mereri & non habere, alios habere quidem & non mereri. dignitates autem non viris, sed viros dignitatibus dandos.

Alphonfus Aragoniæ Rex in Palatio hoc symbolum habuit:

*Faci*

*Fuci circa abveare, cum lemmate Malum Regnum ubi apes laborant, fuci devorant.* Panorm. unde etiam quidam doctus deplorat studia sua, & parvam virtutis & scientiæ æstimationem.

*Hec quorsum in studiis miseri consumpsimus ævum?*

*Sunt Musa mula, nostræque fama, fames.*

Et Ovidius. 1. *Fastorum* & 2. *Amorum.*

*In pretio pretium nunc est: dat census honores*

*Census amicitias: pauper ubique iacet.*

*Curia pauperibus clausa est, dat census honores:*

*Inde gravis Iudex, inde severus eques.*

Quocirca suadendum foret Magistratibus sæcularibus, quod de electione episcopi hortatur Imperator Leo: *Quaratur cogendus, rogatus recedat, invitatus effugiat, sola illi suffragetur necessitas excusandi.*

*Optimi Magistratus sunt, imperium qui haud ambiunt:*

*Qui Magistratum coactè suscipit, rectè gerit.*

Etenim nemini dubium est quin vera gloria ex radice virtutum Proficiscatur: neque est profectò ejus, qui virtuti ac rectè factis infistit, gloriam anxie aucupari, quòd solent tales honores sibi delatos, aut deliberare parcissimè, aut omninò recusare.

*Augustus Casar, dictaturam magna vi offerente populo, genu nixus, deiecta ab humeris toga nudo pectore deprecatus est. Domini appellationem ut maledictum & opprobrium semper exhorruit.*

*Agésilans nullius gloriæ dulcedine tangebatur quam non suis sibi laboribus comparasset, & moriens serió mandavit ne quam statuam vel imaginem in suum honorem erigerent, inquiens, Si quod præclarum facinus gessi, hoc erit monumentum meum: sin minus, ne omnes quidem statuæ, cum sint vilium ac nullius rei opificum opera. virtutem sentiens non egere laudibus humanis, cum ipsa secum ducat suam laudem: unde quidam, Inanes utres ventus inflat, sic stultos homines opinio.* Chock. Aph. lib. 5. c. 17.

*Tiberius, cuidam à quo fuerat Dominus appellatus, denuntiavit ac se amplius contumeliæ causa nominaret. quanta modestia in tanto*

tanto Principe! nunc quidam nihil audire possunt, nisi sacras Majestates, gloriosas Celsitudines, & Reverendissimas Dominationes. *Eras. 6. Aph.*

*Godefridus Bullonius*, cujus consilio & armis cum Solymaz expugnati forent, & Christiani Principes suis humeris subvectum uno ore Regem proclamarent; Regni titulum rogatus non abnuis; auream autem coronam suo capiti super imponi omninò noluit, dicens, *Indignum est, aureo illic diademate hominem uti, ubi Rex Regum, Christus pro hominum salute spicem portavit.* Platina in vita Paschalis 2. Pontif.

Nec hic prætereundus *Pedaretus Lacon* vir bonus, qui cum in numerum trecentorum (iis erant omnia publica mandata) non esset electus, abiit fronte hilari ac serena, Diis agens gratias hunc in modum: *Gratias habeo vobis Dii quod tot homines meliores me huic civitati dedistis: ò utinam meliores hodie tantum eligerentur!*

*Carolus Martellus Brabantia Dux*, cum in Regem Franciæ post mortem Chilperici expeteretur, renuit, inquit, *Imperare Regibus quàm Rex esse malo.* unde hoc ei epitaphium inscriptum.

*Ille Brabantinus Dux primus in orbe triumphans*

*Malleus in mundo specialis Christicolarum*

*Dux dominusque ducum, Regum quoque Rex fore sprevit,*

*Non vult Regnare, sed Regibus imperitare.* Barlan. in Duc. Brab.

*Wenceslao Bohemia Regi* cum post obitum *Rudolphi Austrii Romanum* deferebatur Imperium, quod virtute promeruerat, ea modestia recusavit, asserens, Satis superque mihi laboris est paternam ditionem æquis legibus gubernare: externis libens abstineo, easque me dignioribus cedo. *Minsterus lib. 3. c. 499.*

Claudat hunc ordinem *S. Petrus Apostolus* claro illucescente sole minor umbra corpori comes: ita quod plures quibusdam virtutum radii, eò minorem honorum umbram sibi comitem desiderant, in solum virtutum omnium largitorem *Deum*, quicquid est honoris & gloriæ referentes: præstolabatur *Cornelius* vir iustus *B. Petrum* ad se accersitum, ei que obvius factus, & ad pedes procidit & adoravit,

navit : at Petrus eo se honore reputans indignum , eumque manu elevans dixit : *Surge, & ipse homo sum.* Act. c. 10.

Quod autem illi , qui dubitanter & inviti Magistratum adeunt , plerumque melius eum gerant , quam qui cupidè illum ambiunt , sciebat *Galba* , qui senatoria & equestria officia non dabat nisi recusantibus : videbat Princeps sapiens igniculos virtutum in eiusmodi hominibus latere , considerabatque haud dubiè *Epaminondam* , cui recusanti Imperii omnia ingesta sunt , qui que honores ita gessit , ut ornamentum non accipere sed dare ipsi dignitati videretur.

T. *Quintius* ruri procul ab ambitione ac foro vitam agens , invitus coactusque electus est , benè tamen prædedit.

*Helvius partinar* Imp. coactus imperavit , repugnansque impetium suscipiens , tale cognomentum sortitus est.

Hisce exemplis haud dubiè motus *Severus* , invidios , nec ambientes in Rempub. esse collocandos voluit. Plures alii tum sæculares tum Ecclesiasticas dignitates aut omnino recusarunt , aut inviti coactique susceperunt : sciebant enim , quanto quis altiùs evectus fuerit , tanto propiùs esse , ne cadat ; & si ceciderit graviorè ruinam fore , honoris gradum superbix irritamentum & inanis gloriæ materiam esse , nisi ita cautè adeatur , ut si quis Episcopatum ( Magistratum , Iudicaturam ) desiderat , opus bonum desideret : non honorem , sed labores , non delicias : neque præesse sed prodesse cupiens , servum se & ministrum hominum constituat.

*Quis est hic ?*

At verò plerique superioritatis & Iudicis habitum induunt , non ut Reipub. bonum & laborem , sed ut proprium commodumificentur , & bursam suam repleant , vxorem & familiam amplificent , consolationem habeant in auro & argento , quod non valebit eos liberare in die furoris Domini . sed prudentiores sunt qui sciunt quod is duplicet sibi ipsi honorem . honore qui dedit alteri , sic Cato gaudet repulsis ut datis honoribus . vel maximum est honorum honorem spernere .

Vera autem & non ficta nec simulata debet esse honorum fuga :  
sunt

Q



sunt enim qui honores fugiunt, ut acquirant: subesse quidam capiunt, ut possint præesse; sæpè enim gloria ut comparetur contemnitur, & mundus ut obtineatur, relinquitur.

*Honore abstinere ambitio sæpè præpostera est: maximè appetunt honores, qui recusant maximè, quidam fugiunt honorem ut honoribus obviènt.*

Dicitur in Policroto de quodam ambitioso, qui cùm ad officium aut præfecturam, quam pecunia præmerat, vocaretur: ille modestiam simulavit, ut avidius peteretur, quasi onus refugiens & honorem recusans; & se palam coram omnibus tantæ curæ profitebatur indignum: quod audiens Princeps, *Verè inquit indignus es, quia data mihi tanta pecunia, hanc emisisti à me dignitatem: & summam expressit: sed per me non stat, sed per te, quite indignum profiteris, quò minus pactum impleatur; justum ergo est me liberum abire & te domum à proposito vacuum redire, & alius quid dignus est, destitutæ præficiatur dignitati: quæ & omnia sic facta sunt.* *Ex summa Collat. Ioannis Gallen.*

Vt autem virtutem velut umbra sequitur honor, cuius proinde appetitus si moderationis fines non transfilit, reprehensione caret: habuisse eum quendam *Abbatem de Baigne* meminit *Corozetus* in suis memorab. à quo cùm *Ludovicus II.* peteret Abbatiâ cederet: subtiliter & modestè, *Quadraginta*, inquebat, *annis vacavi ut priores àlphabetai letteras A. B. addiscerem: at iam totidem requiro, ut subsequentes C. D. ediscam.* indicabat autem se demum annum post suæ professionis quadragesimum in Abbatem electum, & velle annis totidem eodem munere perfungi, priusquam cederet.

Dum verò honores & dignitates exhibentur indignis, in eorum commutantur ruinam: & verum est quod versus sequentes dicunt.

*Stat foris ante foras Petrus, clamat quod honores  
Immutant mores, rarè tamen in meliores.*

Quod adhuc magis acutè denotatur sequenti disticho.

*Optimus esse soles, te fecit honos meliorem,*

*Fies, credo, brevi de meliore bonus.*

*Malos honor peiorat, meliorat bonos.*

Erar filius carbonarii homo humili loco natus, qui populi sui suffragiis in Regem deligitur: quo audito pater accurrit lætus, parumque splendore Regio conspicatus, cum se ab illo non videri existimaret, *An*, ait, *me cognoscis fili?* cui ille, *quid*, inquit, *pater*, *ego me ipsum non nosco*, & *quomodo te cognoscam?* Godschal. ferm. in. pestin. litt. 6.

Aliud super adjiciam: dum electus esset in Archiepiscopum Tolosanum *Franciscus Simnes*, amico, quem summum habebat, felicem suarum rerum successum nunciavit: cui ille: *de successu*, respondit, *qui tibi ex animo evenit, gaudeo plurimum; & simul non parum doleo me amicum nunc amisisse.*

Hinc illud poetæ:

*Natura celas vitia, es dum pauper: at illa  
Imperium nactus conspicienda dabis.*

Vir quidam facetus admodum & urbanus audiens amicum suum ad magnam dignitatem assumptum, ad eum gratulandi gratia accessit: qui honore tumidus, amicum veterem agnoscere dissimulans, quisnam esset interrogabat: cui, ut erat ad jocos promptus, *Miseresco*, inquit, *tibi cæterisque qui ad eiusmodi honores perveniunt: quàm primùm enim dignitates huiusmodi estis assecuti, visum auditumque & cæteros sensus ita amittitis, ut pristinos amicos amplius non recognoscatis.*

Fabula prædicta notat eos, qui in altum sublati veteres despicunt amicitias, unde.

*Quid dignum stolidis mentibus imprecor?  
Opes honores ambient,  
Et cum falsa gravi mole paraverint  
Tum vera cognoscant boni.*

Etenim nimius honor plures evertit.

*Vt nisi sit stabili fundamine fulta, ruinam  
Vasta trahit moles pondere victa suo.  
Sapè & quos iniustus honos evexit in altum,  
Præcipites lapsu sic graviore ruunt.*

Beatus qui post illa non abiit, quæ possessa onerant, amata inquinant

quinant, amissa cruciant; an non satis ea cum honore spernis, quæ cum dolore perdis? *S. Bern. in ep.*

*O ambitio, ambientium crux & sapè ruina, quomodo omnes torques, omnibus tamen places? nil acrius cruciat, nil molestius inquietat; nil tamen apud multos mortales celebrius negociis eius. S. Bernard. In hujus ambitionis contubernio est inanis gloriæ cupido, quæ & ipsa pectora angusta, ipsa rustica & metallica, hac quoque pestilenti aura agitari constat. Nullus est aded rudis & stolidus, quin plus videri & censeri velit, quàm reverà est: ambitiosi omnes inter ceteros extare, omnes in administratione esse, ac monstrari digito prætereuntium cupiunt. *Pasch. de vit. & virt.*"*

In summa, ambitiosus ut est ad honorem promotus, in jactantiam effrenatur, non curat prodesse, sed gloriatur præesse; præsumit se meliorem, quia cernit se superiorem. priores dedignatur amicos, notos ignorat, externos comitatur, contemnit antiquos, vultum avertit, cervicem erigit, fastum ostendit, grandia loquitur, sublimia meditatur, subesse non patitur, præesse molitur, subditis onerosus, omnibus infestus, præceps, molestus, arrogans, gravis & ad majora importunus.

Sed quid, ô Cupide, quæris? quare desideras? nunquid & sic potest impleri ambitio tua aut satiari fames tua? ossa hujus mundi iniecta dentibus tuis, & faucibus tuis universa rerum massa intrusa, an tibi sufficiet?

Suffecit ne *Seiano*, non abstinenti à senatorio ambitu, quo etiam clientes suos ornabat, & qui jam non erat à *Tiberio*, sed alter *Tiberius*, imò ipso *Tiberio* major: sed quomodo aggravavit hæc ossa stomachum *Seiani*? hunc eo die quo putabatur consortio & successione Imperii donandus, quo die illum senatus deduxerat, populus in frustra divisit: in quem quicquid congeri poterat, Dii hominesque contulerant, ex eo nihil superfuit, quod carnifex unco in *Tiberim* traheret.

*Sophonium Tigellium* *Seianus* habuit successorem, qui præfecturam Prætorii adeptus, plenus ambitionis vento usque ad guttur, sectis novacula faucibus vitam miserè finivit.

O quàm

○ quàm infelix gloriæ & honoris cupiditas, quæ frequenter nocuit immoderatiùs appetita, semper autem usurpata.

Sensit hoc *Apelles* summus apud *Antigonum* & *Philippum* Macedoniæ Reges : sensit *Aratus* ejusdem successor, qui dum leno interimeretur veneno, quod postquam diu ipsemet celasset, tandem videns quod esset inevitabile, amico *Cephaloni* aperuit, cum in cubiculo spumam cruentam eijceret. & de ea interrogatus respondit: *hæc sunt, ô Cephalon, præmia regie amicitiæ.*

*Sicus Cancellarius*, hic in arce Mediolanensi jussu Ludovici Sfortiæ decapitatus fuit, qui tamen antequam lictori cervicem præberet, hæc usus dicitur oratione : *à me il capo à te il stato*, nec falsò, sic enim eventus docuit. *Chock. Aph. lib. 5. c. 5.*

+ *Eutropium Arcadius* in ipso consulatu capite truncari jussit : de quo *S. Chrysostomus* testis oculatus inter cœtera exclamavit. *Chok. d. loco.* - *Quis hoc homine fuit excelsior ? nonne ad fastigia honorum ( consularis ) conscendit ? sed ecce factus est vinctis miserior, & servis miserabilior, & mendicis fame tabescentibus indigentior. ubi nunc inclutus ille Consulatus splendor ? ubi illustres illi fasces ? ubi applausus e-pulaque & festi conventus ? ubi strepitus urbis, faustæ acclamationes & adulationes ? omnia nisi nocturnum somnium aperiente die evanescentes : umbra erant, & præterierunt : fumus erant, & soluta sunt : bullæ erant, & diruptæ sunt ; araneæ erant, & laceratæ sunt : VANITAS VANITATVM ET OMNIA VANITAS !*

Inumeri talium casus & veteres & moderni adduci possent, quos omnes incertissimus ambitionis flatus in sublime elatos & insatiatos, mox improvise decursu destitutos, profundo cladum miserabiliter immerisit, & quos propensiore favoris aura primò delinivit, majore postea malorum cumulo oppressit, & qui nimia felicitate & ambitione infelices periculo suo se senserunt. Proinde prospiciant vitæ tractum, contemplantur alternantis fortunæ vicissitudinem, & *invenient sapè inter fortunam maximam & ultimam nihil interesse.* Senec. de benef. c. 23. quæ excelsa videntur prærupta sunt, & ideò plerisque herendum est in vestigio suo : ex quo

quo non possunt, nisi cadendo descendere: quippe politici cursus finis & terminus est, ut ait Macrobius; *Summum ad gradum claritatis cum veneris, consistes egrè, & citiùs quàm descendas, decides.* Neque enim his gradibus, quibus ad summa perventum est, retroiturus sed ex summo retrovolvi fortuna consuevit; quæ quo altiùs eveheret, hoc magis varios casus timere conveniet: summa namque dignitas & dantem & accipientem gravat, quia simul satietas capit utrumque, illum cum omnia dedit; hunc cum jam nihil reliquum est, quod capiat. Atque aded certè.

— *Qui nimios optabat honores  
Et nimias posebat opes, numerosa parabat  
Excelsa turris, tabulata, unde celsior esset  
Casus, & impulsa præcepit ruina.*

Certè S. Vincentius ferrariensis monet dum ait: *Ad regimen homo venire deberet sicut ad furcam, ubi dum in summo exaltatur, illaqueatus cadit.*

Quamvis autem & officiorum & potestatum status malus in se non sit vel impius, vitiis tamen quia quandoque non caret & *Abusibus*, qui officio possunt aut solent officere; idcirco Demosthenes audiens quosdam in Repub. evehi desiderare, & Magistratum ambire, solebat dicere: duabus viis propositis, quarum una ad pulpitem oratorum seu Tribunal, altera ad inferos duceret, prudentem virum præoptaturum esse eam quæ ad inferos ducit potius, quàm quæ potestate hominem sublevat. *Stobæus.*

S. Anthoninus Parte 3. tit. 24. c. 9. §. 1. refert de S. Ioanne de Florentia & ex eodem P. Roberti in elogio 50. Iurispr. cujus verba adferemus, sub potestatione tamen, quod per hoc (uti & per omnia dicta vel scripta, seu quæ præcesserint, seu quæ sequentur) professionem Iudicum aut Iurisprætorum sugillare non velim, quam nec ipse S. Anthoninus sugillat, sed professionis *abusum*, ut ante adhuc dictum est.

Cum ergo esset Ioannes Iurisprætorius & in Castellana civitate *Judex*, una dierum vidit quendam porcorum custodem porcos includere non valentem, sed hinc inde fugientes: edoctus à sociis  
his

his verbis incantare, ait: Porci, porci, porci, intrate in *Castella sicut Iudices & Iurisperiti intrant in infernum.* quo dicto; statim porcorum multitudo sine grunnitu intrat in Castellum. Ob hoc, divino timore, ne scilicet cum esset *Judex & Iurisperitus* intraret in infernum, considerans periculum sui status, contemptis omnibus, cum filio, quem jam habebat, religionem Minorum introivit.

*Dum excelsus steti, nunquam pavere destiti.*

*Fortunam reverenter habe, quicumque repente*

*Dives ab exili progrediere loco.*

*Si sapias, alta fuge, aut timide utere luce potentum*

*Concidit in puncto gratia longa brevi.*

*Lubrica namque via est, magni cecidere cadentque;*

*Est mihi quoque hodie, cras tibi casus erit.*

*Omnia mortali mutantur lege creata,*

— *Perenne sub polo nihil.*

*Fortuna magna non caret formidine:*

*Nec splendor eminus vacat periculo:*

*Et quidquid altum est, haud tutum diu manet,*

*Ut quod ruat vel invidia vel tempore.*

*Tu quoque formida nimium sublimia semper*

*Propositi que memor contrabe vela tui.*

Mediis tranquilla triumphant. Vnde

*Si sapias affectes mediocria, summa periculis*

*Obvia: contemptum sordida vita parit.*

*Philostratus* narrat aliquando audivisse *Apollonium* precantem:

*Dei concedite mihi pauca habere, & nullius indigere.*

*Modicis rebus longius ævum est.*

*Etenim nihil præstabilius mediocri vitæ genere: quod qui potest assequi & tueri, is omnium certe felicissimus est.* *Cominæus* lib. 10. *Comment.* *Chock.* lib. 5. c. 7. aph.

Vnde tranquillitatem amanti excelsa non esse querenda pulchrè metro docet, nunquam satis laudandus *I. Lipsius.* *Ep.* 8.

*Chock, d. loco.*

*Ille*

Ille est par Superis Deis  
 Et mortalibus omnibus altior  
 Qui sati ambiguum diem  
 Non optat levis, aut timet,  
 Quem non ambitio impotens  
 Non spes sollicitat lucri:  
 Quem non concutiunt metu  
 Regum præcipites mina,  
 Non telum implacidi Iovis;  
 Vno sed stabilis loco  
 Vulgi ridet inania:  
 Secureque oritur dies.  
 Vitam si liceat mihi

Quintilianus, In hoc ego vitæ meæ secreto, dicebat, remotus à tumultu civitatis, ignobile ævum agere procul ab ambitu, & omni maioris fortuna cupiditate constitui, & dum molesta lege natura transfret ætas, vitam fallere, hoc mihi parvulum terra & humilis tugurii rusticum culmen, a quietas animi regna fecerat, satisque divitiarum erat, nihil amplius velle. Ælian.

Vnde Seneca: Solitudinem querat, qui vult cum innocentibus vivere;

— Vivere doctus  
 Uni vive tibi, nam moriere tibi.  
 At mihi tranquillam liceat

Pars ego sum plebis nullo conspectus honore  
 Dum vivam dominus temporis ipse mei.

Servietque pro conclusione.

Stet quicumque volet potens  
 Aula culmine lubrico,  
 Me dulcis saturet quies,  
 Obscuro positus loco  
 Leni perfruar otio,  
 Nullis nota quiritibus  
 Ætas per tacitum fluat.

Formare arbitriis meis,  
 Non fasces cupiam, aut opes  
 Non elatus niveis equis  
 Captiva agmina traxerim:  
 In solis habitem locis,  
 Hortos possideam atque agròs;  
 Illic ad strepitus aqua  
 Musarum studiis fruam.  
 Sic cum fata mihi ultima  
 Pervenerit lachrysa mea,  
 Non ulli gravis, aut malus  
 Qualis Langius hic meus  
 Tranquillus moriar senex.

Vitam ignotam duceres.  
 Cæteris quidem ignotam,  
 Deo autem notam.

Sic cum transferint mei  
 Nullo cum strepitu dies,  
 Plebeius moriar senex.  
 Illi mors gravis incubat  
 Qui notus nimis omnibus  
 Ignotus moritur sibi.

Denique

Denique etiam is qui in curiis rectè egerit, laborum suorum premium statuere debet, sapere & pœnitere juxta illud.

*Contrivi miserè miser tot annos  
Gustando mala, gratias agendo,  
Sperando, ingenuèque serviendo:  
Tantum mihi præmium laborum  
Sunt, SAPERE ATQVE PœNITERE.*

Themistocles dicebat, Si mihi duas ostenderitis vias, quarum una ad sepulchrum, altera ad Tribunal duceret; multo libentius ingrederer eam, quæ recta ad sepulchrum duceret: sciebat enim quantum invidiæ, calumniarum ac periculorum ei expectandum sit, qui ad gubernacula accedit. *Ælianus.*

*Chrysippus* rogatus cur nollet Rempublicam regere, dixit, Si malè vexero, displicebo Diis; si bene, hominibus. iuxta *Poëtæ* sententiam.

*Seu sequeris verum, seu damnas, pessimè vivis:*

*Odia Divorum contrahis, aut hominum: Stob.*

*Seleucus*, frequenter dicebat paucis notas esse Magistratum magnas curas, alioquin neminem repertum iri qui Regum diadema humi projectum tolleret. *Erasm. Apoph.*

*Antigonus*, cùm Regum diadema & purpuram accepisset dixisse fertur, O nobilem magis quàm felicem pannum; quem si cognoscas quàm multis curis, periculis & miseriis refertus sit, ne humi quidem iacentem elevares. *Stobæus.*

*Deiecisti eos*, inquit *David*, cùm alleverentur: & *S. Gregorius*, In saculo elevari, hoc ipsum deiici est. unde cùm ad Pontificalem apicem elevatus esset, dicebat, *Exterius ascendisse videor, intus tamen cecidi.*

*Tartari Principem electuri*, in Locum campestem conveniunt, & eum qui successione vel votis eligitur, in Thronum collocant, omnesque acclamant: *Rogamus, volumus, præcipimus ut domineris nobis:* respondet ille: *Si hoc à me vultis, necesse est ut parati sitis quidquid præcepero facere:* respondent illi: *Sumus:* tunc Princeps: ergo oris mei sermo de cetero gladius meus erit: fit interea applausus à populo: postea ipsum è Throno acceptum supra stragulum in terra stratum deponunt & sedentem sic alloquuntur. *Vide sursum*

R

& agno-



*Et agnosce Deum; respice deorsum Et vide stragulum in quo sedes: si bene administraveris, ad votum habebis omnia: si male, à Deo humiliaberis, ut nec hoc tibi stragulum relinquatur.*

Apud *Scythas* in coronatione Regis spargitur terra & cinis, & simul hæc verba dicuntur: Hæc tua est origo, vide ne quid superbe agas.

*Joannes Dux Clivix* habuit in symbolo liliū cum inscriptione: *Hodie aliquid, eras nihil.* Topocius & Baccherius.

In *Caroli V. Imp.* sceptro stabat masculus manu tabellam tenēs cum lemmate, *Sto; infra verò mures ejus plantas arrodebant, cum inscriptione, Facebis.*

*Alphonsus Arragonum Rex* in symbolo dicitur habuisse *Coronam*, in cujus ambitu hæc inscriptio exstitit: *Artifex cudit, Deus ludit, imponendo, deponendo.* in fronte *Coronæ pomum erat smaragdinum* cum lemmate: *Æstate proior, Autumno probor, Hyeme perdor: manus tenens in filio, Orbis globum cum lemmate. Tenui pendentia filo.* Tipotius.

*Saladinus Egyptiorum Regum maximus* cū totum Orientē subjugasset, Occidentem terrisset, Asiam domisset, ut morti se jam vicinum vidit, mandavit ut statim ac spiritum exhalasset tunica interior per omnes civitatis vicos in hasta circumduceretur, & à præcone alta voce inclamaretur: *Saladinus Orientis flagellum, Asia Dominus, omnium populorum terror, ex omnibus suis victorijs in bello partis, tandem Reginae morti cedens nihil secum defert, nisi unicum hoc indusium quo in sepulchro operitur.* Anton. p. 2. tit. 17. c. 9.

*Carolus Rex Siciliae* cū in ultimis esset, hæc locutus est: *O vanas hominum cogitationes; an miseri honoribus delectamur Et Cælum negligimus; nondum cæpi vivere, Et iam cogor vivendi finem facere. eadem me necessitas involvit, quæ vilissimum mendicum: vale igitur terra vale! sed ah utinam liceat dicere SALVE CÆLVM.* Lucius Marin. de reb. Hisp. & Bacch. in breu. bipartito artis Orat.

CAPUT VIII.

*De peritia, probitate, pietate, atate, aliisque virtutibus  
& qualitatibus in Iudice requisitis.*

**Q**uemadmodum Iudicia vocare debent omni vitio & defectu, multaque & varia ad eadem sunt requisita ac necessaria; ita & *Iudicis* persona non minùs debet esse immunis ab omni crimine & improbitate, omniq̄e virtute eminere. Ejus enim est de alterius errore judicare, qui non habet quod in se ipso condemnet. *Iudicet ille, qui non agit eadem, qua in alio putaverat punienda, ne eùm de alio iudicat, in seipsum sententiam ferat.* S. Ambros. c. 3. q. 8.

Bellè Demosthenes, Cavere, inquit, conabor, ne in ea ipse incidã, in quibus alios reprehendo: nihil enim gravius, quod iisdem moribus, quos culpant, Iudices utantur.

Hoc præ cæteris in Iudicis Christus increpabat, quòd toti essent in condemnando proximo, cum indignatione & despectu eorum defectus attendentes, nec sua, licet graviora, considerantes.

Quare ad morosos illos Prophetam suum *Isaiam* 8. vel 9. mittens, ait: *Cùm deseris digitum extendere, tibi propitiabor.*

Deus bone! quid hic denotat defectus, *extendere digitum*? Erat illis familiare, extento digito defectus notare, eisdem condemnantes, ac dignos esse, ut severè punirentur, seipsum, peccatis licet onustos, non attendentes.

*O Iudices*, noveritis strictiorem à vobis rationem exigendam, quàm vos ipsi à vestris œconomis. Interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur: vos à servis nullam exigitis cogitationem, sed operum rationem; ipse verò non solum hæc, sed & intentionum, quas vobis in opere præfixistis, exiget rationem.

Severum tibi *Tribunal* eriget, inquiretq̄e, num prima fuerit hæc vestra sollicitudo & intentio, statum vestrum & Rempubl. cui præsidetis, in Iuris conservare obedientia? Num curaveritis in primis *Deum coli*, ejusq̄e præcepta custodiri, simul & Iuris con-

fervari, quæ sunt, *Honestè vivere, alterum non laedere, & ius suum cuique tribuere*: vel an è contrà vestræ studentes incolumitati, & subditorum vestrorum beneplacito, amplificandis ærariis vestris, & familiarum statui, de cæterò, quæ Dei sunt & Iustitiæ neglexeritis, ac iis, quæ sunt contra divinam Majestatem moliri impunè permiseritis. *La Nuxa.*

Proprias ergò virtutes perpendere, & pro qualitate virium curam aliorum suscipere Iudex debet, ne dum delectatur lucro inanis gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ; & qui gravatur pondere suarum, velit fieri Iudex alienarum culparum: Durum enim est, ut qui nescit tenere moderamina vitæ suæ, Iudex fiat alienæ. Vnde Seneca, *Quidquid dicturus es, antequàm aliis dixeris, dicito tibi.*

Probitati adjuncta esse debet peritia. Plato requirit, ut qui quærendi sunt Iudices ac Magistratus, probitatis testimonium per omnes ætates habeant. *Lib. 3. de Repub.* Quid autem probitatem appello? nisi rectum & sine fuce virtutis amantem animum, qui que ipsam, non commodum aut famam amat.

*Aristide* inter Græcos quid probius, quid simplicius? qui cùm gloriæ & nominis causâ periclitaretur in exilium decennale mitti, quod à genere suffragii, *Ostracismum* Græci dicunt, minuendæ scilicet privatæ potentix, & muniendæ publicæ libertati; ille, inquam, cùm in suffragia jam iretur, ipse quoque aderat, & stabat permixtus plebi. Ibi aliquis de numero, scribere imperitus, hunc propinquum rogavit, ut in testulam nomen *Aristidis* inscriberet; damnandi scilicet ejiciendique. *Ergo eum nosti?* inquit, *aut alibi is te læsit, nocuitque?* *Neutrum*, inquit alter, *sed hoc malè habet, & damnatum eo, quod passim vocari audio iustum.* Testam accepit *Aristides*, & paruit, ac nomen suum promptè inscripsit.

O summa probitas, & alio quàm populari illo theatro digna! *Ips. in Monit. polit. c. 7.*

Scientia etiam Iurisprudentiæ necessaria est Iudici: cui enim bono optimè fundata & constituta erit Iurisprudentia, si Iudex ejus non satis fuerit peritus? adeò ut mirum non sit, malè se habere Iudicia, etiam in multa expositi Iuris luce, si non ex censu plene

Iurispru-

*Jurisprudentiæ Iudex legitur: veraque est Cassiodori sententia, non facile iniustitiæ labe subverti, quem Iuris-Scientia fundaverit: etenim sic existimantur illi qui gratiæ vel pecuniæ sententiã donant maximè, idcirco ad tantum nefas impelli, quod non satis tincti liquida scientia æqui & iniqui, plerumque in controversiis nihil inesse putant, in hanc vel illam partem decidant: ideoque non posse rectè agi cum iustitia existimat Tuldenus, nisi omnium qui in Iudiciis versantur peritissimus ipse Iudex sit: quomodo enim tot fraudes, quibus undique petitur, discernet? quomodo causidicis & eorum infinitis disputationibus moderabitur? lib. 3. c. 9.*

Hic grandi ac singulari opus est industria, & nihilominus errores non deerunt: sin etiam absit industria, inanes erunt tituli, formosa fronte erit iustitia, à tergo fraudes & injuriæ hærebunt: in Pharmocopoliis innumera vasa, pyxides, oleæ scyphi, è ligno, è testa, stauuo, marmore & vitro, his omnibus suæ sunt scedæ, quas speciosa fronte præferunt: hic saccarum rosatum, ibi rhabarbarum, illic flores & tinctura olivarum, illic manna, Cassia & reliqua nota pharmacopolis nomina. sed aperi, obsecro unam harum pyxidû, præter inania & araneas nihil reperies. Venustum caput sine cerebro, formosum corpus, sed sine animo: ita planè sapiens non immeritò interrogas, *Quis iste quæso Dominus?* respondebunt, *Cõsiliarius Principis, Prætor urbis, Assessor cameræ, Scabinus regius, Consul in eho speciosæ scedæ, Pyxides venustæ, veneranda nomina, pulchra vasa: aperi, inspice, & in iis nec conscientiam nec scientiam invenies. ô testas famias & pulchras, sed vacuas; iustitiæ larvas, non effigies veras.*

Coeterum oportet etiam quod *Relator* sit intelligentissimus, memoriæ tenacissimus, fidissimus, affectuum expertus, medius & neutrius partis, qui causam quamcunque alienam referat ut suam. Negligenter perfunctoriè, oscitanter, incuriosè, segniter agere nusquam laudem meretur: in rebus iustitiæ vitium est intolerabile. Iustitia industriam postulat accuratissimam, nam levi sæpè addituncula invertitur tota causa, & subinde in proponenda causa, causæ salus omnis vertitur aut interitus. Vnde in Curiis & tribunibus

nalibus tot revisiones & relectiones, tot appellaciones & provocaciones nili ab ignorantia & ignavia: *Drex. in Salomone.*

Aristoteles in præcipuis Magistratibus, præter peritiam, præter charitatem præsentis Reipublicæ, virtutem quoque desiderat: quia quamvis peritia efficiat ut possint, Charitas ut velint, consulere Reipublicæ: virtute tamen opus est, ut constanter velint, non spe, non metu deliniente animos ipsorum: Iustitiæ & Iuris scientiæ quippè tam inseparabiliter virtus debet esse conjuncta, ita ut arguentum optimi viri sit, optimus Iurisconsultus.

Quæ sententia & à Stoicis affirmata est, *virum civilem & Iurisperitum præter sapientem esse neminem*: sapientem autem eundem intelligunt virum bonum: nec aliter Iurisconsulti, qui nomine viri boni sæpè Iudicem designant: adeò hunc ab illo separari non posse, idque pulchro exemplo Ulpianus docet. *Venena inquit in hæreditate reperta, veniunt quidem in Iudicium, familiæ herciscundæ, sed Iudex omnino se interponere in his non debet. Boni enim & Innocentis viri officio fungitur oportet.*

Non erit igitur Iudex bonus, nisi quidem vir bonus est, adeoque nec Iurisperitus: profectò enim Iure consultus non erit, nisi prudens est; vel ipso hujus artis nomine id evincente: quis autem prudens à virtutis intellectu æstimatione & cultu remotus, nisi forè prudentiæ nomine, quo hodierni sæculi genio solertiam intelligunt investigandi ubique utilitatem propriam, augendi que undique nullo delectu aut modo copias operumque suas. Sed hanc prudentiæ simulatricem ut re sic nomine distinxit antiquitas, & calliditatem appellavit: quam tanquam certissimam adversariam ac hostem Univerſi oppugnat Iurisprudencia: Itaque nemo hoc errore se duci patiatur, ut cuiquam Iuris scientiam plenam quidem & perfectam attribuat, cujus vitam æstimet non congruere Iustitiæ, id est virtuti: Igitur si summam complectendum erit, non verebor (ait Tuldenus) affirmare *perfectum Iudicem fore, qui idem perfectè Iureconsultus sit*: cum is necessario omnibus non ingenii tantum doctrinæque, sed prudentiæ quoque & virtutis opibus abundet. *Tuld. lib. 3. de Causs. Corr. Iud. c. 3.*

Ne

**N**e puero gladium, parœmia monet : at ego dixerim Ne puero divitias, nec homini imperito potentiam.

In Legibus Romanis de Magistratu hæc etiã habebantur : *Hic ordo vitis caret, cateris speciem esto.*

Nec Immeritò, pervertit enim intellectum malitia, nec nisi à viro bono bona proficisci possunt. *Et Iustitia cum scelerato homine commercium habere non potest.* Text. in c. forus ; de verb. signif.

Nec fieri, ut si Magistratus ipse officium non faciat, ad præclara ac honesta alios excitet; aut contineat, qui se non continet; & illa puniat flagitia, quibus se quoque esse affinem novit. *In malevolentiam animam non intrabit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Sap. 1. c.

Moyses Abbas accersebatur, ut de fratre, qui deliquerat, iudicaret, saccumque arenã plenum humeris detulit : rogatus, quidnam illud esset : *Peccata, inquit, mea sunt, quæ vix ferre prævaleo, minimè ergò aliena iudicavero.* De Vorag.

Deinde illorum, qui in officio sunt, aut Reipub. præsent, non singula tantùm verba, aut res publicè gestæ, animadvertuntur, sed etiã joci, simulque & seria, domus ipsa, familia, vxor, cubile quoque curiosè inquiritur. *Plat. de repub.*

Siquidem, servos quidem convenit ob timorem aliquid justè facere; liberos verò ob reverentiam & honestatem : quocirca præfectos quoque tales esse oportet, ut subditis digni videantur, apud quos erubescant.

Adcoque Iudex non tantùm propter se, sed etiã ob alios bonus esse debet, quos talis emendat, aut alius depravat. Nam homines ad illos flectunt oculos, & exempla sibi suis inde moribus sumunt. Qui magno imperio ( seu Iudicaturâ ) præditi in excelso ætatem agunt, eorum facta cuncti mortales noverè. Ita maxima fortuna, minima licentia est. *Sallustius.*

Et quamvis sis imperio magnus, exemplo major esse debes, multaque tibi non licent, quæ humillimis & in angulo jacentibus licent. Magna servitus est, magna fortuna: *Nequaquam ignorare debes,* ait Isocrates. Orat. ad Nicoclem, *totius civitatis mores, ad exemplum*

*exemplum eorum qui præsumunt conformari, & in aliis quidem, si quid inconsideratè fiat, tamen vitiosum sit, tolerabile est, multique fortasse noxium, præterquam imprudenti ipsi.*

At in Iudice, qui Reipub. curam habet, tanto est intolerabilior imprudentia, quanto eâ plures læduntur, quantoque malum multorum unius malo perniciosius est.

In eam ergo curam Magistratus bonus incumbat ut vitia omnia declinet, aut si emendare cuncta nequeat, cum sine vitiis nemo nascatur, illa saltem fugiat quæ publica & in conspectu sunt & videri ac notari possunt. Non permittit Christus in adulterio deprehensam judicari, nisi ab eo qui sine peccato esset. *Ioan. c. 8. & volens festucam ex oculo fratris ejicere, prius jubetur trabem ex suo tollere. Matth. 7.* porro necessarium est Reipub. ut cui iustitia committitur, malis moribus non gravetur; alioquin inefficax est ab homine exigere quod agnoscitur non habere: è contrâ verò confidenter quæritur quod inesse sentitur. *Cassiod.*

Vir ergo sit bonus, cui reipsa virtus inest, non imago tantum, & paries dealbatus: *nam malus ubi se bonum simulat, tunc est pessimus: & bonitatis verba imitari maior malitia est.* Zyp. lib. 1. c. 5. de Iud.

Sic Magistratus requies in amplexibus ulniique veræ virtutis: nam sicut obscuratis oculis non vident partes; ita depravatis Magistratibus castè & justè nec probè vivunt cives: contagio major non est, quàm quæ præcordia petit; labes immanior non est, quàm quæ culmina & fastigia civitatis urit.

Vnde Magistratus malum exemplum plus nocet, quàm aspidis venenum; nam vestigia malorum Magistratuum sequentes cives, facillimè ad omne facinus incitantur: si fons limpide non fluat, riuli turbantur: si Iudex suis virtutibus non præluceat, subditi inficiuntur laborantque periculose: Deinde Magistratu existente bono, probò, & virtuoso, prosperè succedunt omnia; quia talis Magistratus ad summum bonum tendit, idemque in circulo suarum actionum ut centrum & scopum inruetur: ab hoc centro lineæ rectæ ad circumferentiam civitatis ducuntur cardines Reipub. circa hoc centrum pulcherrima manu & quasi virtutis motu agitan-

agitantur. Omnes denique partes in hac sphaera comprehensæ benignissima influenza hujus centri reficiuntur : quippè rarissime illa civitas labitur in qua probitas & virtus religiosè à Magistratu colitur : sapienter ideo Aristoteles docet Magistratum absolute bonum probumque virum esse debere, id est talem, qui non solum officium dignitate, sed etiam qui pectus & animam virtute excolat.

Primo propter similitudinem Dei, cujus persona in Magistratu geritur.

2. Ob magnitudinem honoris, quæ sibi virtuti non homini debetur.

3. Ob imitationem exempli ad quod posteritas convertitur.

4. Ob evitacionem scandali, quo populus offenditur : *Tot enim moribus digni sunt* (dicit Nicol. Papa. *C. præcipue n. 43.*) *quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt.*

5. Ob conservationem boni, quo Deus erga civitatem maxime placatur, *Ioan. Casus lib. 3. c. 3.* neque enim aliud est in Repub. Magistratus, quàm mens in animo, anima in corpore, gubernator in navi, sol in cælo : civitas enim à Magistratu intellectum, vitam, anchoramque salutis, lucemque honoris habet. *Idem lib.*

4. c. 15.

Etiam longè optabilius esse videtur, ut iniquæ legi præsit optimus Magistratus aut Iudex, quàm ut improbus æquissimæ. Nam si summam potestatem cum optima mente jungas, vir bonus in Iure dicendo, præter æquabilitatem & justitiam nihil spectabit; si quid erit in lege vitiosum, pro sua sapientia corriget; si quid ambiguum, in eam partem interpretabitur, quæ ad pietatem, ad communem civium utilitatem, ad Reipub. salutem propensior esse videatur. Sin autem, qui non optimè sunt à mente constituti, iis potestatem addas, & voluntatem viribus confirmes, legis vocem Magistratus non exaudiet, quid majores voluerint, sanxerint, servarint, non attendet; ad suum arbitrium suamque libidinem omnia revocabit. Quod cum faciet, Reipub. quæ tota à Iure & æquitate pendet, non solum factò, sed multò etiam magis exemplo

S

nocebit



nocebit. Nam quia præeuntem sequi difficile non est, propterea qui imitentur, quam qui inveniant plures, non modò in Republ. administranda, verùm etiam in omni arte, reperias. *Paulus Manut. in exemplis.*

Qui igitur malè federit, injuriam cathedræ facit in Iudicio sedens, & si ( qui Magistratum geris, vel Iudicem agis ) benè vixeris & benè docueris, *omnium Iudex* eris; sin malè vixeris & benè docueris, *tui solus*: nam benè docendo, populum instruis, quomodo debeat populus vivere; sed malè vivendo, doces Deum, quomodo te debeat condemnare. *S. Chrysost. in Matth. 23.*

Parva Respublica familia est; magna familia ipsa Respublica: vis scire, an quis Reipub. aptus sit, vide quomodo familiam habeat: Amplius dicam, quomodo seipsum.

Vigilans etiam Iudex seu Magistratus esse debet, & à somnolentia cavere: quippe *Spiritus Sanctus* ut somni damna præcavenda esse manifestaret, lectulo Salomonis adhibuit custodiam, non curru; quia in illo dormiebat, in hoc vigilabat. Probè quidem cognoverat hanc doctrinam *Iudex* ille, nomine *Turbo*, qui, ut refert *Textor*, ab Imperatore monitus ut propriæ salutis majorem curam haberet & somno amplius vacaret, respondit: *Cæsaris Iudicem oportere stantem mori*, quo significare voluit, vigilem semper debere esse, & non somno deditum.

*Hand oportet nossem integram dormire Consiliarium virum, cui populi sunt commissi, & tot curæ sunt.* *Homerus. quod enim specimen industria, quem fructum laboris edere potest, quam recipere animo curam ac sollicitudinem, qui se torpori dederit atque ignavia?* *D. Ambros. lib. 2. offic. c. 17.*

Erat *Ludovico XI.* à secretis vir quidam non contemnendæ eruditionis & miræ in agendis rebus dexteritatis, sed alioqui deses & negligens, quo tandem nomine in offensam Regis incidit, ad eò ut gerendi muneris facultate illum postea privavit, levi tamen de causa, ut solent levia quæque apud offensos esse irarum irritamenta: cum enim Rex fortè quippiam scripturus desideraret ab eo atramentarium, isque nec se habere respondisset, excandescens

**Rex**

Rex petit à ministro, qui adstabat, num haberet, scribendique porro peritus esset; annuenti illico Rex Domini munus ei contulit. *Corox in dist. illust. Chock. in apb.*

*Sicut omnium artium in suo quoque opere invenitur mater instantia, ita noverca eruditionis atque consilii est negligentia.* C. nihil dist. 63. *Vidistis virum velocem in opere suo? coram Regibus stabit.* PROV. 22. *Siquidem omnium somnos illius vigilantia defendit, omnium otium illius labor, omnium delectas illius industria, omnium vacationem illius occupatio.* Senec. consol. ad Pol. 6. O beatam Rempubl. quæ talibus consiliis Iudicibus & Magistratibus moderatur! qui firmo promptoque animo cuncta Reipub. negotia & difficultates suscipiunt, nec otio aut negligentia aut laboris metu tempus negotiorum omittunt aut differunt; sed constanter & patienter laborum molestias, quærimonas petitionesque importunas sustinent: neque enim æstimare debent commissam sibi esse Reipublicæ administrationem, non ut subiectos sibi cunctos habeant, ab illis honorentur & colantur, ut affluant opibus, voluptate & quiete, cum familiaribus commessentur, vestiantur splendidissime, venentur, ludant, equitent, aliâque sibi solis jucunda ac utilia agant.

*Vespasianus* augustus tanta in Reipub. negotiis fuit diligentia & vigilantia, ut summo mane, posteaquâ à somno excitatus esset, negotia publica gerere, libellos supplices legere, audireque vel ipse in lecto ad se accedentes sit solitus.

*S. Ambrosius* cum præter munia Ecclesiastica indefesso labore perageret, utpote litigantes audiret, causas judicaret, & assumptus plerumque arbiter componeret, in omnibus ita se paratum exhibuit, ut nemini ad eum aditus esset aliquando interclusus, nullius ostii velum esset oppansum, nec qui ad eum duceret esset alicujus cubicularii officium requirendum.

*Divus Augustinus* magistri sui vestigiis insistens adedè facili & incitato studio dirimendis causarum controversiis rapiebatur, ut eas aliquando usque in horam refectionis, aliquando etiam tota die jejunans, semper tamen audiret, nosceret & dirimeret. *Ioan.*

*Chok. Aphor. lib. 2. c. 8. & 4. Baron. tom. 4. anno 375.*

vigilantia ergo & zelus iustitiæ in Iudice requiritur: quam vigilantiam & zelum adumbrant duo iudicum insignia: *Gladius & virga oblonga*. Ieremias Vates virgam vigilantem & ollam bullientem vidit: Olla bulliens est provincia seu regnum vitiiis exuberans, Diabolus ignem subdit, ligna ingerit, flammam flatu impellit. Hic Iustitiæ virga vigilet, ut Ollæ reprimatur ebullitio, ut vitia passim vulgata castigentur, & serio, non puerili ferula, non vulpina cauda. *Drexel. in Solom.*

Dum autem virtutibus & probitate Iudices ac Magistratus præditos esse oportet, tum maximè *Pietate*. Vnde neminem vult Plato in Magistratum eligi, nisi pius sit & divinis operam studiis dederit: nec potest prudens & iustus esse Magistratus vel Iudex, nisi idem pius ac religiosus extiterit. Quia facile deviare solet à Iustitia, qui in causis non *Deum*, sed hominem pertimescit. *S. Chrysof.* Neque enim sine Deo vir esse bonus potest, nec potest quisquam supra fortunam exurgere, nisi à Deo adiutus fuerit. *Seneca*. Nulla que res magis animos & mores componit, quam *religio*; & illa ubi in pectus demissa, virtutum agmen sequitur. *Lips. c. 2. Monit.*

Ad hanc insigniter nos excitant verba Senecæ dum dicit. *Animus* quotidie ad rationem reddendam est vocandus. faciebat hoc Sextius, ut consummato die cum se ad nocturnam quietem recepisset, interrogaret animum suum; *Quod hodie malum tuum sanasti? qua parte melior es?* moderatior erit qui scit sibi quotidie ad Iudicem esse veniendum: *Utor ego hac potestate quotidie, cum sublatum est à conspectu lumen, & conticuit uxor moris mei conscia, totum diem meum iam scrutor, facta mea ac dicta remetior.* Seneca lib. de ira c. 36. ante finem.

Hujus etiam necessitatem nunquid dicent verba Platonis? Quamobrem, qui mysteria nobis constituerunt, minime contemnendi videntur: sed revera jam dudum occultè nos admonuere, *quicumque non expiatus, neque initiatus migrabit ad inferos, cum Facere in luto: quicumque verò purgatus atque initiatus illuc accesserit, cum Diis habitare.* Plato in Phædone, & ex eo Stobæus.

*Impietas* verò, grande, ut sic dicam, malorum malum: cum homo

homo à ratione, imò à natura abit, contemptor Numinis aut negator, quod illa asseruit, & hæc insevit, eò venire solet sive à superbia quadam, & rudi ferocia, sive à vitiorum magnitudine & cumulo, quæ animum manciparunt. Deo enim tum se subtrahit, & ne illum timeat spernit; itemque præmia omnia & pœnas.

Infelices hi tales etiã in extrémis rebus successibusque; quia desertores sui Deus deserit, nec cadunt solùm turpiter sæpè, sed rorunt. *Lips. c. 4. Monit.*

Et sicut omnia prospera eveniunt Deum colentibus, ita adversa aspernantibus,

Proinde Iudici & Magistratui curanda est bona & recta consciëntia, quam Lipsius dicit esse, *ex religione & Dei motu iudicium ortum, bona approbans, mala abhorrens.*

Ad illam omnes vocantur ab interno isto Iudice velut ad Tribunal, & homini formato indelebilem hunc characterem Deus impressit. Pulchrè Tertullianus: *Potest obumbrari, quia non est Deus; extingui non potest, quia à Deo est.* Vtrumque rectè; nam & nubes aliqua sive aulzùm ei obducitur, affectu aut contemptu jubente, sed prorsus non amovetur aut tollitur; imò ipsa aulzùm tollit. Mali doctores in Politicis, qui hanc seponunt aut calcant, qui æternam virtutum speciem nobis ingerunt, ipsas admitti negant. *Lips. c. 6. Monit.* Deum & virtutes se profitentur scire, factis autem negant. *Ad Tit. 1.*

*Quid iuvat innumeros scire atque evolvere casus,*

*Si fugienda facis, & facienda fugis.*

Tres infelices in lege leguntur:

*Qui nescit, & non interrogat.*

*Qui scit, & non docet.*

*Qui docet, & non facit.*

Multã præterea etiã indigent Iudices oratione, gratiamque & lucem à Deo petere debent, ne decipiantur: cùm enim de actibus humanis ferunt Iudicium, ut puniant quod supplicio dignum invenerunt, & præmium rependant iis, qui secundùm rectam procedunt regulam, hærent in eo, quod Iudicium ferunt de rebus singularibus

gularibus, quæ aliæ quàm videntur esse possunt; iudicantque de verbis & quandoque etiam de cogitationibus, per signa licet & opera exteriora declaratis: in quibus ut rectum ferat Iudicium, diviniam debet implorare sapientiam, ut à vero rectoque non deviet.

Quandoque etiam non levia occurrunt negotia, & pars altera prodit bene instructa, ut Iudicem fallat, & suæ subjiciat voluntati, multis in sui favorem iociata Advocatis. Si quando ergò, Iudex, videris tuum non posse intellectum, illorum dissolvere laqueos, quos in causa pendente pars dolosa contexit; ad Deum confuge, mulierem vel ad modicum temporis filiosque ablega de familia tua, ejusque curis, sequester ad angulum cum Deo locuturus secede: hic ejus implora gratiam auxiliumque efflagita: cum enim ille sit, qui te ad hunc evertit locum, infundet lumen, quo muneri tuo facias satis. *La Nuxa.* Nec tantum ratio Canones & sacrae litterae pietatem, orationem & religionem requirunt, sed &. Imp. Iustinianus illam per totum *Ius Civile*, dando *Judiciibus* exemplum ac legem, aperte testatur pluribus in locis: ex quibus tantum unus brevitas causam subjungitur, in verbis sequentibus: *Deo auctore, nostrum gubernante Imperium, quod nobis à caelesti Maestate traditum est, & bella feliciter peragimus, & pacem decoramus, & Status Reipub. sustentamus, & ita nostros animos ad Dei omnipotentis erigimus adiutorium, ut neque armis confidamus, neque nostris militibus, neque bellorum ducibus, vel nostro ingenio: sed omnem spem ad solam providentiam referamus Summae Trinitatis. L. I. C. de vet. Iure enucl.*

*Illi, qui vera pietate praediti, bene vivunt, si hanc scientiam regendi populos consecuti sunt, nihil est felicius rebus humanis quam si Deo miserante habeant potestatem.* S. August. lib. 5. de civit. Dei .c. 19.

Transeamus ad Philosophos & Paganos.

Decet autem in principio actus Deum invocare, non quod precibus ipse indigeat, sed ut animus noster Dei recordatione illustretur: quandoquidem enim à Numine descendimus, & eo participamus, Dii nos iudicant: & merito omnia iuste nos agere voluit *Diogenes Pithagoricus in lib. de Sanctitate.* Præterea Consultantes

agen-

gentesque aliquid, à Diis auspicari debent: optimum enim est, si parcemia fert, Deum causam & Auctorem esse illorum omnium: à malis etiam facinoribus abstinendum est, idque maximè propter concordiam cum Deo: cum nullo enim injusto Deus Commersium habet. *Stob. de legibus.* Nam ab improbo homine non honoratur Deus, neque sumptibus colitur, neque tragœdiis capitur, instar hominis mali; sed virtute ac instituto bonorum operum & iustorum. Quocirca opus est unumquemque pro virili bonum esse, tum factis tum voluntate, qui modo futurus sit Deo charus: & non metuere pecuniarum jacturam, magis quàm vitæ & famæ dedecora: & civem meliorem existimare, qui opes amittere mavult, quàm honestatem & justitiam.

Cæterum illos, quorum voluntas non facilè ad hæc persuaderi potest, & animus ad injustitiam pronus est, viros & fœminas, cives aliosque cohabitatores admonitos velim, meminisse Deorum, ut qui & sint, & pœnas ab injustis sumant: atque ob oculos ponere tempus istud, quod unicuique finis est vitæ futurum. Morituros enim omnes injuriarum quas commiserunt memores pœnitentia invadit, & vehemens cupiditas qua vellent exactam sibi vitam omnem fuisse justam. Quamobrem singulos oportet semper in singulis actionibus, illud tempus adedò suis cogitationibus familiarè facere, ac si præsens esset. Ita enim maximè honesti justique cura vigeat. Si quis verò à malo genio quopiam assistente sibi ad injustitiam instigetur, is ad templa aras, & dulubra versetur fugiens iniustitiam, seu dominam impiissimam molestissimamque, & Deos orer, ut opem ad propellendam ipsam sibi ferant. *Zaleucus.*

De Moyse scribit B. Gregorius, de Pasto. Cura. p. 2. c. 5. *Moyse, dicit, crebrò tabernaculum intrat & exit, & qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur; intus Dei arcana considerat, foris onera carnalia portat, qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit. Coram testamenti arca Dominum consulit: exemplum procul dubio rectoribus relinquens, ut cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem quasi ad tabernaculum redeant, & velut coram testamenti arca Dominum consulant.*

S. Remi-

S. Remigius rogatus à Rege Clodovxo, quamdiu Regnum Franciæ duraret, respondit, *Quamdiu Iustitia & Religio in Regno durarent.* duæ enim istæ virtutes sunt sorores: sine religione non floret Iustitia; nec Iudex erit iustus, si non sit religiosus & pius: quas & Poëta Virgilius hoc versu, omnium optimo coniunxit.

*Discite iustitiam moniti & non temere Divos.*

*Judith*, cupiens liberare obsidione civitatem Bethulix, quam cinxerat Holofernes, priusquam animum ad consilium tanti ponderis componeret, oppidanos rogat, ut Deum pro illa orent. *Orate*, inquit, *ut Deus firmum faciat consilium vestrum.* *Judith.* c. 8.

*David* contra Goliath pugnaturus nunquid Dominum prius consulit, antequam manus conferat cum hoste? ait enim: nunquid vadam & percutiam Philistæum? unde Ecclesiæ doctor & lumē S. Augustinus: *Quis est consiliarius prudentior Christo? quærimus consilium? habemus copiam non sapientis sed ipsius sapientia, qui Christus est.*

Is ergo qui sic animatus erit, ut nihil sustineat aggredi, nisi ante divinam opem & gratiam petat, nihilque aliud expetat nisi Dei voluntatem explere, nunquam revera deseret eum Dominus quin lucem ei suam copiosè immittat, sine qua quamvis aliàs perspicax & oculatus sis, rues tamen in multos errores.

*Ergo dic à te*, inquit idem Augustinus, *lumen tibi non esse, & clama quod scriptum est, Lumine tuo illuminabis tenebras meas, à me enim non nisi tenebræ: tu autem lumen fugans tenebras, illuminas me, non à me mihi lumen existens sed lumen non participans nisi in te.* De verb. Dom. in Matth. serm. 8. in fine. Chock. lib. 2. c. 22. n. 9. 10. & 13.

*Thelofinus* ab Apollonio quæsit, *Quid tu ad aras accedens precaris Deos? cui Apollonius: Precor ut iustitia apud homines valeat, & leges non solvantur.*

Præterea inter cetera dona quæ Iudicem aut Magistratum ornant, sunt *decor & forma*, quæ est in quadam apta membrorum figura, cum coloris quadam suavitate, estque eximium donum Dei. *Augustinus lib. 15. de Civit. Dei c. 22.* & Iudici plurimum decoris

& ad-

& administrationis addit. Nam quod pulchrum est, amicum est: indicium quoque mentis cuiusque solet esse forma cuius facies est: deformis vix potest habere bonos mores. *Rasis medicus lib. ad Almanforem c. 33.* Nec tantum de animo, verum etiam de nobilitate cuiusque ex forma coniecturam recte capere posse videmur: quod de seipso fatetur Paris apud Ovid. Ep. ad Helenam.

*Forma vigorque animi; quamvis de plebe videbar  
Indicium recte nobilitatis erant.*

& de Dardano refert Maro *Æneid. 5.*

— *Divina signa decoris*

*Ardentesque notate oculos, qui spiritus illi?  
Qui vultus?*

Et natura ipsa magnis mentibus digna corporum domicilia metari censetur.

Cum autem scientia per se sit de numero bonorum honorabilium, & ubi non est scientia, non sit bonum, *Prov. c. 13.* etenim sine hac, nec virtutes ipsæ, quibus recte vivitur, haberi possunt, per quas hæc vita misera sic gubernatur, ut ad illam, quæ verè beata est, perveniatur æternam, *August. lib. 12. de Trinit. c. 14.* atque hanc Salomon dicat se proposuisse *Regnis & sedibus, & divitiis nihil esse in comparatione illius Sap. 7.* Et secundum Senecam ad Lucill. *Beatam vitam sapientia perfecta efficiat, neminemque bene vivere sine sapientia studio: bene Apuleius lib. de Deo Socratis. Si Laudas, inquit, virum quia dives, hoc fortuna debetur: si quia fortis, agritudine & atate debilitatur: si quia Nobilis, non ipsum sed parentes eius Laudas: & si quia pulcher, pulchritudo in senectute abibit: sed si Laudas virum quia sapiens & quantumlibet bonis Moribus ornatus, tunc ipsum Laudas.*

Aristoteles verò ait, quod homines ratione & intellectu vigentes sunt Domini & rectores aliorum. Vnde vel maximè & Doctrinam & Iurisprudentiam Iudici pernecessariam nemo est qui ambigat; quomodo enim Ius dicet, nisi illud primò calleat. Neque Deus populum magis potest punire, quàm cum Principes, Magistratus, ac Iudices imperitos præficit.

T

Theodo-



*Theodosius Imp.* cùm Arsenio viro doctissimo filios in disciplinam tradidisset, sempiternâ memoriâ dignum & verè Imperiale illud verbum prolocutus est: Si tales se præbituri essent, ut mores, vitamque suam ad disciplinam, scientiam, & Leges Dei componerent, propensum se fore, ut eis Imperium in manus tradat, ad civium & subditorum commodum & utilitatem: sin minus, conducibilius esse, ut sic privati vitam agerent, quàm doctrinâ nullâ cum periculo imperarent. *Niceph. Calist. l. 12. Eccles. 23.*

*Est malum, quod vidi sub Sole quasi per errorem, egrediens à facie Principis: positum stultum in dignitate sublimi, & divites sedere deorsum: vidi servos in equis, & Principes ambulantes super terram quasi servos: Eccles. 10. c.* Numquid id ipsum quotidie videmus, dum illi, qui divites sunt in sapientia & doctrina, divites etiam operibus bonis, tamquam ignobiles sedent deorsum, & ad officia, Iudicaturas ac Magistratus non admittuntur: imprudentes verò & indocti, incultique promoventur ad Scabinatus, Prætoratus aliasque dignitates, & in sublimi sedentes ut cæci in foveam: Deinde qui servi sunt vitiorum atque insipientiæ, & etiam ab origine, moribus à populo habentur ut servi, Dominorum occupari ephippia, & vias publicas subitâ dignitate perflati, in annos terunt, regunt ac dominantur; principes verò in scientia, & virtutibus nobiles, gradiuntur itinere officioque servorum, atque eorum ingrediuntur vilitatem.

*Sapientiam atque doctrinam stulti despiciunt. Proverb. 1.*

Sed aliter nos docet Sapiens c. 8. dum dicit, *Accipite disciplinam meam & non argentum, doctrinam magis quàm aurum diligite.*

*Scilicet est quovis doctrina potentior auro,*

*Has ergo ingenii collige divitias.*

Aurum dum dividitur aut distribuitur, diminuitur, fortunæ expositum est ventis: at sola doctrina libera est, in quam fortuna tela sua figere non potest: scientiarum generosa possessio in plures dispersa non perditur, & distributa per partes minorationis detrimentum non sentit, sed eò diuturnius perpetuata senescit, quò publicata fecundius se effundit. *Blesen. 7.*

Est

Est enim fundamentum laudis, *Doctrina* fons veræ felicitatis; & ut Laurus perpetuè viret, sic & eruditionis fama non marcescit. *Plato lib. 6. de republ.*

Inter magnos autem & longè honestissimos optimorum studiorum fructus, illi ante alios in hac vita cepisse existimantur qui manes ingenii facultates in id maximè opus sanctissimo fine proposito contulerunt, quò & prodesse bonis mortalibus ingenuo labore possent, & sui memoriam præclaro litterarum testimonio posteris commendare niterentur. quando in hac vita, quam natura incertis brevis ævi angustiis humano generi præscripsit, nihil beatius esse potest, quàm nominis famam immortalibus invicti animi monumentis ad non incertam spem sempiternæ Laudis extendisse.

Sed ne hæc longiùs extendamus, ingrediamur & videamus, quæ adhuc considerari debeant cùm de honoribus sive muneribus gerendis agitur: Et in primis consideranda persona est, cui deferitur honor, sive muneris administratio: item origo natalium: facultates quoque an sufficere iniuncto muneri possint. verba sunt textus in l. honor 14. §. munus ff. de mun. & honorib.

Præterquam quòd Lex hæc opes attendendas videatur scribere, sunt tamen qui ab honoribus pauperes nolunt excludendos esse: *Plato* quippe monet operam esse dandam ut qui utiliter & decenter iudicio & Magistratui fungi debent, sint divites in bonis animi, justitiæ, sapientiæ & pietatis auro abundant. *Lib. 7. de republ.*

*Bajazetes Turcarum Imperator* exprobrabat *Tamerlani* natale pastoritium; sed hoc responsi tulit, *Nescis & ex lana ovium purpuras Regum fieri*: hic *Tamerlanus* loco monilis fulmen de torque gestabat cui inscriptum fuit: *in terra vapor, in nube terror.* *Georg. Becherus.*

*Plinius lib. 14.* conqueritur, quòd census faciat Magistratus & Scabinos, cùm sanctius sit & utilius, non quale patrimonium habeat Iudex ac Magistratus, sed cujus existimationis sit, & quomodo antea vitam transegerit.

Neque enim probitatem & sapientiam in magnitudine possessionis

sessionis esse firam existimandum est, sed in bono statu animi; Parit enim saturitas ferocitatem, imperitia autem potestati conjuncta insaniam. Nam quibus malè affectus est animus, illis non divitiæ pro bonis sunt: sed quò majus augmentum acceperint, eò pluribus majoribusque damnis possessorem mulctant, cuicumque sine prudentia ac probitate accesserint: *Aristos.* Ast divitiæ si innocenter partæ sunt & modestè habitæ, ad Commendationem Iudicis faciunt, si iis benè utatur; nam cui domi abunde est, ut ait *Zypeus, In Iud. lib. 1. c. 33.* faciliùs alieno & muneribus abstinet minus à populo contemnitur, majori Auctoritate valet: quare. (*Auth. de defensoribus in princ.*) non admittit eos quibus domi non est victus & vita sufficiens, qui adeoque, ad hanc accedunt curam & pro alex quodam lusu aliorum subjacent voluptatibus; sed neque inopes poterant creari Decuriones. *L. eos 12. ff. de decur.*

*Ioannes Casus* in *Sphæra Civitatis Lib. 2. c. 7.* allegat quatuor rationes quare divites potius quàm pauperes sint eligendi in Magistratum, ibidemque respondet argumentis contrariis: sunt autem.

1. Abundantes rerum copia rariùs pecunia & affectione moventur.
2. Viventes in luce hominum, majorem rerum experientiam habent.
3. Possidentes multa, liberalitate & magnificentia pluribus prodesse possunt.
4. In Tribunali sedentes splendidiùs ac honorificentius se gerunt.

Præterea angustis facultatibus cives præditi, satis otii ob opere non inveniunt, ut Reipub. onus perpetuamque curam sustineant, & non possunt nisi certis & definitis temporibus Reipub. vacare & inservire.

Apud Athenienses Magistratus creabatur è Patriciis & opulentis: qui igitur opulenti? *pentacosio modimni*, sive Censu quingentorum modimnorum: equites trecentorum; *Zengita* ducentorum; sed nullo *ibetes* erant, sive mercenarii, & sic in nullo Magistratu.

*Thebis*

*Tbebis* lege cautum fuit, nequis ullo dignus Magistratu esset, nisi totum ab arte & mercatura decennium abstinuillet: Putean, in aphor. civ. doct.

Concludit Zypzus utraque extrema vitanda, unde neque Sulpitium neque Cottam in Hispaniam mitti Scipioni & Ameliano placuit, *quod alter nihil haberet, alteri nihil satis esset.*

Spurios etiam ad Magistratum non admittendos ex sequentibus argumentis existimat Ioannes Casus, quia indignam rem esse putat ut spurii qui extra conjunctionem qua certa proles libera & immunis quasi leges Reipub. nasci deberet, procedentes effectus tanti sceleris, dignitatem in Repub. obtineant.

Præterea quid aliud est spurios degeneresque ad senatum admittere, quam libidinis quasi faces accendere, laxasque habenas corruptoribus virginum, adulteris, incestuosis aliisque monstris concedere: qui cum viderint suos spurios furtivo semine conceptos natosque non minus in civitate florente quam filios legitime partos libereque educatos ad Platoniam Rempub. & communitatem uxorum, ad immanitatem suorum scelerum, ad omnem licentiam vitæ præcipitantiùs ruunt.

*Hebraei* non recipiebant eos ad decimam usque progeniem. Deut. 23. quod honor matrimonii suadere videtur: exempla illa nocent plurimum, latam non modò fenestram, sed & portam ad libidines aperiunt, unde abominabiles & exosi ab omni Iure dicuntur spurii, & divulgatum est tales incestuosos & adulterinos nec bello sæculari esse fortes, nec in fide stabiles, nec hominibus honorabiles, *C. gens Anglorum dist. 36.* & ut ait Anonymus in suis politicis, nos sequentes patres nostros, infamia eos notamus & infames esse censemus, quia infamiae maculis sunt conspersi, & quoniam eos vel designare funestum est ait Calixtus, *cap. coniunctiones 35. q. 2. c. cum multæ 15. 8.* quin imò adulterorum filii abominatio sunt Deo, *Sap. 3.* Apud *Athenienses* olim Nothi à civilibus muneribus exclusi fuerunt nec in gente adscripti: & Romano Iure regulariter dignitatis portæ non patent spuriiis, *L. generaliter 5. spurios de decurionibus l. honor ff. de muner. & honor.*

Porro

Porro cùm omnis rectè instituta civitas præcipuam curam sui nominis & famæ habere debeat, non est decorum, immò potius impium, spurios ad sua subsellia, consilia, honores, officiaque adscribere & convocare: nam præter exemplum mali quod posteris hoc modo relinquitur, capitale odium inter istos ac bonos cives nascitur, quippè ægrè & indignabundè homines studiosi ferent ut sibi nothi in participatione civitatis ac Magistratus pares & æquales fiant: Huc accedit quod spurii ab ipsis crepundiis homines nequissimi & moribus dissolutissimi evadant: Si rationes requiris cur aliis sunt deteriores? quia à malis principiis oriuntur, quia plerumque minus studiosè quàm legitimè nati educantur, quia tam sanctæ societatis matrimonialis nexu reciso vites Iustitiæ in eorum præcordia abundè non fluunt diffundunturque: unde spuria vitucilamina non agunt radices altas: quæ omnia reducantur ad quinque capita seu argumenta, cur non sint Nothi admittendi.

1. A vi naturæ quæ in nuptiali societate iustitiæ studet.
2. Ab incommodo civitatis, quia dato quod nothi sint cives aut in senatu constituti, licentia vitæ sequeretur.
3. A decore, quia civitatis famæ nominisque rationem maximam haberet.
4. A moribus nothorum, quia sunt plerumque mali.
5. A minore, quia hæreditas negatur nothis, ergo civitas & Magistratus.
6. Ab exemplo civitatum, quæ suis legibus hoc ipsum confirmant.

Ultra natalium legitimorum respectum, etiam in persona Iudicis ortum patriæ considerandum aliqui arbitrantur, & à Magistratibus, publicisque officiis prorsus peregrinos excludunt, & non nisi Indigenas ad hæc esse promovendos censent.

Reperiuntur rursus, qui credere exteris quàm suis maluit. Vtrunque suæ licet sint argumenta, tamen peregrinitas non prorsus rejicienda: & si (quod fieri interdum solet) hæc invidiosè ab Indigenis obiiciatur, illud asserendum, quod Cicero pro Sylla adversariis suis respondet: Non peregrini habendi, quorum iam & nomen & honor

& honorum in veteravit, & hominum famæ & sermonibus, neque patiuntur se ab aliis verborum jactantiâ inani superari, nisi virtute vincantur: ergo virtus est patria.

Ætatis quoque habenda est ratio. Etenim in antiquis annorum multitudo sapientiam docere dicitur, & senescentibus vitiiis, fervore & audaciâ sublatâ consilium in dies crescit. Accedit experientia, & rerum multarum usus, ut tertium quendam oculum senes habeant, quo rerum eventus facile prospiciant. *Plato de repub.*

Et ut Medicus ille melior dicitur, qui diutius inter ægros versatus est, aut ipse æger extitit; ita senex acutiùs prospicere judicatur quid expediat, quàm juvenes.

Præterea ut habitus exercitatione comparatur, rerumque humanarum usu; sic & prudentiæ Justitiæque laus omnis in senibus consistit quàm maximè exercitatis.

Et ut fructuum in arboribus est maturitas, ea est in senibus quàm exercitatissimis prudentia, agendi que absoluta, maximeque spectata perfectio.

Nam pueritiæ flores quasi quidam sunt, & in adolescentia cruda & acerba omnia, cujus usus sunt nulli, & affectiones ipsæ male temperatæ, atque ob dolorem aut voluptatem plerumque præcipites, aut nimium omninò remissæ.

Itaque adolescentia docta quidem esse potest, ac multarum etiâ litterarum gnara; quippè cum adolescentulorum ingenium & ferveat, & laudum flagret cupiditate, ac litteræ ipsæ ingenio tantùm comparentur, at prudentia solum usu, qui in illis est nullus; & annis, qui in juvenibus quidem florent, minimè verò maturefunt. *Pontan. de prud.*

Leges quoque civiles nolunt ante xxv. ætatis annum ad Rempubl. administrandam vel ad munera, quæ patrimonii non sunt, aut honores minores admitti. *Polyanthea.*

Et ætas in legendo *Senatore* certa Romæ est observata: nec *Consulatus* geri potuit ante XLIII. annum, *Prætura* ante XL. *Ædilitas* & *Quæstura* ante XXVII. *Tholof. de repub. lib. 4. c. 5.*

Etiâ ad *Judicandû* annus ætatis legitimus xxxv. fuit: *Suet. in Aug.*  
 Apud

Apud Chalcidenses infra quinquagesimum annum Magistratum gerere nemo potuit, uti nec Spartæ. *Plut. in Lycurgo.*

Deinde ex testimonio Scripturæ sacræ quia ipse Iehovah, *Colligite mihi*, inquit *septuaginta seniores qui cateris sapientia prudentia ac scientia præstent.*

Celebratur quoque Baldi dictum: *plus valet umbra senis, quàm gladius Iuvenis.*

Ordo etiam naturæ exigit, ut iuvenes senili sub disciplina vivant: ut quæ a minùs perfectò ad perfectum progressa, iuventutis obsequium imperium senectutis docet. *Arist. polit. 14.*

Cùm verò & auctoritas plurimùm in Magistratu possit, vel hoc nomine senum ratio habenda, utpote in quorum vultu observanda maturitas apparet.

E contrà per ætatem Iuvenes imprudenter multa faciunt, nec rerum antè exitus vident: illos, quorum sequi consilia debebant, aipernantur: ad honores evecti, intemperanter atque insolenter sese gerunt: ad aliorum iudicia, & opiniones respiciunt: pejora faciliè præcepta audiunt. *Seneca in Thyeste.* Vnde Eccles. 13. *Va terra cuius Rex puer est.*

Sæpiusque Republicæ per adolescentulos labefectatæ, à senioribus sustentatæ & restitutæ sunt: cùm enim ad Reipub. gubernacula temerarii atque audaces homines accedunt, maxima ac miserrima naufragia fiunt. & ut sæpè navis aut fluctibus immersa aut scopulis allisa perit, in qua gubernatores navigandi imperiti sunt: ita Civitas illa cadat, necesse est, in qua inexperti Iuvenes ad pupim sedent.

Roboam Imperium concussum tum fuit cùm abdicatis senibus adolescentes consules & senatores sui Regni fecit. Quare & Aristoteles negat Iuniorum opera utendum, ubi prudentia, sed ubi robore opus est.

Inde *Mario Iuniori* dictum, Iuvenes priùs remis quàm gubernaculis admovendos, quoniam hæc ætas est vicina lapsibus, affectibus subjecta, implicata erroribus, rarò constans, rarò prudens, rarò experta rerum, *et Alexander tertius censet plus valere umbram senis quàm.*

*quàm sapientiam Juvenis* (in c. 1. de renunt.) Quin imò & sacra litteræ tantam senectuti tribuunt auctoritatem, ut deficiente scriptura & lege succedat iudicium seniorum: *Interroga patrem tuum, & dicet tibi; maiores tuos, & annuntiabunt tibi.* & Pont. Innoc. *Quod si omnibus inspectis, quæstionis qualitas non lucidè investigatur, seniores provincie congrega & eos interroga: facilius namque invenitur quod à pluribus senioribus queritur.* C. de quibus: dist. 20. & Zyp. de Iud. l. 1. c. 38. Ioannes Casus in sphaera civit: lib: 2. c. 6. pulchè D. Augustinus ad fratres in Eremito. *Regnum Romanorum, inquit, tamdiu perseveravit, quamdiu sapientes regere permisserunt, sed dum Juvenes inexperies elegerunt tanquam iustitiam ignorantes acceptores personarum facti sunt, & iustitiam perdentes, Dominium orbis terrarum amiserunt.* Collocandi ergo in Tribunalibus graves prudentesque senes, qui ad sedem sine pompa, ad causam sine fraude, ad sententiam sine motu & ardore animi accedunt: Illustrè enim reddunt Iudicium, gravitas Iudicis, quia aliter suspicio corruptionis nocet; & constantia mentis, ut non affectio sed sola iustitia vincat experientia litis, ne ignorantia lædat. *Ioannes Casus lib. 2. c. 6.* quæ in senibus & non ita in Iuvenibus reperiuntur. Etenim præsumitur longa rerum experientia sapientior. *Eccles. 25.* quia adfert vetustas omnibus in rebus longinqua observatione incredibilem scientiam: *quàm speciosum canitie iudicium & speciosa veteranis sapientia.* Præterea Iuvenes sunt vertibiles, & *gloriosus intellectus & consilium,* & in paucis sibi constant, cum in iis humores ac spiritus sint in continuo motu: sunt etiam nimis creduli, quia adhuc in multis non sunt decepti, & alios ex seipsis mensurant: solent etiam ex spirituum fervore esse animosi, unde alios cupiunt præcellere, vel non minores videri, & si vident opponi aliquid impedimentum, fiunt impatientes; & si aliter id tollere non possunt, deveniunt ad contumelias & injurias, non quidem semper ex malignitate, sed ex ebullitione iræ. Deinde sunt inexperiti, & putant se plus scire quàm sciant, omnia assertivè de se dicunt, ut faciant de se ipsis opinionem quod omnia sciant, cum tamen pauca firmiter cognoscant; unde cum aliquando affirmant



vel negant quæ ignorant, vel non probabiliter sciunt; nolunt tamē dictum revocare, ne ignorantēs aut deceptores æstimentur: quod verò dictum est, juvenes aliquibus vitiis & imperfectionibus ditos esse, intelligitur quoad inclinationem sensibilem, cū alias in illōrum potestate sit non consentire iis inclinationibus, sed ratione resistere ac reluctari. *Laelius Zecchius lib. 1. de Principe. c. 6.*

*Apud Romanos non nisi senex fiebat Senator, & à Senē Senatus dictus, quasi Consilium senum: unde & Ovid: lib. 5. fastorum.*

*Nec nisi post annos patuit tunc Curia seros,*

*Nomen & ætatis mite Senatus habet.*

*Jura dabat populo senior, finis æque certis*

*Legibus est ætas unde petatur honos.*

Plinius scribit Romæ iuniores prius consilii publici spectatores, quā consortes extitisse.

Sunt tamen quandoque adolescentes, in quibus prudentia ætatem supplet, & ab excellenti eximiaque virtute ætatis progressus non expectandus. Proinde etsi adolescentuli imperiti rerum senioribus non debeant præferri, non tamen ab illis juvenes planè sunt excludendi; sed ut Plato de vino nimis forti scribit, diluendū illud esse aquā, ita conjungendam cautionem senilem cum fervente studio adolescentum, & ne fortè nimis juvenum commodis ac honoribus obstando, non secus atque arbores vetulæ subnascentes arbusculas umbrā suā premant & enecent. *Plut. in Reip. præcept.*

Aristoxenus Pithagoreus singularum ætatum studia & curas sic disponenda censet, ut pueri litteris aliisque disciplinis excolantur, Iuvenes leges & instituta civitatis addiscant, viri actionibus muniisque civilibus occupentur, senes autem in meditationibus, Iudiciis, & consiliis versentur. sic enim eveniet inquit, ne pueri infantium ruditate torpescant, néve juvenes puerili levitate ineptiant, utque viri morum operumque experimento juvenum rudimenta antecedant, denique senes maturi animi sancta seriatque gravitate & nobilitate occupationum indolem curasque virorum antecellant. *Apud Stob. serm. 43. & Tuld. l. 1. c. 8.*

Inter

Inter Iurisconsultos refertur *Celsus* I. C. qui adolescens admodum jus civile interpretatus est. *L. 9. de verb. oblig.*

*Nerva filius* ætatis suæ 17. aut paullo majore, de jure respondit. *L. 1. §. 3. de postul.*

*Valerium Corvum* tertio & vigesimo ætatis Anno, ante legitimum tempus XLIII. annorum, ad *Consulatum* promovitur legimus. *Cbock. lib. 5. c. 3.*

*Ladislavus* Rex Ungariæ duodecennis administrationem Regni sibi usurpavit; *Henricus IV. Imper.* cùm esset annorum octo.

*Salomon* duodecennis Regno potitus dijudicavit controversiam illam inter duas mulieres.

Ingeniū itaque, non solius ætatis, ratio nonnūquam attendenda; quinimò & decrepitæ ætati senum nihil potest contingere optatius quiete, præsertim qui climacterem magnum & fatalem annum ingressi sunt vel egressi, quibus convenire aliquando solet:

*Stat dubius tremulusque senex, semperque malorum*

*Credulus & stultus, qua fugit ipse timet.*

*Laudat præteritos, præsentis despicit annos*

*Hoc tantum rectum, quod facit ipse, putat.*

Quod sanè in Magistratu vitium esset intolerandum.

Ad multiplicatam Magistratum quod attinet, clarus est textus in *l. Nemo. C. de Assessorib.* cujus hæc verba sunt: *Nec sit concessum cuicumque, duobus Magistratibus assidere, & utriusque iudicii curam peragere: neque enim facile credendum est, etiam duabus necessariis rebus unum sufficere. Nam cùm uni iudicio adfuerit, alteri abstrahi necesse est, sicque nulli eorum idoneum in totum inveniri, sed alter à assensione penitus semotà, unius Magistratus esse contentum iudicio.*

Utrum annui constituendi sunt Magistratus, an perpetui, disputatur in utramque partem.

Divus *Adrianus* de reiterandis muneribus rescripsit in hæc verba. *Illud consentio, ut si alii non erunt idonei, qui hoc munere fungantur, tum demùm ex his, qui iam functi sunt, creentur. ff. de Munc. & Honorib.*

Interest quoque Reipub. non paucos, verùm plurimos cives

nolle, quænam cuiusque conditio sit, quibus rebus valeat aut careat, quæ ad hanc ipsam conservandam locupletandamque faciant.

Accedit, quòd nullâ re melius præstantes & optimi cives evadunt, quàm si virtutis præmia maxima, honores scilicet, Iudicaturas, Imperia, Magistratus omnibus pro suis meritis tribuantur: quod fieri non posse videtur, si Magistratus perpetui, non anni sint. *Bodin. lib. 4. de repub. c. 4.*

E contra anni Magistratus ac paucò tempore circumscripti hoc habent, ut cum quis aliquid in his didicerit, priùs decedat, quàm ejus exhibere specimen possit. *Dion. lib. 52.*

Neque cum auctoritate ac majestate imperare is potest, qui se brevi privatum fore metuit.

A Magistratibus præterea novis, nova consilia, novæ leges, novi mores, nova justitia, nova edicta, nova judicia, nova denique rerum omnium facies ad Rempub. permanere consuevit; unde veterum Legum ac morum contemptus sequitur. *Bodin. lib. 4. c. 4.*

*Tiberius Casar* Iudices provinciarum raro mutabat ex eò, quòd novi quilibet ad rapiendum intenti erant, ponente exemplum de quodam vulnerato, quem cum multitudo muscarum operuisset, & quidam eas removisset, ait: *Malè fecisti, quia istæ plene erant, & famelica venient, & amplius me affigent.*

Multorum proinde est conclusio, ut majores Magistratus sint perpetui; anni atque ambulatorii, minores: in Democratia sint mutabiles, ad tollendam invidiam: sub monarchia perpetui; ubi Princeps æqualitatem popularem non curat, sed qui idonei sunt, maximè considerat.

Præterea Iudicibus ac Magistratui ad tuendam dignitatem consiliandamque auctoritatem, vestimenta & insignia honorifica à Rómânis fuisse attributa refert Zypeus, *Lib. I. c. 41. n. 6. 7.* & toto cap. easque vestes quibus singulæ dignitates à privatis secernerentur, neque licuisse senatum ingredi sine veste: & *Lamp: de Alexand.* dicitur, *quod in animo habuit omnibus officiis genus vestium proprium dare, & omnibus dignitatibus ut à vestitu dignoscerentur:*

*scd*

*sed hoc Vlpiano Pauloque displicuit, dicentibus plurimum vixarum fore si faciles homines essent ad iniurias. Tum satis esse constituit, ut equites a senatoribus clavis qualitate discernerentur. Meminerant Vlpian. & Paul. quod scribit Liv. L. 33, omnia talia discrimina, quibus ordines discernerentur, & concordia & aqua libertatis mitemenda esse signa.*

Convenit interim Iudicibus conveniens vestium ornatus cum modestia; quod si enim in vestibus sordeant, tenentur imminuti Magistratus. *Zyp. d. loco.*

Quamvis imperium in virtute sit non in decore, & S. Thomas dicat, quod qui gloriatur de veste, similis sit glorianti de cauteriis, quia pro peccatum Adæ usus vestium introductus est: Cauteria pellendis morbis, vestis pudori regendo: & bene monet Sapiens. *Eccles. 11. In vestitu ne gloriaris unquam, nec in die honoris tui extollaris, quoniam mirabilia opera altissimi:* Neque etiam vana vestium cultura delicto caret: verba sunt S. Gregorii, *Nemo existimet in luxu atque studio pretiosarum vestium peccatum non esse:* cur autem vestis animi sit indicium, & amictus indicet qualis sit morum nostrorum constitutio, quem ergo credas esse animum in tanta vestium varietate, unum vel plures? in tanta verò varietate quæ constantia?

Calcei quorundam Cothurnos vincunt scenicos: eriguntur in posteriori parte, & tenui orbiculo terram calcant, displicent integri, & quo citius terantur, secare placet: Calopodii etiam instar ferrati calceis aliqui utuntur & pedis longitudinem mediatis excedentibus.

Caligas si intueris, videbis nunc infra genua pendulas, nunc supra adstrictas, nunc in summo protuberantes nunc tenaciter corpori affixas, & tot circa ventrem lumbis pendulis variisque coloribus in orbem actis atque intextis, ut pudorem omnem prostituerent videantur. *Scriban. lib. 2. c. 15. de Polit.*

Nec minus hodiè mirandum quàm lugendum est, reperiri Iudices & Jurisconsultos ac Magistratus comptos habentes capillos & madentes, de quibus ad speculum disputant certantque etiam ad horas, cum tamen olim ex antiquis non nemo comas laxiores ventorum

torum & auræ tenuioris ludum esse, imò ludibrium, dixerit, sed & mollitiei levitatis ac vanitatis argumentum sumitur. *Lobbetius in spec. Eccles.*

Fœminæ quidem gloriæ sibi ducunt, si comam nutriant, hoc enim illis in tegumentum & divinum veluti pepulum natura dedit ut præcipuam muliebris mundi dotem, ad eò propriam, ut vix mulier naturaliter calva fieri possit, ut docet Hippocrates & tota medicorum schola; viris autem istam mollitiem capillorumque luxum eadem parens natura negavit, nec concedet unquam, nisi quædam, à depravatis animi affectionibus virilis animi fiat inclinatio, qualis ea fuit, quæ Lydiæ populis olim incubuit: his erat effusa cæsaries, & comæ molliores, quas Persarum Rex rescindi cùm jussisset, aut tributo redimi; admiserunt tributum & ingenti ære spolia capitis redemerunt: quod in signis stultitiæ ac vanitatis fuit.

Ex *Antipatri* amicis Philippus Macedo quendam in Iudicium numerum adscriperat; verùm post ubi cognovit illum tingere barbam & capillos, submovit eum, dicens: *qui in capillis fidus non esset, eum in rebus gerendis non videri dignum cui fideretur*; fucò utebatur in capillis ubi non erat multum lucri (quid dicunt moderni Iudices fucò & pulvere in crinibus utentes?) multo magis usus erat fucò in publicis negociis ubi dolus interdum ingens adfert emolumentum.

Diogenes videns adolescentem cultu gestuque parum virili: *Non te pudet, inquit, qui peius tibi velis, quàm ipsa natura tibi voluit, siquidem illa te virum fecit, tu te ipsum refingis in fœminam?*

Cùm Athenis quidam senator Romanus, filium ad *Demonactem* adduxisset eleganti forma vestitu delicato ac delitiis effœminatū, diceretque, *Salutat te, ô Demonax filius meus: pulcher est, inquit, te dignus, & matri non absimilis*: utrumque autem poterat dici in laudem: Nunc autem patrem notavit ex filii effœminatis moribus, & matri similem, mollem & delitiis eviratum.

*Sint procul à nobis iuvenes ut fœmina compti,*

*Fine coli modicò forma virilis amat.*

*Forma viros neglecta decti.*

Infortu-

Infortunata fatuaque prudentia quam soli capilli vestiumque ornatus nutrit? non quod sordes amandæ sint; ignavorum hæ sunt: neque sunt ingenuz mentis, sed servilis animi; nec sunt cre-  
cti pectoris, sed abjecti.

Vtendum igitur veste communi conveniente loco & tempori, est enim in vestitu, sicut in plerisque rebus, mediocritas optima; moderatio semper & modestia laudantur. Moderati etenim animi senii, sedati, compositi, providi signa è modesto ac modico cultu elicimus. Solet enim ille hominem suum loqui; ita ferè quo quisque major, prudentior, maturior, hoc in veste modestior est.

Sed sperat fors è vestium elegantia & nitore, compositæ & magnæ mentis opinionem? fallitur, nemo nitidis & luculentis quibus omnis festuca & pulvis gravis est & molestus, ingenii magni laudem adscribet. qui à virtute non possunt, à vestibus venerationem venantur: adeoque signum potius est pusilli & internis ornamentis destituti è vestium vario ornatu, cultum & obsequia sperare.

Maxima quippè ingenia ferè vestem negligunt, atque aliquis in veste neglectus ingenia magna ostendit: tenuia tenuioribus occupantur, magna magnis: ubi ergo videris in nitore supra mediocritatem curiosum, & quasi ad fastidium elegantem, totum ingenium in veste cogita: habitat illud in curioso nitore totum. minimum in capite est; effudit nimirum omnem sapientiam in vestem; alibi ne quære. *Exterior superfluitas, interioris vanitatis indicium est.*

Et præterea quod signum sit ignaviæ, dum eum in cultum corporis multum impendunt plerumque seriarum rerum negligentes sunt, sed etiam causatur profusio donorum Dei, quæ in alios usus bonos conferri possent: & coguntur sæpè ob impensas in superflua, aut ob pannos pretiosiores magno pretio emptos, immobilia vendere, mercatorum diuturnos manere debitores, dolosè & non satis candidè corradere, quando supra facultates vestimenta appetunt.

Duo *Advocati* simul obambulabant in civitate Brabantiz, quorum

rum unus vestibus indutus prædivitibus & pallio per totum suffulto cum holoserico: alter honestè vestibus, clamyde ex parte tantum holoserico suffulta. primus aperiens confratris sui clamidem, & videns pro parte tantum holosericum habere duplicaturam, dixit: *non sequitur*. i. non per totum est duplicatum pallium: Secundus, aperiens primi pallium, inquit: *hoc quidem sequitur* (quia plenum erat) *sed sed non solvitur*. tota enim vestis cum clamyde apud mercatorem debebatur.

Sunt & alii qui videntur sibi velle conquirere honorem & respectum ob magnificentiam vestium, quo alioquin ex virtutum & scientiæ defectu se viderunt destitutos.

Erat in partibus quibusdam qui ut honorem passim aucuparetur, splendida veste non secus quàm simia in purpura prodiit: salutatur ab ignotis & reputatur doctus ac nobilis: rogantibus autem amicis, cur habitu suæ conditionis oblitus tam splendido uteretur, *Non videtis*, inquit, *hoc ævo quod vestis faciat virum*, & statim hoc vulgatum distichon subjecit.

*Vir bene vestibus, in vestitus ipse peritus*

*Creditur à mille, quamvis idiota sit ille.*

Confirmat illud ipsum suo exemplo *Hermannus Buschius* vir celeberrimus, qui cum domestico vestitus habitu ad forum Marpurgense descendisset, neminem sibi assurgentem habuit: indignatus, quod sibi debitus & consuetus negaretur honor, domum reversus, togam prælustrem sumpsit, forumque è vestigio repetit: & ecce venienti assurgunt omnes, honoris signa exhibent & locum. ille verò nihil talia moratus se domum recepit, & togam pedibus conculcat dicens: *Es tu Buschius, vel ego, tibi ne honor iste defertur, an mihi?* indignabatur, & meritò, quòd præpostero Iudicio, homines non viro sed vesti honorem deferrent: stultorum instar, qui equum empturi non ipsum sed frenas & phaleras intuentur.

Deinde quid quæso aliud est vestium luxus, quàm superbis vexillum, lasciviæ & Luxuriæ indicium, levitatis & ignaviæ signum: etenim cui magna corporis cultus cura est, magna est virtutis incuria: hæc vestium luxuria etiam ordinum, officiorum, conditionum

ditionum confusionem inducit : laudanda ubique honestas , & amandus etiam sine fastu cultus ; sed modus sit & discrimen : neque ferendum est Regum purpuram jam ad cerdones venisse , & byssū vix esse in honore.

*Augustus Casar* edicto prohibuit , ne quisquam nisi *Senator* , qui- que in *Magistratu* esset , purpuram gestaret : purpuram gestare olim ad Principes solos spectavit , nam *Theodosius* , *Arcadius* , *Honorius* , & alii Imperatores tam mulieribus quàm viris , cujuscumque dignitatis usu vestium sericarum purpuratum interdixerunt , ut constat ex eorum constitutione sancita in venditores , pœna mortis , & publicationis bonorum.

—— *Peregrina ignotâque nobis*

*Ad scelus atque nefas quodcumque est purpura ducit.*

Vnde retinendus est mos fidissimæ vetustatis , & Reipub. maximè est metuendum , cùm novis commentis homines delectantur , inusitados corporis gestus , novam vestium supellectilem accersunt.

*Vespasianus* ipsam etiam unguentorum fragrantiam insigniter taxavit , si *Suetonio* credimus sic scribenti. *Ne quam occasionem corrigendi disciplinam prætermitteret , adolescentulum fragrantem unguento , cum sibi pro impetrata præfectura gratias ageret , nutum aspernatus voce etiam gravissima increpavit , Mallem allium oboluisse : litterasque revocavit.*

*Saracusani* etiam è sua *Repub.* luxum vestimentorum sustulerunt , apud illos enim cautum erat , ne quis se auro ornaret , supervacaneisque vestibus uteretur , nisi se mœchum esse fateretur , aut cincestum.

*Dionysius Syracusanorum Princeps* adeò exosam habuit in omni cultu luxuriam , ut nocentibus qui supplicio affiendi erant , ignosceret , si preciosarum vestium fures essent.

*Joannes Ducas Imperator Orientis* , tollendi luxus causa decreto sanxit ne quis subditorum uteretur vestibus *Assyriis* , *Babilonicis* , *Italicis* , variisque artificiis confectis , nisi is , quisquis esset , cum omni familia , in ordinem cogi , ac notari infamia veller , sed his



contenti essent, quas Romanæ Provinciæ ac manus præberent.

Propterea leges vestiarias locis, personis, temporibus, convenientes dederunt Romani, Lacedæmones, Chini, inferioribus sæculis veneti, Galli, Germani, Politica Caroli V. art. 9. 10. 11. anni 1548. hodiè in vestitu aliquid invenire student quàm plurimi, atque inde, vestitus Patriæ contemptus. Vnde oprandum, inquit *D. Vernuleus*, esset ut tria singulæ gentes retinere contenderent, *puritatem Religionis, patrium vestitum, & idioma proprium*.

Nam sicut peregrinæ vestes peregrinos inducunt mores, & novas sumptuum occasiones; ita & cùm lingua differunt, disparitate quoque morum distare videntur, satisque compertum est, ex dissimilitudine linguæ nasci quasdam inter homines differentias, ac animi similitates: è contra ex identitate idiomatis affectionem gigni manifestum est, nam propter affectionem linguæ etiam charitas Patriæ retinetur.

Quod *Alexandri* Regis exemplo compertum fit, illum enim ob id milites odisse Patriam contendebant, auctore *Q. Curtio*, quia peregrino sermone Persarum loqueretur. Hanc etiam ob causam putantur conjugia exterorum apud veteres non probari; quia sciebant disparitate idiomatis facilè similitates gigni: & hoc est quod dicitur in sacris litteris, *Esdras* linguarum confusionem quæ ex matrimoniis advenarum nascebatur, ad linguam Hebraicam reduxisse: hinc & ad punitionem populi, reperitur Deum per *Hieremiam* dixisse: *Adducam super vos gentem, cuius ignorabitis linguam, nec intelligetur quid loquatur; & Deut. Adducet Dominus super te gentem de longinquo, cuius linguam intelligere non possis.*

*S. Augustinus* dicit quod quis melius cum cane suo, quàm cùm homine diversi idiomatis conversatur.

Sicut autem diversitas linguæ inducit alienationem animorum ita & ubi datur communitio & eiusdem linguæ commercium, ibi est domesticus quidam & familiaris amor: naturale enim est, ut unicuique idioma suum præcipuum & charum: ad quid etenim putamus *Mitbridatem Ponti Regem* tantum laboris in perdiscendis duabus & viginti linguis desumpsisse, nisi ut tot populis, quibus impe-

impe-

imperitabat, in sua propria lingua responderet, ut sic acceptior videretur.

*Carolus Magnus* aded linguarum cognitioni fuit addictus, ut suis quoque Legatos linguis audiret, atque aded ipsos græcos intelligeret iisdemque græcè responderet. Meritò & *summus pontifex* in regulis Cancellariæ idioma cuiusque proprium in consideratione habuit, quia neminè ex rectoribus parochialibus putavit Ecclesiis & earum subditis sufficere aut placere posse, nisi benè & intelligibiliter loqueretur, & linguam eorum calleret.

*Et Divus Paulus Si nesciero virtutem vocis, erò ei cui loquor barbarus, & qui loquitur mihi barbarus:* Et ob eam causam veteres voluerunt leges, quæ dabantur populis sub illo ejuisdem populi idiomate publicare, & proclamationes ac proscriptiones quæ fieri consueverunt, verbis vulgaribus fieri debere, & lingua secundùm loci conditionem, ut ab illis intelligeretur.

Vnde etiam licèt stipulatio inter homines diversi idiomatis per interpretèm contrahi possit, hoc tamen fit propter necessitatem: sed ubi duo haberent idem idioma, & stipularentur unus græcè, alter latinè, non valeret stipulatio cum ibi nulla subfít necessitas, nec voluntas, cum possint eâdem linguâ stipulari: nam quilibet debet facere actum linguâ suâ, & ideo vbi ad aliquem scribimus, illi scribendum est lingua qua ille utitur, & non alia, qua ille ad quem scribimus non utitur.

Romani ut faciliùs à subditis intelligerentur, tanti idioma suum fecerunt, quòd eorum Magistratus, quamquam optimè græcam linguam callerent, nunquam tamen græcis, nisi latinè responsa dabant, eosque per interpretem loqui cogebant, non tantùm Romæ, sed & in Græcia & Asia.

Nòp ita hodiè *Belga nostri*, in quorum etiam subfelliis & Tribunalibus irrepunt extranea idiomata, ac ita fiunt quotidiana ut fere ipsa vernacula contemni videâtur quæ tamen cedere non deberèt neque in elegantia, soliditate, brevitate, verborum proprietate, & antiquitate, licèt etenim aliæ quædam linguæ (de latina non loquor) videantur eloquentiam ostentare ex multiplicitate

verborum hanc tamen non habent ex se, uti Belgica nostra, sed mutuata ab aliis maximè à lingua latina; vix enim profertur audies decem vocabula aut fortè tria, quin decimum vel tertium sit latinum aut ex latino desumptum.

Difficilem exteri quidam, Belgicam hanc allegant: credo talibus esse difficilem, quia ipsi sunt vel ingenio habetes, vel in labore difficiles, ut qui vix ullum addiscere idioma possunt, nisi in quo à matre educati sunt: cum tamen nemo fere sit *Belga*, qui non præter vernaculam aut latinam, aut aliam, seu plures linguas intelligat & loquatur, in signum excellentis ingenii, magnæ docilitatis, & summæ præminentix.

De antiquitate autem nostræ linguæ quis est qui ambigit? sunt etenim qui *Belgarum* & Trevirorum linguam volunt mansisse radicatus in primo suo instituto, ac pariter ad originem linguæ *Schythica* & *Belgica* Deorum nomina reducant, quæ fuit patri Noë & filiis ejus materna; Nec enim omnes Noë posteros structuræ Babilonicæ interfuisse credendum est: tum quia ipse justus Noë post diluuium vixit annos 350. seu post ædificationem BABEL annos 219.

Tum quod, ut *Josephus* refert, *Sybilla* dicat, *Cùm omnes homines unius vocis essent, quidam turrim ædificarunt*: ergo non omnes: quod verò in Genesi scribatur *quod confusum fuerit labium uniuersæ terræ*: probat quidem in uniuersis seu plurimis (qui uniuersorum nomine sæpè significantur) non in omnibus. Si quis tamen pro antiquissima præoccupati ab Hæbreæ animi, hanc nostram & vicinarum Septentrionalium gétium radice tenus non agnoscere velint, & si eam docti nisi necessitate cogente, nec multi etiam vernæ spernentes ea quæ domi suæ sine labore nascuntur optima, procul & aliunde quærunt exotica: ob ejustamen artificium & rerum naturæ optimam significationem, significationis modum ab usu & sine sumptum, & in significando plurima breuitatem, est quod eam admiremur, exerceamus, & sicut aliæ nationes suam, ita & nostram *Belgicam* aliis præferamus.

*Iacobus Cats lib. 3. in fine de Matrim. adducit 34. versus in nostra lingua*

lingua vernacula, compositos ex solis monosyllabis: Vbi Author invitat omnes alterius Idiomatis, qui nostrum contemnunt, ut vel quid simile in suo præferant, aut nostrum cessent vilipendere, & præminere confiteantur.

Deinde inter cætera requisita etiam in rebus administrandis requiritur silentium & taciturnitas, & lingua suos habeat frenos in corde ligatos, unde Spirensis Consistorii hæc est constitutio, *In senatu, gesta, dicta, iudicata, æterno silentio tegunto: nihil iniussu Casaris revelanto*: neque omittendum venustum Demosthenis apophtegma: illi oris foetorem cum quis obiiceret, *bene dicis*, respondit, *multa enim secreta in ed computruerunt*: etiam ad illum effectum à vino nimio abstinendum, etenim Seneca dicit, *quod onerati mero quemadmodum non continent cibum vino redundante, ita ne secretum quidem quod suum aliorumque est*, pariter effundunt: & à symposiis abstinendum cum litigatoribus: *Arcad. Honor. & Theod. Imp. cavisse videntur*, dum ne meridianis horis à litigatoribus iudices viderentur sanciverunt. quibus verbis prandii tempus intelligendum esse ostendit: vir eruditus *Janus Langleus lib. II. semestrium c. I.* qui ut erat Senatus Provinciæ Celticæ consiliarius, testatum facit in isto senatu usu receptum, ut nedum Senatores sed & causidici abstineant à convivoribus.

Cæterum quærit *Ioannes Casus* in sphaera civitatis, utrum electio Magistratus per sortes in Reipub. approbetur, & resolvit sortitionem non esse approbandam sequentibus argumentis.

Electio Magistratus est res omnium maxima in civitate, & veluti clavis Reipub. ergo fortunæ temeritati tradi & committi non debet.

Antecedens constat, quia Magistratus est Atlas civitatis, à quo universus status Reipub. pendet.

Ratio sequitur, quia rem tantam fortunæ committere, esset civitatem quasi jactu alearum perdere.

Præterea omnis Magistratus prudens & justus esse debet: sed talis sorte non acquiritur, ergo &c.

Deinde in electione Magistratus non tã personæ quã cõmunitati consu-

consulere oportet, sed communitas non sorte sed suffragio eligi & creari Magistratus jubet: ergo in electione sortes non approbantur. & post multa.

Postremò fors cadit sæpiùs in fatuos quàm in prudentes, juxta illud, *Fortuna favet fatuis*: ergo periculosum est per sortes Magistratus eligere.

Concludit ergo in electione Magistratum consilium maximè requiriti, nam teneritas in illis creandis sæpè grande periculum, fors cæca miserum naufragium parit: neque committendum casui quod ratione potest circumscribi.

Præterea nunquid fors, aut electoris affectus cadere posset in improbum, vel Patriæ inimicum, vel etiam in ignorantem, cum tamen, ut & supra dictum est, nihil sit periculosius improbitate quæ imperio armata est; nihilque stultius, quàm alicui Reipub. officio hominem improbum præficere, cum ea sit improborum conditio ut quo plus valent, plus noceant, sanè non gubernant qui mali sunt, sed decipiunt & sæviunt, neque etiam benè administrare Rempub. possunt, qui erga illam malè sunt affecti, & ejus vivunt inimici: quippe tales ad Reipub. statum evertendum sua potentia & auctoritate non rarè abutuntur.

Rerum etiam usus & scientia requiritur, ut nimirum sua officia rectè intelligant, unde expedit ut priusquam quis ad Magistratum assumatur, totum Jus & rationem officii sui cognoscat. sæpè enim, ac tum maximè cum per sortem promoventur Magistratum & officiorum Candidati, qui quod petunt, non intelligunt: discere tum regendi artem volunt, cum regere deberent; atque ita fit, ut eorum erroribus Respub. implicetur, & perdant qui conservare deberent. Etenim veræ felicitatis fons & doctrina, cujus etiam fama nunquam marcescit: contra verò multarum miseriarum ac calamitarum, in Rebuspub. causa est inscitia, idè valdè expedit, ut quibus Reipub. pars aliqua committitur, in doctrina sint exculsi, hæc enim utilia ad debitè officium peragendum consilia suggerit, & hominis animum ita constituit, ut ordinare cuncta prudenter possit. Majorem etiam addit illa auctoritatem, & venerationem

tionem apud subditos conciliat : & quamquam virtus quædam non rarò insit à natura , & impetus quasi sumat, perfici tamen doctrina debet, ac tum multo præstantior est, & planè singularis.

In summa cùm tot sint boni Iudicis requisita, Symbolum cujusdam *senatoris* pro coronide apponendum est, qui *Stellam* habebat cùm quinque radiis ( qualem pro insigniis Mosæ-trajectini deferunt ). *Primus* autem *radius* erat *instar* *digiti* cum Lemmate : *Doctrina*. *Secundus instar* *clavis* cum Lemmate : *Æquitate*. *Tertius instar* *spica*, cum inscriptione : *Fructu publico*. *Quartus instar* *candela accensa* cum Lemmate : *Pietate*. *Quintus instar* *floris pulcherrimi*, cum Lemmate : *Odore bonæ famæ*, planè symbolum hominis ad Magistratum promoti.

## C A P U T IX.

### *De Iudicum Severitate & Clementia.*

**S**ine Iustitia vivere ne ipsi quidem possunt qui Iustitiam oderrunt : proinde hæc Reipub. statum & Principis solum stabilit, dum per eam benè meriti præmia ferunt, facinorosi supplicia : Perniciosa quippe est res Reipublicæ, intempestiva misericordia. ipsa suppliciorum cogitatione qui perversi sunt, à sceleribus abhorrent : & paucorum pœna omnes ferè puniuntur, ipsæque maleficiorum inhibitiones, læsorum sunt consolationes. Quare in Iudice non tantùm fides, virtus, & religio, sed & severitas valere debet : nulla enim re Respub. magis floret, quàm rigidâ & immotâ justitiâ. Hæc est felicitas Regnorum & statuum : per eam scelera & flagitia removentur, virtutes promoventur, agri, viæ, Maria frequentantur, & securitas ubique ac tranquillitas regnat.

Hæc est præsens remedium adversus pullulantem & invalescentem undique improbitatem : hæc rejectâ omni mollitie, & animi imbecillitate adversus gravia delicta inexorabilis est.

Sæpè

Sæpè enim salus univerſorum planè eſſet deplorata, ſi non ei præcipitant i tempeſtivâ ſeveritate ſubveniretur.

Et ſicut triſtia & terra sæpè in medicina proponuntur, ſed ſalutis cauſâ; & tamen hoc fine non odimus Medicos, ſed amamus & honoramus: ſimillimum in Iuſtitia, à cujus acerba functione aut uſtione ſalus generis humani pendet. *Lipſi. polit. Monit. lib. 1. c. 2.*

Alioqui connivens ſeveritas ad facinora impotentioris inſolentiz, labes eſt & ruina Iuris & æquitatis: paulatimque invaleſcens, diuturnaque impunitate gliſcens, tandem eruptura eſt ad iuriſdictionis contemptum, Legum ludibrium, armorumque tyrannidem.

Vnde Seneca, *Proximus Iuſtitiz modus eſt ſeveritas*. Illa autem debet eſſe vera, & non Phariſaica: ſunt enim quandoque Iudices, qui arguunt delinquètes, vituperant vitia, puniunt peccatores ſine miſericordia: hæc verò omnia faciunt cum intentione corrupta, ut laudentur & magnificentur ab hominibus, ut vocentur Zelatores Iuſtitiz & amatores boni publici. Tales aſſimulantur Scribis & Phariſæis de quibus dicitur Matth. 5. *Niſi abundaverit iuſtitia veſtra plus quàm Scribarum & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum.*

Sed videndum etiam, ne hæc ſeveritas ſit intempeſtiva, aſt loco prompta, ne ſit nimia & modum excedens, nam in parvis nimia, vocatur *Morofitas*; in mediocribus *Acerbitas*; in magnis *Feritas*: Vt autem nimia facilitas parit contemptum, ita nimia duritas detertit amorem: hinc condiri debet placabilitate & facilitate.

Severitas ergò primo debet minari, antequam ad puniendum accedat: minatur quippe, ne punire neceſſe habeat. Propterea ſcrupuloſè cognofcit, tardè ſeveritas abſolvit; tardiùs condemnat.

Id ſemper cavet, ne ſpe impunitatis alantur peccata, ne pœna ſit major quàm culpa, hoc eſt ne juſto gravius puniat.

Dum verò nimium & imprudenter Légibus paretur, nulla æqui bonique ratio admittitur, *Ius ſummum ſumma ſit Iniuria*: sæpè lex ſervata verbis, ipſa re peſſumdat: univerſalis enim præceptio æquitate moderanda venit in Iudice juſto, qui leges obſcuras inter-

interpretatur, ambiguas distinguit, circumstantias perpendit; de-  
nique id agit, quod ratio iusta dicitur.

Qui ergo æquitatem hanc repudiant, & Legis sola verba severe  
urgent, videntur quidem Legum rigidi custodes esse; reverà tamè  
injusti sunt, non quidem νοτικῶς ἀλλὰ λογικῶς. Servant enim  
leges; sed quia rationem interim, quã Leges explicari debebant,  
negligunt, immemores Regulæ Juris 88. cujus sunt verba: *Certum  
est, quod is commisit in legem, qui legis verba complexus contra legis  
nititur voluntatem: & Leges, inquit Menander, perquam egregia res  
sunt; sed is qui Legibus utitur nimium exactè, Sycophanta esse videtur.*  
unde subinde fit ut tales summum ius, in summam convertant iniu-  
riam. (Theat. mundi.) & in proprias quandoque incidant leges ac  
judicia. Aut quia in alios nimis severe, aut non sat meditate sta-  
tura, aut quia nimis noxiè & sine omni moderamine æqui boni-  
que, sola verba Legis strictè nimis amplexantur.

Numquid Lycurgus Legem scripsit, ne mulieres in festo my-  
steriorum circumveherentur; quæ verò id fecisset, multam luc-  
ret quam ipse constituerat?

Primò verò ipsius uxor adversus hoc psephisma deliquit atque  
damnata pœnam subiit. *Alianus lib. 13.*

Pericles legem posuit, ne quis in Atheniensium Repub. habere-  
tur, qui non utroque parente civis natus esset: deinde, amissis ge-  
nuinis filiis Patroclo & Xantippo, nothum superstitem habebat,  
cui potestas administrandi Rempub. per Legem patris erat erepta.  
*Idem.*

De his, qui deliquerant, graves admodum pœnas constituit Lu-  
dovicus Gallorum Rex, ideoque carceres paravit horrendos, ca-  
veas scilicet ferreas latitudine octo pedum, & altitudine paulò  
minori quàm est statura hominis: excogitaverat hanc rationem  
Cardinalis Baluensis, & in eam, quæ primùm perfecta fuit, inclu-  
sus est ipse per totos quatuordecim annos. *Lib. Convival. serm.  
tom. 2.*

Callisthenes Atheniensis, primus exilii supplicium introduxit,  
atque ipse primus eo damnatus est. *Alian. lib. 13.*



Sulpitius Tribunus Plebis, ut credendi modum præficeret, legē tulit, ne quis ordinis Senatorii ultra M. M. drachmarum æ alienum conflaret: qui postea decedens contra legem à se latam, c. c. c. myriades æris alieni conflasse inventus est. *Alex. ab Alex. lib. 1. c. 7.*

C. Lucinius Stolon cum lege sanxisset, ne quis ultra 50. agri iugera possideret, ipse verò postmodum mille sibi comparasset, accusatus & damnatus est. *Liv. lib. 7.*

Charondas Tyro, ut seditiosus civium conciones pacaret, lege cavìt, ut si quis eas cum ferro intrasset, continuò interficeretur. Interjecto deinde tempore ex longinquo rure accinctus gladio, domū repetens, subitò in dicta cōcione, sicut erat, in eam processit, ab eoquē, qui proximè constiterat, soluta à se legis suæ monitus: Idem ego illam, inquit, sanciam: ac protinus ferro, quod habebat, districto incubuit. Cumquē liceret culpam vel dissimulare, vel errore defendere, pœnam tamen representare maluit, ne fraus Iustitiæ fieret: perperam quidem & nimis severè. *Val Max. de Just.*

Si quæ autem severitas admittenda sit, illa debet esse vera, non simulata: ut enim falsâ persuasione nihil absurdius, ita fictâ severitate nihil ineptius, ac tum maximè favor & ambitio dominatur, cum sub aliqua specie severitaris delitescere potest. *Plin. 3. epist. 19.*

Tunc parturit injusticiam, concipit dolorem, & parit iniquitatem; lacus effoditur & aperitur, & incidit in foveam, quam fecit; & verum est, quod dicitur Eccles. 27. *Qui in alium lapidem mittit, super caput eius cadet: & plaga dolosa dolosi dividet vulnera.*

Est quippe Iuris compendium & omnium legum lex; ut ait Ulpianus lib. 1. ff. Quod quisque juris &c. *Quod tibi non vis fieri alicui ne feceris. Matth. 7. vers. 12. Luc. 6. vers. 21. Tob. 4. vers. 16.* Quam & sacræ præscribunt Paginæ, & Prætor in edicto dicit in terminis, *Qui Magistratum potestatemve habet, si quid in aliquem novi iuris statuerit, ipse quandoque adversario postulante eodem iure uti debet.*

Vnde Iustitia exigit, ut malis retribuatur eadem mensurâ, etiam quandoquæ in præsentem, qua & ipsi aliis retribuerunt: & qui sum-

mo jure in aliis usi fuerunt, ac in aliis vindicarunt, statueruntque, ipsi idem committentes proprium rigorem experiri cogantur, & judicia contra alios parata ipsismet fiant nocumento. Et tandem iusta sed gravis poena in flagitiis ludentes opprimit; & aliquando qui aliorum languine delectabatur, iuo se respergi ingemuit. ac saepe qui Ambitionis ulnis, quod non debet, amplectitur, quod tenet amittit.

Superbus Aman suspensus est in eodem patibulo, quod ipse paraverat. *Mardocheo. Hester. 7.*

Adonibezec iuste amputatae sunt manuum summitates, sicut ipse amputaverat septuaginta Regibus: comprehensus enim à filiis Israël dixit: *Septuaginta Reges amputatis manuum ac pedum summitatibus, colligebant sub mensa mea ciborum reliquias: sicut feci, ita reddidit mihi Dominus. Iud. 1.*

Hostes Iudaeorum eodem die occisi sunt, quo ipsi Iudaeos occidere decreverunt. *Hester. 9.*

Viri, qui Daniele fecerunt mitti in lacum leonum, missi sunt in eundem, & non pervenerunt usque ad pavementum, donec eos leones & omnia ossa eorum comminuerunt. *Daniel. 14.*

In eodem loco, in quo Andronicus occiderat Oniam, fecit eum eunuchus occidi. *2. Machab. 4.*

Impius Iafon, qui multos interfectos insepultos abjecerat, insepultus abjectus est & illamentatus, nec propriam nec peregrinam habuit sepulturam. *2. Machab. 5.*

Antiochus homicida & blasphemus pessime percussus, utque ipse multos tractaverat, peregre in montibus miserabili vita defunctus est. *2. Machab. 9.*

A servo nequam, qui noluit conservo dimittere, repetiit Dominus debitum jam liberaliter illi dimissum. *Matth. 18.*

Achab qui iniuste fecit lapidari Naboth, canes ejus sanguinem potaverunt, juxta promissum Prophetæ, quod in eo loco, *In quo lixerint canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.*

*3. Reg. c. 21.*

Quoniam vero, Iudex ac Magistratus, potestate à Deo ordinata, & gla-

& gladio Iustitiæ, quem gestat ad defensionem bonorum & vindictam malorum, non debet abuti; sed ita uti, ut observet rigorem, non tamen immemor misericordiæ, clementiæ ac æquitatis: idcirco Iustitia comites hinc inde *severitatis* & *misericiordiam* habere debet: illa enim sine misericordia non est Iustitia, sed crudelitas: sic contrà misericordia sine iustitia, non est Iustitia, sed fatuitas: & tam Iudex, qui nimis crudelis est, quàm qui nimis levis est, dum Iustitiæ non satisfacit, plerumque punitur; ille ut Tyrannus, hic ut prævaricator ac corruptor.

Quamquam æquitas præferenda sit rigori Iustitiæ, quæ est temperata iustitia cum dulcedine & misericordia, facta consideratione diligenti & discretionem circumstantiarum: neque enim voluit aliqui, omnia jura observanda esse juxta rigorem litteræ, sed *æqui & boni*, rationisque ac mentis legum respectum quandoque requirunt.

Est autem æquum & bonum secundum Aristotelem, quod præter legem scriptam bonum est, si verba legis solummodò considerentur. Estque jus quidem æquum & bonum, & quodam jure præstantius; non est tamen, quod omninò Ius est, sed est, quod propter peccatum generale à perfecto aberrat, atque in hoc vis æqui & boni posita est, ut correctionem quandam legi adhibeat, quia ab ea abest aliquid propter generalem sine exceptione comprehensionem. Cur enim lege non caveantur omnia, causa est, quia de quibusdam omninò lex fieri non potest. *Etb. lib. 5. c. 10.*

Præterea propriè æquitas pro æquitate & recta ratione accipitur, non scripta, & quæ à Iure nostro non sit secreta, aut certè nullà expressâ lege, in illud relata. Cujus usus elucet in tribus præcipuè articulis.

Primus in legibus ex æquo & bono ad sanam rationem & rectam sententiam accommodandis & interpretandis.

Secundus in Legibus ampliandis, & probabili æquitatis ratione ad similes species, quæ lege comprehensæ non sunt, ex paritate æquitatis extendendis.

Tertius, ut in his, quæ nec de sententia Legis, nec ratiocinatio-

nis

nis argumento, definiri possunt, pro regula Iudicii atque Iuris valeat. Hic enim quod æquitas suggerit, ut ait I. C. erit sequendum, *Wesemb. ad tit. ff. de Inst. & Iure loca citans diversa.*

Vnde qui non est in malam partem Iudex durior, sed de summo jure decedit, etiam si habeat Legis præsidium, is æquus & bonus est habendus, Iuxta Aristotelem *dicto loco*. Nisi enim æquum & bonum Ius ipsum moderaretur, jus summum, summa esset Injuria, ut & superius dictum est.

*Non sis nimium iustus, ne pereas in propria iustitia, & qui nimium emungit elicit sanguinem.* Proverb. 80.

In temporum inclinationibus non nihil aliquando connivere oportet severitatem judiciorum: in conversionibus autem repentinis orbis Reipub. etiam quasi stupere & quasi confertis manibus, tanquam in vi majore cessare dicit Budæus.

Suadet etiam Plurarchus à Iustitia nonnunquam in parvis rebus abire, si salvam eam voles in magnis: ut quemadmodum qui perpetuè mitigat in mendicando remissum hominem facit, ita semper asperis uti sermonibus magis exacerbatur hominem, eoque bonum est ubique moderatis uti.

Ia omnibus igitur servanda æquitas, tamquam æquilibrium Iustitiæ, ne rigor Iustitiam superet aut violet, nève nimia levitas eam perdat & obruat.

De hac David Ps. 118. *Pronuntiabit lingua mea eloquium tuum, quia mandata tua æquitas:* & Ps. 10. *Quoniam iustus Deus & iustitias dilexit, æquitatem vidit vultus eius.*

Ac Iuxta Theologorum & Jurisc. sententiam minus delinquitur in lenitate, quàm in rigore: illi mederi licet, huic nequaquam. Adeoque si peccandum sit in Iudicio, præstat accusatum absolvere injustè, quàm injustè perdere: illud enim quidem est peccatum, sed hoc impietas. *Stob.*

Et sanctius est prodesse etiam malis propter bonos, quàm bonis deesse propter malos: & idèd lex favet, ut melius centum nocentes absolvantur, quàm unus innocens condemnetur. *L. Vulgari l. Arianus, & ibi, gloss. l. Absente, ff. de penis. Dam. in praxi crim. c. ul.*

Et

Et male audire plerumque Iudicum nimia severitas solet, nec unquam in convivium nisi asperæ sententiæ veniunt. Semper in dubiis humanitas declinat in leviolem. *Seneca.* Dubiisque in causis eam in partem vergere oportet, in qua si erratum sit, peccetur levius: gravius autem est innocentem damnare, quam absolvere nocentem. *Aristot. Panam si tuò potes donabis, sin minus temperabis.* *Seneca*

Alioquin quoties à Iure scripto æquitas non scripta dissidet, Iudex pro iure scripto contra æquitatem sententiam feret. Neque enim Iudex debet recedere à Iure scripto propter æquitatem non scriptam, nisi auctoritate Principis, ex quo inter æquitatem Iusque interpositum interpretationem ipse sibi soli reservet: *L. 1. Cod. de leg. & consti. Princ.*

Neque enim imaginaria & ad libitum nostri capitis elici ac fingi æquitas debet. Quorsum enim attinebat leges scribi, si Iudicibus liceret ad libitum recedere à scripto, & suo arbitrio æquitatem fingere: quamvis non semper solis legum verbis in hærendum sit, sed medullitùs etiam intueri debeant, quod & ab ipso Iure hæud dissentire videtur. *Maranta In q. sol. 181. n. 163.* Ut enim animi præstantia corpori, ita Legis mens & sententia præferenda est: & non verbis, sed rebus leges impositæ sunt: & lex non in verbis, sed in sensu, non in superficie & foliis verborum, sed in medulla consistit. *Peck. de reg. Iur. reg. 88.*

Pulchrè text. in l. 5. C. de legib. *Non dubium est, in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem, nec pœnas insertas legibus evitabit, qui se contra Iuris sententiam seu à prærogativâ verborum fraudulentè excusat.* & *L. 29. ff. de legib. In fraudem legis facit, qui salvis verbis sententiam eius circumvenit.*

*Donatus Terent. Summum Ius definit, quod inflexibile est & in omni negotio idem exigit sine temperamento; æquitatem verò, quæ ex Iure multum remittit.* Unde Ius strictum ad artis subtilitatem; æquum bonum verò ad naturæ bonitatem, unde nomèn fluxisse videtur, propius accedit. Quare autem sit necessaria æquitas, quomodo cù Iure confligat, quis ejus sit fons & usus, quibus ejus interpretatio per-

permissa sit, variatque ejus species & exempla doctissime perstrin-  
git, & latè explicat. *Clariss. D. Tuldenus lib. 3. de Princip. Juris-  
prud.*

Nero cùm de supplicio cuiusdam capite damnati, ut ex more  
subscriberet, admoneretur, *Quam vellem inquit, nescire litteras.*  
Sucton.

Alphonsus admonitus ab amicis, ne nimium lenis erga suos  
esset, & ob id in contemptum apud suos incideret, *Magis, ait, hoc  
cavendum mihi est, ne nimia severitas conciliet invidiam.* Eras. lib.  
8. Apoph.

Quemadmodum hortulani, qui noxias herbas tollunt, ut herbis  
utilibus incrementa concilientur: ita est miscenda severitati cle-  
mentia, ut per legem mali eruantur ad incrementum bonorum.

Vult Deus, ut Iudex, castigando ex una parte criminosū, ob culpæ  
demeritum, ex altera illi compariatur: eius enim est proximus;  
& consultius est, proximi compati infirmitati, quàm gravi in eum  
furore deservire. *Vera Iustitia compassionem habet, falsa verò dedig-  
nationem. Eo fine, præcepit Deus, ut acceptabile simile fiat sacrificium,  
offeratur calefactum, & in sartagine frixum oleo desuper infuso.* Vult  
enim, cor ardeat iusti, zeloque divini flagret honoris contra pec-  
cata, quasi ipsa frigeret; sed oleum infundendum est misericordiæ  
& compassionis erga reum. Vera igitur exigit Iustitia, ut ex una  
parte castigando malefactorem, pro gravitate criminis, quia deli-  
quit, ab altera ei compatiaris, saltem quia frater tuus est, homo tui  
similis.

Atque ideo Magistratus non sit suppliciorum spectator, nève  
ullam lætitiæ significationem edat; nam ferina illa rabies est,  
sanguine ac vulneribus gaudere.

*Qui fruitur pœna ferus est, legumque videtur*

*Vindictam præstare sibi.*

Nero subtraxit oculos, iussitque scelera, non spectavit.

Vituperandus ergo *Antonius* qui proscriptorum civitum inter-  
emptorum capita etiam inter cœnandum, à se diutissime nefario  
isto ac miserimo spectaculo exsatiavit.

Hunc

Hunc imitatus est *Caligula*, qui animadversionibus poenisque ad supplicium datorum cupidissime intererat.

Mos etiam modusque vetus in plectendis hominibus facinorosis teneendus est: nec nova excogitanda supplicia, ac nimis acerba: nam more patrio supplicia sumi oportet, & execrandi illi qui puniendi causam habent, modumque non habent. Seneca de Clemen. L. 3, de tranq. c. 18.

*Grave iudicium est quod praedictum non habet: id est, quod novo exemplo fit, aut ad novam normam: grave praedictum est quod iudicium non habet: id est quod nullus iudex sequitur vel propter crudelitatem vel propter timorem.* P. Syrus. P. mimus.

Eiusmodi insolitorum suppliciorum nomine, memoriae suae maculam non levi inussit Alexander: is *Callisthenem* Philosophum quem suspectum habebat obstructas insidias, naso, auribus, lingua privavit, eumque cum cane in cavea clausum ad metum ceterorum circumtulit.

*Creto* (teste Boëtio in disciplina scholarum) in domo *Castoris* cum adulterium cum eius uxore commisisset, capillis tractus, verberibus castigatus, vulnere laceratus, sale fricatus, urina servorum perfusus, unguulis exsectis, tandem lassatis tortoribus, genitalibus privatus, sterquilinio suppositus: transeuntibus est expositus.

Sunt alii quos caedat in invistatis suppliciiis infligendis truculentia, quemadmodum *Sylla* *Mario* perfringi crura, crui oculos, amputari manus iussit, & quasi toties occideret quoties vulnerabat paulatim & per singulos artus laceravit: ob hanc causam *Propheta Domini Oded* annuntiavit *Israëlitis* furorem Domini super eos, quia scilicet in *Achab* & idololatrias crudeliter nimium deservisset *Ecce*, inquit, iratus Dominus Deus patrum vestrorum contra *Indam*, tradidit eos in manus vestras, & occidistis eos atrociter, ita ut ad caelum pertingeret vestra crudelitas &c. Peccastis super hoc Domino Deo vestro.

*Aegyptii* utebantur virga iudiciaria quae referebat sceptri speciem, in cuius vertice visebatur *Ciconia* in progenitores annosos semper pia & misericors: ideoque symbolum miserationis: in basi autem

autem Hippotamus, sive æquus Marinus, in parentes quos enecat crudelis & impius: quæ symbola Iudicem monebant, ut à se procul amoveret immites animos, & misericordes accerferet. *Lobb. in spec. Eccl.*

Etenim licet in confesso sit quòd Deus facinorosos Iudices tradat potestati utique castigandos: eâ nempe statuit intentione Iudices in mundo; sed misericordiâ & compassione temperare debent, & non atrociter aut crudeliter judicare, aut condolendo misero in tale facinus prolapsò, considerantes quòd ex eadem natura, & ab eodem Deo sit creatus, cœloque destinatus, quod & ipsi in eisdem, imò in pejores potuissent defectus incidisse, si ab eis, ut ab altero, manum suam Deus subtraxisset auxiliarem. Est autem hoc adedè necessarium, ut benè dixerit S. Ambros. *Posse aliquando gravius esse Iudicis peccatum reum condemnando, licet ex iniustitia, quàm illud quod reus ipse commisit.*

*Odio habeant peccata, non homines, corripiantur tumidi, tolerantur infirmi; & quod in peccatis severius castigari necesse est, non scientis plestatur animo, sed medentis.* C. 2. dist. 86.

Neque enim is qui punit eos qui deliquerunt huc solùm respicit, huiusque rei gratia, quia deliquerunt, nisi instar bestix citra rationem pœnam exigit: Sed qui cum ratione castigare vult, ille non præteriti causa criminis pœnam sumit, nec enim quod factum est infectum reddiderit, sed futuri gratia, ne denuo delinquat, vel hic ipse, vel alius qui castigari illum viderit. *Stob. ex Platone.*

Bias damnaturus aliquem ad mortem, lachrymatus est miseriam hominis, & meritò deplorandam fortunam. verùm cum dixisset quidam: Quid est, quòd defleas, cùm in tuo sit arbitrio, condemnare aut liberare hominem? Respondit Bias, *Necessarium quidem esse naturæ condolere: à lege autem & iustitiæ regula discedere, magis perniciosum esse.* Stob. serm. 44.

Vnde antiquitus habebant certum condemnandi modum quem describit S. Basil. Epist. 79. ad Eustatium scribens. *Qui rerum in hoc mundo potiuntur, quando facinorosum aliquem morti sunt adiudicaturi, cortinas obducunt, & expertissimos quosque ad causæ tractationem*



*tionem advocant, multumque temporis insumunt, nunc legis rigorem contuentes, nunc natura communionem suspicientes, multumque ingemiscientes, iudicandi necessitatem deplorantes, nemini non manifestum faciunt, quod non ex propria Libidine, sed ex necessario legis ministerio condemnationis inferant sententiam.*

Sigismundus Imp. beatos esse in terris dicebat Reges (Iudices) si exclusis superbis, viros mansuetudinis & misericordix cultores, in Curia assessores & Consiliarios haberent. *Aeneas Silvius de gest. Sigism.*

Secundùm vetus Iudzorum Statutum si major pars Iudicum in uno condemnet aliquem ad mortem, non propter hoc occidendus est; sed expectanda est major deliberatio: si autem major pars in uno liberet eum, esse liberandum. *Rabbi Salomon sup. Exodum.*

Narratur in vita S. Basilii, quod accessit ad eum quzdam muliercula, tanquam ad potentem apud regionis principem, postulans providentiam sibi fieri, id est misericordiam, per eum; qui scripsit ei: *Hac mulier dicit me posse apud te: si ergo possum ostende.* qui respondit: *Pater sancte, volui miserere illi, sed non potui, pro eò quoddam tributis subiaceret.* cui sanctus respondit. *Si quidem volens non potuisti, bene; utcumque se res habeat, si potens noluisti, ducat te Christus ad indigentiam horum, ut quando volueris non possis.* & sic factum est: postea enim caprus est ille, & liberatus intercessione S. Basilii; qui gratias agens restituit mulieri duplum eius quod abstulit. Ideo Præsidentes in officiis publicis, debent tractare subditos cum misericordia, cogitantes quod oportet eos misereri, ut de eis habeat Deus misericordiam, sicut dicitur Matth. 18. *Nonne oportuit & te misereri conservi tui, sicut ego misertus sum tui?*

Pericles jam morti vicinus à suis variè laudatus est; alii eloquentiam illius, victoriam alii, prudentiam isti, illi generositatem ac fortitudinem commendabant. at ille in suomet lectulo, capite modicè erecto: *Et quid est hoc omne?* inquit, *quod præcipuum ac maximum ego iudico, vos omittitis. hanc mihi laudem non negat conscientia: Nemo propter me umquam vestem pullam induit. hoc certè Periclis nomen & famam æternitati consecravit, hoc summæ laudis*

dis in eo fuit, se omnibus mitem & humanum exhibuisse, in neminem vindictæ ignes eiecisse; hinc dictus Pericles Olympius. Utinam Iudices, utinam sub vitæ finem hoc pro se quisque gloriari possit? *Propter me nemo atratus, nemo ingemuit, neque oculos terfit.* hæc Christiana clementia, non tantum nomen à cælo, sed ipsam dabit Cælum. *Drex. in Salom. c. 9. in fine.*

Cùm autem juxta Lipsium, clementia sit virtus animi à poena aut vindicta ad levitatem cum judicio inclinans: ideo *sicut excessus Severitatis* sine judicio est improbandus, ita & *Lenitatis ac Clementiæ* sine judiciis magna est injuriis & sceleratis omnibus ad nequitiam ansa; ac plus sæpè nocet patientia Iudicis, quàm rigor. Proinde decet eos, qui Iudiciis exercendis præfecti sunt, leges cōservare, easque validas ac fortes reddere; harum enim beneficio probi improbis meliores evadunt: nec tantum ut nemini quicquam iniusti agere liceat, sed etiam ut iis, qui isthæc transgressi sunt, supplicio affectis, ceteri meliores efficiantur. *Demosth.*

Vnde Nerva dicere solebat, *Atquæ malum esse Principem* ( seu Iudicem ) *sub quo omnia liceant, quàm sub quo nihil.*

Etenim sunt quandoque Iudices, qui justitiæ non sunt amatōres sed dissimulatiui scelerum; qui non corrigunt delinquentes, sed fingunt non videre vel non intelligere peccata. Tales ut plurimum omnibus arrident, omnibus favent, omnibus adulantur, cunctos videntur diligere & nullius sunt amici. Non enim omnis qui parcit, amicus est; nec omnis qui verberat, inimicus: qui phreneticū ligat, & lætargicū excitat, ambobus molestus ambos amat; ambo quādiu ægri sunt indignantur, sed ambo sanati gratulantur.

Nocet bonis qui parcit malis; & ab eo, cui præter leges indulsit, læditur. Primo membro convenit, quod cuidam ex Regibus Gallicæ Morio quidam respondit. Cùm enim Rex de quodam conquereretur, qui homicidii veniam petebat, & diceret: *Atqui iam tertium homicidium est:* Quid ais, inquit ille, Domine? *Imò dumtaxat primum perpetravit, tu secundum & tertium:* Nam si primò veniam illi non dedisses, unicum illud commisisset. *Phil. Camer. medit. histor. c. 10.*

Philosophus Cynicæ sectæ in iurgio colapho percussus, non solum commotus non est, verùm etiam percussorem argenteo nummo donavit. quod cum omnes qui aderant admirarentur, dicerentque eum dignum iterum cædi, *Nescitis nunc*, inquit, *quid egerim, scietis autem postea*. Haud longo tempore percussor ille, volens quendam alium cædere (sperabat enim aliquid fortasse lucrari) lethale vulnus accepit: mortem igitur sibi imminere sentiens: *Quanto melius*, inquit *mibi fuisset, colapho à Cynico reperi, quam nummo etiam aureo donari*. Abitemius.

Secundò, quod refert *Dambouderus* in *Prax. crim. c. vult. de Cicerone*, qui habita oratione, eductus, traditumque sibi à Magistratu nefarium cum punire deberet dimisit: & hic postea ab *Anthonio* ipsi *Ciceroni* proscripito, jugulum præcidit.

Memorant annales franciæ de *S. Ludovico Rege*, quod cum ipse preces ex *Psalmis Davidis* ad Deum conciperet, & aliquis pro reo quodam capitalis criminis gratiam peteret, intervenisset; Rexque quasi aliud agens annuisset, moxque incidisset in illum versiculum *Pl. 105. Beati qui custodiunt iudicium & faciunt iustitiam in omni tempore*. protinus revocari iussit eum cui gratiam concesserat, eamque irritam fecit, memorabili edita sententia: *Principem, qui potest punire crimen nec punit, non minus coram Deo reum esse quàm se ipse perpetrasset; ac pietatis opus esse, non sevitiæ, iustitiam facere*.

Hac de causa ferunt *Maximilianum I.* loca destinata suppliciiis fontium, cum hoc solenni dicto, *Salve Iustitia*, præterire solitum. *Benedictum est lignum per quod fit Iustitia*. Sap. c. 14.

Licet autem Iustitiam, dum suppliciorum loca transimus, honorare bonum sit; longè tamen melius atque utilius fuerit, pro animabus ibidem defunctorum Deum orare. quod etiam raro exemplo sequens ostendit historia; & quamvis aliquibus videbor in materia mea extravagari, spero tamen ingratham non futuram, ob eiusdem singularitatem.

Abfuerat domo sua, in militia, annum & amplius Nobilis quidam in Italia, qui reversus vxorem deprehendit gravidam. (con-  
sueverat enim vicino Nobili) coacta ergo fateri, spe veniæ oblata,  
fassa

fassa est adulterium & adulterum : jubetur ergo à marito ad amasium scribere, eumque ad se invitare in vesperum, simulando quod denuo maritus discessisset : venit ergo sub vesperum amasius solus eques : interim maritus eum cum famulis ad portam castris sui operitur ex insidiis. assueverat adulter ille, cum frequenter aliàs, tum cum suppliciorum loca præterit, orare pro defunctis : in via igitur locum talem transiens, & more suo pro homine in eo suspenso orans, sensit quempiam post se in equum assilire, consternatusque iussus est deponere timorem à quodam spiritu, qui dicebat missum se à Deo, precibus animarum quas ipse orationibus suis liberasset è Purgatorio, ut eum in mortem corporis & animæ properantem liberaret; strui enim insidias in castello per maritum non absentem sicut illi persuasum erat, sed presentem ibidem, & ipsum expectantem; adeoque assumpturum se personam illius, & subitum se illud periculum quod ipse incurfurus foret : subito igitur nobilis equo descendens alterum seipsum videt in equo, & uti iussus erat non progredi, circa portam castelli expectat : ingreditur interea spiritus, putatitius adulter, postque ingressum portæ, gravibus multisque configitur vulneribus, & iam tanquam mortuus sepelitur in horto eiusdem castelli : quo facto redit spiritus ad Nobilem extra portam illum expectantem; & ostendit sua vulnera, & quomodo ibidem exceptus fuerit, exposuitque periculum à quo eum liberaverat, & hortatus ad vitam meliorem domum remisit : percussus his adulter, multis diebus domi æger dilituit, tandem semel exiens, à quodam suo subdito conspicitur, qui alteri Nobili, homicidæ scilicet, obvius factus rogatur quomodo Dominus suus valeret? bene, ille respondit, & iam venatur : altero admirante, & interim rustico affirmante, mittitur famulus, qui videat num alter Nobilis vivat; deprehenditur vivere : mittitur & feruus ad hortum castelli ut exploret an non ibidem in sepulchro reperiat cadaver; & nihil inventum fuit : ille ad miram rei novitatem adultero scribit, cupere se ei loqui, ad se veniret : respondit alter, non id sibi integrum neque tutum, nisi alius locus & circumstantiæ tales designentur, ut securus esse possit : ubi factum, statuto

statuto loco convenerunt ambo, ubi tota historia ab utroque exponitur; & tandem animadvertens Maritus, adulterum tanto miraculo ex parte Dei conservatum; peccatum illi remittit, & pax concluditur, ea tamen lege, ut prolem nascituram adulter aleret, & à sua uxore impofterum abftineret.

Ipfemet ſpurius, ſeu filius ex hoc adulterio natus, narravit hæc cuidam viro Eccleſiaſtico fide digno, ex cujus relatu præmiſſa referuntur. Claudendo hanc parentheſin, redeamus unde divertimus, & videamus quàm pernicioſa ſit nimia manſuetudo in facinoroſos, & quomodo cum ſeveritate ſit temperanda.

*Archimidas* cuidam in laudem Charilli prædicanti, quod pariter erga cunctos fuiſſet mitis & manſuetus, *Et qua fronte laudatur aliquis*, inquit, *qui erga ſceleratos ſe mitem præbet?*

Cenſebat vir egregius, manſuetudinem cum juſtitiâ conjunctam eſſe oportere; *alioqui Principis*, ſeu Iudicis, *in facinoroſos lenitas, quid aliud eſt quàm in bonos crudelitas?*

*Harpalus* pro Cratete propinquo ac familiari ſuo, qui injuriarum poſtulabatur, poſtulavit à *Philippo*, ut reus multam quidem ſolveret, ſed à cauſa liberaretur, ne damnatus hominum maledictis exponeretur: hic verò *Philippus Macedo*, *Præſtat*, inquit, *ipſe malè audiat quàm ut nos propter illum*. Iudulgebat amicis, ſed quantum licebat integrè Iudicis opinione.

M. Cato dicebat, eos Magiſtratus, qui maleficos pœnis non coërcent, non tantùm non ferendos, ſed lapidibus obruendos eſſe, ne ex pœnæ neglectu ſalus Reipub. labefieret. *Plutarch*.

Porro notent Iudices, dum puniunt homicidas & fontes, quòd emundent ſanguinem innocentium, qui clamat vindictam in cœlum; & ſimul expiare ſe ſciant terram ſuam pollutam, cuiusque vindictam divinam à ſuo capite & domo avertere: adhæc ſe innocentibus occiſis quaſi manibus juſta perſolvere & parentare, ac divinæ juſtitiæ & vindictæ placabilem & gratiſſimam hoſtiam offerre, denique imitari, imò prævenire judicium rigidum Chriſti, quo omnes omninò fontes plectit. Præterea cogitent ſe non tantùm ſanguinem fuſum, ſed & fundendum emundare: dum enim

homici-

homicidas plectunt, terrent maleficos, eorumque audaciam, iras & rixas fruant. Itaque multas multorum cædes inhibent: nam ut ait Apost. Magistratus non sine causa gladium portat, *Dei enim Minister est, vindex in iram ei, qui malè agit.* Rom. 13.

Quippe, ut ait Seneca, *Delictorum impunitas homines audaciores facit ad malum, estque maxima peccandi illecebra: veterem enim ferendo iniuriam, invias novam,*

Quæ tamen & suo tempore venit punienda, quod docet sequens fabula. Vir malignus cum plurima perpetrasset scelera, & sæpius captus & carcere conclusus dæmonis auxilium implorabat, qui sæpè cum liberatus: & tandem iterum deprehenso, & solitum auxilium imploranti, dæmon magnum calceorum pertusorum fascem super humeros habens apparuit, dicens, *A mice amplius tibi auxilio esse non possum, tot enim loca pro te laborando hæctenus peragravi, ut hos omnes calceos contriverim, nulla mihi superest pecunia qua alios valeam comparare, quare pereundum est tibi, unde docemur non semper impunita manere, quorum pœna differtur.*

Sicut autem moderatæ punitionis, veluti summum ad virtutem bonum, ita delictum est impunitas grave ad quodvis scelus malum.

Erat *Iacobus Carrariensis*, qui laxatis foribus, è vita excessurus quosvis admittebat, qui queri de se vellent. venit cum aliis unus qui arroganter pecuniam, quam ob remissam capitis damnationem acceperat, sibi restitui postulavit, tanquam contra iustitiæ ordinem datam: cui Princeps generosa sed exili voce: *Si tunc iustitia in te reddita fuisset, nunc quod injustè facis, queri de me non posses, nullius ergo peccati conscius sum, nisi fortè, quod mitius quam merueras, fueris mulctatus: probè ergo monet Horatius.*

— *Adsit*

*Regula peccatis, qua pœnas irroget aquis,  
Nec scutica dignum, horribili insectare flagello:*

Porrò in scripturis sacris legimus etiam viros clementissimos ac mansuetissimos, valdè tamen rigorosos fuisse in administratione iustitiæ. Nam de Moyse Iudice populi Israël dicitur num. 12.

quod

quod erat vir mitissimus super omnes homines, qui morantur in terra: verumtamen in punitione gravissimorum scelerum fuit valde severus; unde propter peccatum idololatriæ 23. millia hominum occidi iussit. *Exodus c. 32.*

Taceo Abraham, Iosue, Gedeonem, Iephtem, Sampsonem, Samuelem, David, Helian, Machabæos, sapientissimum Salomonem, ac alios patres, de quibus sacras paginas intuenti patebit. *Misericordia quippe debetur gratia, Iustitia verò disciplina. Qui ergò caret primâ, redditur odebilis; qui autem caret secundâ, fit omnibus contemptibilis. Unde vera Iustitia debet associari misericordiâ, nec una sine altera procedere in administratione Iustitiæ: propterea Sapiens proverb. c. 20 ait, Misericordia & veritas custodiunt Regem, & roboratur clementiâ thronus illius. Veritas, in scripturis sanctis ut plurimum capitur pro Iustitia, eò quòd Iustitia in causis suis oculos suos dirigit ad solam nudamque veritatem, cæteris postpositis: associatur autem vera Iustitia cum misericordia, quia Iustitia sine misericordia est durities & crudelitas: Misericordia verò sine Iustitia est pusillanimitas & favitas: quare, qui sequitur Iustitiam & misericordiam, inveniet vitam, Iustitiam & gloriam. Proverb. c. 20. Vivaldus in Salom.*

Principis porro (ac Iudicis) duæ sunt virtutes majores & minores: è majoribus primæ Iustitia & clementia: Iustitia velut sol Regnum illuminat: clementia ut luna tenebras moderatur. nox merissima ubi non imperant hæc astra.

Sunt verò rationes quas sola Majestas considerat dum pœnas moderatur & clementiam iustitiæ conciliare solet.

Prima inter communes causas remittendi legum pœnas, est ipsa depravatio sive naturæ sive consuetudinis assidue homines criminibus involvens: unde *magna solitudo & vastitas futura sit, si nihil relinquatur, nisi quòd Iudex severus absolverit.* Seneca lib. 1. de Clem. c. 6.

Quare scitè Demosthenes dicebat se subiisse pœnitentiam voti, quo aliquando malis omnibus exitum imprecari solebat, quòd eâ ratione frequentiam civitatis cum solitudine permutandâ videret.

Quis

Quis igitur *Septimii Severi* probare severitatem posset, qua aliquando tria adulterorum millia morte mulctavit? quamquam postea tanta multitudine eiusmodi reorum deterritus tam severam quaestionem remisit.

*Onomadenus* patriam suam Chio in seditionem scissa, & parte à qua stabat prevalente, consilium locis dedit non omnes fugandi adversarios; ne, inquit, inimicis omnibus remotis, in amicos convertamus studium contentionis, & inter nos discordias agitemus. *Plutarch. de utilit. ex inim. c. 17.*

Secunda causa est, quòd naturam contumax est humanus animus, & in contrarium atque arduum nitens. sequiturque facilius quam ducitur; ut generosi & nobiles equi melius facili freno reguntur. ut & *Ovidius. Lib. 3. amorum, Eleg. 4.*

*Desine, crede mihi, vitia irritare vitando;*

*Obsequio vinces aptius ista tuo.*

*Vidi ego nuper equum contra sua fræna tenacem*

*Ore reluctanti fulminis ire modo.*

*Constitit ut primum concessas sensit habenas,*

*Frænâque in effusas laxa iacere iubas.*

Tertia causa est, quòd severitas optimum remedium quod habet assiduitate auctoritatem amittit, & ut medicamento itidem usurpati, vigor obsolescit: videmus quippe ea sæpius committi, quæ sæpè vindicantur: temperatus timor auctoritatem cohibet; assiduus & acer in vindictam excitat: & principum minus turpia multa supplicia, quàm medico funera, vidit hoc *Artaxerxes Longimanus Rex Persarum*, qui tiaras ad vicem capitum quibusdam noxiis amputabat, & ne iccaret aures, more regio, pro delictis, ex galericis fila pendentia præcidebat; vitia erunt donec homines: sed nec hæc continuò & interventu meliorum pensantur: frequens vindicta, paucorum odium reprimat, omnium irritat: & quemadmodum præcisæ arbores plurimis ramis repullulant, & multa factorum genera ut densiora surgant reciduntur; ita regia crudelitas auget inimicorum numerum tollendo. *Vide Senec. de Clement. l. 7. in fin.*



Prædictorum autem trium momenta causarum tantum ad Clementiam pertinent *Majestatis*, neque tam ad Iurisprudentiam quam ad providentiam illam politicam spectant, & magno consilio, cautione & diligentia per singula examinari debent, neque univcrsum redigi ad liquidum potest, ubi locum & pondus habeat, ubi non habeat: præterea distinguendum putat Tuldenus inter causas proximas & remotas: ex illis etiam Iudex, ex istis non nisi Princeps poenam condonat: causas proximas appello ipsi reo proprias, veluti si ebrietatis lubrico lapsus, si adolescentiæ freto incitatus, si doloris impetu obductus deliquit, & quæ alia de eodẽ genere facinoris pravitatem attenuant.

Causas remotas appello planè politicas & communes: hæ soli Principi æstimandæ, cui non tantum jurisdictione, sed & liberio-rem publicæ salutis procuracionem Majestas Imperii largitur. Et quæ altiores illæ causæ, & latissimæ patentes? colligendæ eæ sunt ex ipsa æstimatione causarum propter quas poenæ omnes constituantur, quas A. Gellius *lib. 6. noct. c. 14.* ex sententia Philosophorum tres prodidit, auctoribus Iuris Romani etiam spectatas.

Prima est exemplum, ut unius poena metus esse possit multorum. *L. 1. C. ad l. Iul. repetund.*

Secunda est correctio ejus qui deliquit, *pœna in emendationem hominum constituitur* inquit Paulus. *L. 20. ff. de poenis.*

Tertia est vindicatio, qua dignitas ejus qui delicto violatur à contemptu asseratur: ne, ut Publius ait, veterem ferendo injuriam invitet novam. *L. 28. §. 15. de poenis.*

Quartam causam substituit Seneca *lib. 1. de clem. c. 22.* & leges nostræ agnoscunt.

Congruit bono & gravi præsidii curate ut pacata atque quieta provincia sit quam regit; quod non difficile obrinebit, si sollicitè agat, ut malis hominibus provincia careat, eosque conquirat. *L. 13. ff. de offic. præsid.*

Igitur cum his causis clementia deliberet, ut quatenus eæ vel exigunt vel certè permittunt, remittat poenam aut minuat; namque justitia institutrix suppliciorum in illis causis quasi cardinibus innixa

innixa est : cui contraria esse clementia nequeat , pro naturali virtutum consensu : sequitur ut à natura sua degeneret, si causis illis renitentibus, pœnam condonet. Respiciat ergo clementia ne dum reoparcit ut emendando plures corrumpat illecebra impunitatis, *Tuld. lib. 2. de corrupt. Iud. s. 16.*

Refert *Casarius* de Episcopo quodam sancto, legente die quadã in quadragesima Psalterium , quod dum legeret, *Quis loquetur potentias Domini?* ingressus est unus de iustitiariis, quærens quid faceret de quodam reo? *Episcopus* motus misericordia respondit, *Propter sanctum tempus quadragesima parce ei.* Redeunte Iudice ut reum dimitteret, reflexis oculis ad Psalterium dimissum vidit verbum, *Beati qui custodiunt Iudicium & iustitiam in omni tempore*, qua voce territus Iudicem revocavit, & ait: *Discite diligenter causam.* sicque ad vocem Propheticam vita privatus est.

Nec minus notabilis est fervor Iustitiæ in *Archiepiscopo Cantuariensi*: dum enim quodam tempore essent capti tres fabricatores falsæ monetæ, qui mōx adjudicabantur ad manuum abscissionem, quod *Dunstanum* non latuit: die Pentecostes celebraturus missam percunctatus est, utrum lex impleta esset? responsum est ob reverentiam diei Festi, dilatam pœnam in crastinum: *Ego*, inquit, *hodie ad altare non accedam, nisi ii sustinuerint pœnam, nam negotium ad me respicit.* hæc dixit, & pro eis qui perdituri erant manus multum plorans, ostendit qua affectione hoc dixerit. Quibus punitis accedit ad altare lota facie dicens, *Nunc confido quod sacrificium de manu mea suscipiet Deus.* In qua missa dum diceret, *adunare, pacificare, custodire & regere digneris*; nivea columba cunctis videntibus super eum descendit, & alis expansis super caput eius sic remansit in silentio donec missa completeretur. *Apud Surium. 19. Maii in vita eius.*

*Nutricula est scelerum omnium ipsa impunitas.*

*Quidvis mali parit fovetque impunitas.*

*Ideo quod virum à me anathemati devotum dimisisti è manu, ideo erit vita tua pro vita eius, & populus tuus pro populo eius. Deut. c. 17.*

Iudex proinde cogitet pœnas sceleratis inue justa causa & lege prohibente remittendo, se de alieno jure, Dei scilicet, esse liberalem; est enim pœna Dei Ius, quod ipsi debetur, cujus juris administratores Iudices sunt, non domini. *Alib. polit. c. 29. n. 33.*

In summa ut jungamus severitatem & clementiam, *constanter tenenda est iustitia & benignè præstanda clementia*, ut dicit *S. Leo Ep. 90.* & quia clementia proprio significato, majestati convenit, *occidere enim contra legem nemo potest, servare nemo.* Senec. lib. 1. c. 5. præter summum principem; idèd præter eum ad solas eius curias supremas pertinet supra legum verba & mentem clementem esse. *Zyp. de Jud. lib. 1. c. 20.*

Iudices autem qui condonare delictum non possunt, in mitigatione, quàm in exasperationem pœnarum decet esse procliviores, in coque quidquid circa delinquentem, ex ætate eius, bene ante acta vita, spe emendationis, statu iudicii, brevi furore, seu ira, seu potu, commoti, aliisque circumstantiis minuire delictum potest, ut in eò qui diu in reatu & squallore carceris fuit, expendent. *L. 25. ff. de pœn. & Zyp d. loco.*

Licet autem ut boni præmiis excitantur, ita mali pœnis cohibentur, pœnarumque necessitas fluxerit ab hominum malitia, & quietem publicam maximè conservet criminum vindicta, qua mali è medio tolluntur, alii ne mali sint exemplo terrentur: in his tamen vindicandis Iustitia distributiva adhibenda est, summis acerba, mediis minora, levioribus levia remedia, & dum nulla scelera manent sine vindicta, juxta mensuram delicti fit & plagatum modus: possunt etiam pœnæ, si gliscit malum, & frequentia criminis exasperari, & tantùm legibus severitatis addi, quantum flagitia creverunt, ut ait Symmachus<sup>a</sup> non tamen potest Iudex præscriptum legis excedere. <sup>b</sup> & sive quis extra ordinem de crimine cognoscat, <sup>c</sup> tamen in utroque modo non <sup>d</sup> licet excedere.

Ideoque & pœnam arbitrio suo relictam ad mortem non potest extendere, <sup>e</sup> quamvis etiam circumstantia supra modum aggravet: *f* quanta verò utendum prudentia in causis criminalibus, &

quo-

<sup>a</sup> Zyp. ibidem. <sup>b</sup> L. 6. ff. ad l. Jul. pecul. <sup>c</sup> Zyp. lib. 2. c. 12 n. 9. <sup>d</sup> L. 13. ff. de pœnis.  
<sup>e</sup> L. 1. §. 2. ff. de effract. l. 2. ff. de fur. <sup>f</sup> L. 7. ff. vers. Quid enim. ff. ad l. Jul. repe.

quomodo procedendum, pœna quæ usurpendæ deducit latius D. Zypæus *In tract. de Iud. lib. 3 c. 7.* & alii D. D.

Cæterùm iustum principem, seu Magistratum ac Iudicem crudelem omnes virum execrantur, sublatum ex oculis diris devent & publico gaudio.

De *Neronis* morte tantùm gaudium exitit publicè, ut plebs pileata tota urbe discurret. *c. Sueton. c. 57.*

De *Tiberii* morte ita lætatus est populus, ut ad primum nuntium discurrentes pars Tiberium in Tib. rim trahi clamaret, pars terram matrem deosque omnes oraret ne mortuo sedem ullam nisi inter impios sedem darent. *Idem c. 75.*

Ab antiquo sapiente dictum: *Alieno sanguini parce ut tuo:* tum scilicet charitate quæ proximo debetur, tum metu, ne qui effuderit sanguinem, effundatur sanguis illius, pretiosus æquè est sanguis Agasonis ac Regis, servi ac liberi: unus enim est Deus omnium, unus creator, unus redemptor, qui æquo jure de omnibus statuet; imò rigidiùs in Regibus & Magistratibus, *potentes potenter patientur tormenta*, quia non rectè judicarunt, quia sanguinem innoxium fuderunt, aut ne à suis funderetur non impediunt, effusum non vindicant. *Zyp. l. 3 c. 9.*

Quemadmodum verò aliqui Iudices ita sunt districti, ut omnem mansuetudinem & benignitatem amittant; ita & nonnulli ita mansueti, ut perdant districti jura regiminis.

*Qua est bonitas, qua ista misericordia, uni parcere & omnes in discrimen adducere? polluitur ex uno peccatore populus, sicut ex ovi morbida grex inficitur universus, & ad eandem materiam pulcher & longior habetur textus c. 14. dist. 45. & Qui uni indulget in ligno plurimo: facit ad prolapsionis contagium provocari; facultas enim venia incentivum tribuit delinquendi. C. est onusta miseria. 234. 4.*

*Quippe feliciores sunt improbi supplicia luentes, quàm si eos nulla pœna coërceat, boni etiam publici causa, quia serpunt vitia & in proximum quemque transfiliunt & contractu nocent. berè Cassiodorus, benigni est Principis aut Magistratus, non tam delicta velle punire quam*

*quam tollere, ne aut acriter vindicando aestimetur, aut leniter agendo putetur improvidus.*

Vnde si aliquando plures deliquerint, ex paucorum poena & metu emendatio omnium sperari potest; ex omnium autem poena solitudo & vastitas, & opinio crudelitatis: ac tum clementia necessaria est: *si quippe tantum irasci vis quantum sceleris indignitas exigit, non irascendum sed insanendum.* & præstat aliquando ommittere prævalida vitia, quando illis impares futuri sumus, & severitas auctoritatem, quod maximum remedium habet, assiduitate amittit.

Disciplina vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur: sed circa subditos suos inesse rectoribus debet, & iuste consolans misericordia & pie levians disciplina.

Ne autem indulgentia & clementia populus abutatur, necesse est, ut cum majestate & metu obedientiæ temperetur: desiderat enim populus suam libertatem cum potestate principali temerè cõfundere & æquare, ideoque non reverentia ex terrore nèque ex humanitate amor captandus est; nimia enim libertas non est libertas, sed soluta licentia: proinde clementiam ita exercebit Iudex, ne illa in mollitiem quandam aut lenitudinem declinet: & ne quid hinc impedimenti vel detrimenti iustitia patiatur: severitas quandoque adhibenda, vel ipsorum facinorum, vel etiam publici boni causa, ne crimina impunita maneat.

Monitum hac de re insigne docet S. Gregorius, cum ait, *Miscenda est lenitas cum severitate, faciendumque ex utraque temperamentum: ut neque multa acerbitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. sit itaque amor, sed non emolliens: sit rigor, sed non exasperans: sit Zelus, sed non immoderate saviens: sit pietas, sed non plus quam expediat parcens.* In Iob. c. 8.

Hinc est quod semivivi illius vulneribus qui à Samaritano in stabulum ductus est, & vinum adhibetur & oleum; ut per vinum mordeantur vulnera, per oleum foveantur, quatenus unusquisque qui sanandis vulneribus præest in vino morsum distractionis adhibeat, in oleo mollitiem pietatis: per vinum mundentur putrida,

per

per oleum sananda foveantur. miscenda ergo lenitas cum severitate, faciendumque quoddam ex utroque temperamentum, ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur: hinc etiam David: *Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt*: virgâ enim percutimur, & baculo sustentamur: si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit & consolatio baculi quæ sustentet.

Si autem contingat quod Iudex hæreat nescius in quam partem inclinare, quia hinc benignitatem exigit misericordia, inde severitatem disciplina; pro hac stet rigor, huic adversetur pietas: ille pro aliis perit exemplum, hæc condolet pœnitenti, nec satis Iudex apud se statuere possit, qualiter justitiam, cum dulcore misericordiz possit temperare, qualiter satisfacere Dei mandato, ut pro mensura delicti sit & plagarum modus. <sup>a</sup> præcepto Christi *Estote misericordes*, humanior sanè parserit eligenda. <sup>b</sup> potius ad benignitatem ibitur quàm severitatem: <sup>c</sup> & qui pronus est ad misericordiam benedicetur, <sup>d</sup> non idem de severitate promissum habemus.

Ita de aliis statuere nos convenit, tanquam qui quotidie peccamus, ita aliorum vitiis irasci quasi ipsi imitemur & præcurramus, ita esse inexorabiles ut dare veniam non nisi nobis ipsis nesciamus. *d. lib. 1. c. 20.*

Denique ad Iudicem, omnesque qui judicant, pertinet illud Christi præceptum, *Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est, nam Judicium illi sine misericordia, qui non facit misericordiam.* D. Iacob. & Zyp. d. 1. c. 21.

Infideles ad hanc nos exhortantur suo exemplo: legimus quippe de *Vespasiano* nullius cæde lætatum fuisse, & jussis supplicis illachrymasse etiam & ingemuisse.

*Augustus* quoque *Pollionem* crudelitatis redarguit, quod servum qui vas cristallinum cõfregerat, jusserat in vivarium demergis: cum enim duceretur servus, evadens licitorum manus ad *Augusti* pedes apud eundem *Pollionem* cœnantis, se projecit: supplicans ut alio genere mortis interiret; *Augustus* causa & genere mortis cognitis, solvi

<sup>a</sup> Deut. 25.   <sup>b</sup> L. Præf. ff. de pœnis.   <sup>c</sup> C. in pœnis. de reg. Juris.   <sup>d</sup> Proverb. 22.  
<sup>e</sup> Zyp. dicto loco.

solvi servum iussit, *Pollionis* verò & vasa omnia crystallina coram  
 afferri iussa, virgula confregit, & vivaria evertit. *Dio. lib. 54. &*  
*Chock lib. 2. c. 6.*

*Traianus Imp.* iudicibus hoc symbolum dabat, fulmen super  
 pulvillum cum lémate: LÉNIS SEVERITAS. *Epitom. var. hister.*

Sit pro coronide, quod in *Deo* videamus maximum Iustitiæ &  
 misericordiæ temperamentum; & quamvis *Deus* ut misericors, ita  
 & iustus sit, tamen misericordiæ effectus plus in nobis relucet,  
 quam iustitiæ: in huius enim vitæ foro audire videtur causas, &  
 iustitia facere ferias.

*Dei enim proprium est misereri & parcere*: quod miseretur pro-  
 prium est illi, ex se enim sumit misericordiam: quod iudicat, nos  
 cum quodammodo cogimus. *S. Bern. serm. de natiuit.*

## C A P U T X.

### *De Iudice forti, & Fortitudinis abusu.*

**C**ervi non prodeunt in publicum, nisi cùm habent cornua sua  
 loco armorum: . Cornua autem sapientum Iudicium, & alios  
 regentium sunt, *sapientia* ad gubernandum, & *fortitudo* ac potes-  
 tas ad comprimendum, sine quibus nemo debet se intromittere  
 vel exercere Iudicia publica.

Hinc & sanctissimi monitoris hoc est interdictum, *Noli quærere*  
*feri Iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates, ne forte perti-*  
*mescas faciem potentis & ponas scandalum in agilitate tua.* *Eccl. c. 7.*

Sicut impius *Pilatus*, audito, *si hunc dimittis, non eris amicus Cæ-*  
*sari*, timuit, & à propriæ conscientiæ dictamine recessit, qui fa-  
 tebatur illum esse innocentem & iustum: *Quid enim mali facit?*  
*ego nullam invenio causam in eo: innocens ego sum à sanguine Iusti-*  
*buius.*

Quid dicemus de illis, qui nomine & honore tituli Iudicialis  
 ac

ac Magistratus gaudere volunt, & inane simulachrum eius virtutis ore & fronte, gestuque effingere? sed ætate scenicâ & theatricâ satis esse credunt, honores gerere, ut ornamenta hominum, non etiam Magistratu & Iudicis officio fungi, laboresque ac molestias suscipere, odia malorum, præsertim potentum. Refert enim huius temporis sensu, non quid fiat optimâ fortique fide, sed quid optimè simuletur & speciosissimè.

Quis nunc rem suam privatam victimæ Reipub. spreto animi metu ac commodo, subditurus? Quin imò respondebunt, *Illos modò non esse mores, non illam communem prudentiam: pereant Reipub. Leges & sanctiones, Iustitiæque Numen potius quàm honoris tituli- que nostri iactu fortunaque seruentur.*

Hinc muneris huiusmodi functio multis in locis taliter constituta, *Inane nomen Iudicis & Magistratus* dicitur, & formulariâ magis observatione atque defunctoriâ, quàm ad legum tutelam, facinorosamque criminis animadversionem, & præsidium inermis multitudinis. *Bud. in forens.*

Sicut autem Iudex, qui nihil iniuste facit, iustus propterea non est, si eos, qui ab aliis iniuriam patiuntur, ubi potestas erit, non defendit. *Procop. de bell. pers. lib. 2.* Ita & ille, qui Iustitiæ veritatem inquirere potest, sed potentiz superioris metu perculsus, illam aut dissimulat, aut vecorditer abscondit, non considerans text. in c. II. q. 5. *Quisquis veritatem metu alicuius potentiz occultat, iram Dei super se provocat, quia magis timet hominem quàm Deum.*

Si ergo ille iram Dei super se provocat, qui metu alicuius potentiz veritatem occultat, quanto magis ille iram Dei contra se provocat, qui propter metum potentiz superioris veritatem opprimit & condemnat.

Æliano teste apud Ægyptios summus Iudex, appensam è collo gestabat imaginem Sapphirii in qua legebatur hæc epigraphæ. *Veritas*, quam proinde ipsi proprium erat tueri & semper profiteri, omni seposito metu.

Verus igitur & fortis controversiarum Iudex ac Magistratus cavere debet, ne propter metum, ex eodem ore, quo iudicaturus, Deos



invocavit, quod sentit, non proferat contra veritatem. Animus propter formidinē consilio non privetur ac turbetur; non fluctatus precibus aut misericordiâ vel potentiâ, indeque minus in improbos animadvertat, aut defatiscat mollitie, nec perficere valeat, quæ animo concepit.

Homines amplissimis dignitatibus ornatos non pertimescat, sed imbecillioribus & patrociniis orbatis, id quo carent, pro eo atque æquitas postular, subministret, atque in honoribus, quo dignus est, cuique impertiat, omnibus quod æquum est in causarum disceptationibus tribuat: Ius videlicet ubique mensuræ loci adhibens, nec illud pudore, blanditiis, aut terrore corrumpens. *Isid. Pelusiota.* unde

Lege apud Arcopagitas cautum fuit, ut qui causam diceret, nec præmio uteretur, nec ad miserationem aut invidiam Iudices adduceret, ne cui plus in misericordia quàm in causa spei esset. *Alex. ab Alex. lib. 3. c. 5.*

Neque enim moveri aut vacillare debet animus Iudicis, sed semper manere liber, recti iustique tenax, ut si fractus illabatur Orbis impavidum feriant ruinae: nescit enim timere aut labi qui quis iustus esse didicerit, ut proinde bene dixerit Lymonides Philosophus, *virum iustum esse quasi Cubum, qui ad omnem volubilis fortunæ motum, firmus fixusque obsistit*; non vertitur aut volvitur, ut solet rota, ad omnem auras sibilum casumque inclinantis fortunæ. sortitur eam constantiam, invictumque auras mentis robur à momento ac pondere legum suarum, quibus se ipse confirmavit, & adversus inconstantiae tela, veluti lorica Iustitiæ induit; ut nulli cedat, nullius vim cursumque extimescat. *Lobbetius in specul. Eccles.*

Quemadmodum verò metu Iudex à Iustitiâ non debet deviare, ita nec amore consanguinitatis aut carnalis amicitiae contendere alicui sententiâ suâ bene facere. Quid enim sunt nepotes? qui non sunt amici, dum non potes. Consanguinei? ita verò sanguinei, ut suo consanguinem tuum coagulent. Affines? ad fines, expectant enim fines tuos.

Errant

Errant proinde in veritate sententiz Iudices, dum intendunt in qualitatem personæ, & exulcerant sæpè Iustos, dum improbè defendunt iniquos: qui autem rectè præsidere studet, nec partem palpate novit, nec cohiberi à Iustitia didicit.

*Sint etiam Iudices ut fortes Israël custodientes lectulum Salomonis, tenentes gladium Iustitiæ super femur suum, id est seiplos & familiam suam.*

*Lectulum enim Salomonis, inquit scriptura, Cant. 3. sexaginta fortes ambiunt ex fortissimis Israël, omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi: uniuscuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos, ut scilicet malos perterreant, insolentes refrænent, audaces reprimant. Debent autem esse ex fortissimis Israël: fortes, parum est hoc: sunt fortissimi; & nedum fortissimi, sed ex fortissimis electi fortissimi. Quo significatur nemini majori opus esse & constantiori fortitudine, quàm Iudici, quem nec amor moveat, nec timor terreat, nec lucrum alliciat, nec jactura debilitet, nec amici superent, nec aliquis respectus creatus à recto detorqueat.*

*Uniuscuiusque ensis super femur suum.* Quid hoc rei? si manibus teneant gladios, ut quid illos de femore suspendunt? Nostram indicat concupiscentiam, carnalique appetitus sensuales, ne sibi Iudex persuadeat, in aliis, & non in domo sua exercendam esse iustitiam. Etenim hæc prior est ad Iustitiæ normam dirigenda, & præscindendi affectus Lucri, commodi, familiar, cognatorum atque amicorum: æqualis cum cæteris ratio habenda. *La Nuxa.*

*Pelopidas in bellum domo exiens, uxori ipsum deducenti, ac oranti cum lachrymis, ut salutem suam consuleret: Privati, inquit & mulier, de hoc monendi sunt; Magistratum verd gerens ut suos incolumes præstet.* Plutarch. in vita. Præter præmissa fortitudo quoque & zelus boni communis in Iudice requiritur, ut nec potentes revereantur, nec amicos, aut iis adulentur, nec sua sed Reipublicæ commoda quærant. Cræsus, quia dives, putabat se felicem: cumque rogaret Solonem, an non idem sentiret, respondit Solon, Neminem ante mortem felicem esse dicendum, eo quòd opibus ac felicitate spoliari possit. Egrè hoc accepit Cræsus, sicque ac

indotatum dimisit Solonem : vidit hoc *Aesopus* & indoluit, dixit-  
que, *O Solon, cum Regibus aut quàm minime aut quàm suavissimè col-  
loquendum est.*

*Nequaquam verò, inquit Solon, sed vel minime vel certissimè.*  
Captus tandem à *Cyros* *Crœsus* & rogo adjudicatus, exclamavit,  
*O Solon, nunc experior tuam sententiam esse verissimam.* à *Lapide* in  
Num. c. II.

*Aristides* cognomento *Iustus*, à sodalitatibus & amicorum po-  
tentia abhorrebat, quæ ad injuriam aliis inferendam adderet ani-  
mum. Abhorruit autem ab omni factione & amicitia, idèd, ne  
adigeretur ad àliquid faciendum, quòd iustum non esset, aut co-  
geretur abstinere ab eo, quòd judicasset Reipub. conducere. *Plu-  
tarch. in Apoph.*

*Titus Manlius*, *Iuris Pontificii* peritus, *Iudex* inter *Macedonas*  
accusatores & filium constitutus, auditâ causâ, ita pronuntiavit:  
*Quoniam probatum sit Silvanum filium meum pecuniam accepisse, ip-  
sum repudio, prole meâ indignum iudico, protinusquæ à conspectu meo  
abire iubeo.*

In *Iustitiæ* administratione respectum non habuit ullum etiam  
ad Amicum & familiarem *Andronicus Còminus* Imperator *Con-  
stantinopolitanus*, charum hominem licèt haberet *Theodorum*  
quendam : hic enim apud *Rusticum Cauponem* cum multis suo-  
rum diversatus, abiit & symbolum non solvit : res hodiequæ nec  
nova, nec insolens : *Caupo* injuriam sibi factam in aula questus  
est : Imperator virum ceteroqui charissimum fuste duodecies  
publicè cædi iussit & omne damnum largiter rependi.

*Iunius Brutus* Romanorum Consul filios suos & fratris, quia  
cum *Virelliis* & *Aquiliis* ad recipiendos in urbem *Tarquinius* par-  
tem tenerant, virgis cæfos, securi percussit. *Liu. lib. I.*

*Titus Manlius Torquatus* Consul filium suum, quia contra im-  
perium pugnaverat, securi percussit. *Liu. lib. 8.*

Frater *Antigoni* *Marsias* item habebat : sed à Rege postulabat,  
ut causa domi cognosceretur : cui *Antigonus*, Si nihil, inquit, præ-  
ter jus agimus, melius fieri in foro, cunctisque audientibus. Non  
impe-

Impetravit hoc à Reg: fraternus affectus, ut vel tantillum de Jure concederet: Ipsum autem hoc dilemmate constrinxit: *Si iniustam causam habere te scis, cur litigas? sin iustam, cur hominum conscientiam, & ad domesticas latebras rem fori pertrabis, non cariturus civium sinistra suspitione, etiamsi bonam causam viceris.* Plutar. in reg. apoph.

*Acrotatus*, parentibus postulantiibus, ut sibi in re quapiam iniusta adesset, reculavit illis aliquamdiu. Cæterùm cum instarent, hunc in modum respondit. *Donec essem apud vos, nullam omnino tenebam Justitiæ scientiam; verùm ubi me patria tradidistis, patriæque legibus, insuper & iustitiæ & honestatē pro viribus docuistis: conabor huic magis obtemperare quàm vobis: & quandoquidem hæc est vestra voluntas, ut quæ sunt optima, faciam; optima verò sunt, quæ iusta sunt: cum homini privato, tum præcipue principatum (seu Iudicaturam) gerenti, quæ vultis faciam, quæ dicitis negabo.* Plutarch. in Lacon.

*Cleon* vir in rebus gerendis industrius, cum ad Reipub. gubernaculū suscipienda evocatus esset, omnibus votis & consanguineis unum in locum vocatis ait: omnem sese nunc amicitia, familiaritatis ac sanguinis memoriam iuraque deponere, ne fortasse excoquodam erga eos affectu adductus à justitiæ tramitē & æquo iudicando deflecteret. *Plutarch. de iis qui Rom. gerunt.*

*Rutilius* amico cuidam rem injustam petenti, pernegabat: cumque is commotus esset per summam indignationem dixit. *Quid ergo mihi opus est tuâ amicitia, si me urgere cupis, ut in justitiæ Leges tua causa peccem.* *Eras. lib. 8. Apoph.*

Fortitudinem Deus recommendare etiam videtur, quia minatur inter alias pœnas, *se daturum pueros Principes (seu Iudices) eorum, & effeminatos imperium in illos habituros.* Isa. 2.

Robore quoque & animi fortitudine Iudex & Magistratus opus habet, quia pro communibus commodis multæ advenzæ inimicitia, subevnzæ tempestates, cum multis audacibus, improbis nonnunquam potentibus dimicandum.

Et sicut civilia munera fortiter obcunda sunt illis, omniq; cogita-

cogitatio & cura ad publicam salutem referenda; ita quæ adversa contigerint ferenda constanter, quæ ut multa etiam contingant. necesse est, propter rerum humanarum inconstantiam. Quo tempore maximè debet elucescere ingenii vigor, firmitasque animorum, & vires ipsæ magis ac magis intendendæ: capiendæque consilia aut plena roboris, aut saltem nequaquam imbecilla.

Cùm autem subinde contingat quod post latam sententiam partes tergiversentur & parere recusent; non terreatur Iudex, non cedat, constanter pergat, ut è verbis fiant facta: tunc potissimum urgenda sententia, cùm Liquet quàm sit iusta, & præsertim cùm puniendæ sunt vitia: his cedere est vinci & causam spontè perdere. Iustitia est magnanima & fortis, & cùm sui certà est, nescit cedere: constantiam amat Iustitia, nec vim dissimulat ubi vi opus est, *Drex. in solom. c. 13 §. 7.*

Existunt persæpè & in Republ. seditiones, quæ arte industriæque compescendæ sunt, quæ ubi sedari & coerceri nequeunt, fortissimè eundum est contra.

Existunt & aliz tum difficultates, tum pericula, quibus vigilando, agendo, multa prospiciendo firmiter occurrendum sit. Quæ quidem efficiunt, ut Urbanz res nequaquam bellicis minores nonnullis visæ sint.

Nec minùs clara utilitàque videantur quæ domi geruntur atque in toga, quàm quæ foris atque in caliga. Quocirca moderantem Rempubl. comprimis virilem maximèque confirmatum habere animum oportet, propter multa tum laboriosa, tum dubia & aspera, quæ plurimis è locis atque causis soleant quandoque pullulare. *Pontan. de fortitud.*

Ita ut non tantùm *sapientia & Iustitia* in Iudice requiratur, sed & *fortitudo, & potentia*, tum interna tum externa, qualis est favor civium & amicorum potentum, ad perumpendas & constringendas quaslibet etiam potentum & Principum iniquitates, ut urbem & provinciam sceleribus expurget. Sanè populi iniquitates velut catenz Iudicem circumdant & vinciunt: virtute ergò magnà indiget ad eas disrumpendas; hoc enim bonum est tum Rempubl.

tum

tum privati iniquè agentis: *Nam mali puniti feliciores sunt, quàm impuniti.* Boët. lib. 4. de consol. philof. Quia poena eorum ingens est bonum, tum ratione iustitiæ, quam lætam sarcit, tum quia scandalum ab eis datum tollit, ac præservat à futuro. Vnde Greg. Nazianz. dicit: *Quisquis leges tuendas suscepisti, timorem omnem ex animo pelle; omnis enim, cui legum custodia mandata est, metu vacare debet.* Rectèque Seneca: *Quorundam parum idònea est verecundia rebus civilibus, qua firmam frontem desiderant, his utilior negotio quis est? Bono Iustitiæque proxima est severitas. Ut fulmina paucorum periculo cadunt, multorum metu: sic animadversiones magnarum potestatum terrent latius, quàm nocent.* Et S. Bern. *Impunitas incuria soboles, insolentia mater, radix impudentia, transgressionum nutritrix.*

Refert Ioannes Casus ex Annalibus Angliæ *Sphæra Civit. lib. 2. c. 8.* Henrici quarti Regis filium furentiùs in Senatum irruisse, servumque, quem perditè diligebat, omni conatu à tribunali abripere contendisse: hoc vidit populus & pertimuit. at Iudex vir *Iusto ac forti* animo hæredem Regni sic excepit: *Accelera huc furiose juvenis, gladio, quo eædem jam minitaris senile pectus hoc meum (si placet) percutere; percutere (inquam) si velis, nam potius moriar, quàm hoc exemplum patiar. Locus quo nunc abuteris, Tribunal tui patris est; Iudex, quem invadis, personam tui patris gerit; Lex quam violas te reum sceleris, non filium Principis accusat. Ego igitur tui patris nomine totiusque Regni autoritate te propter hoc facias in carcerem abire jubeo.*

Hoc tonitru perculsus Iuvenis, gladium deiecit, seipsum sententiæ Iudicis sponte submitit, in vincula se (admirante populo) ultro præcipitavit: Hac tragica Comœdia audita, Rex senex ac sapiens effusus in lachrymas: *Q me beatum, inquit, qui tam iustum & fortem Iudicem, qui tam pium & obedientem filium antè sepulchrum video.*

Caveat ergo Iudex revereri & vereri faciem potentis, ne per hanc reverentiam & metum in recto Iustitiæ itinere, quo solebat aut debebat incedere, per metum corruat, & à rectitudine ac iusti-

tia defectat, & rectam iutamque sententiam proferre & exequi non audeat, sed potius in gratiam potentum pauperes condemnet, vel à potentibus opprimi permittat. Tum enim etiam fit, ut officium sibi sit offendiculo: omnes enim scandalizantur, dum audiunt Iudicem favere potenti nocenti, ideoque illi causam ad iudicare aut dimittere, & condemnare pauperem innocentem. Sicut enim in Ecclesiâ macula solis deficietis ab omnibus notatur, sic & macula defectusque iniusti Iudicis, qui est quasi sol iustitiæ, ab omnibus advertitur, & damnatur. Sapientis proinde est, ut dum nimis reveretur & metuit aliquam personam, experiturque se ex hoc metu vel lapsam vel labendum in peccatum aliquod, caveat, ne cum tali persona agat, qui hunc metum ei iniicere solet: hic enim respectus personarum damnatus est Iure divino & humano, quo plus respicitur potens quam pauper, & plus potentia quam innocentia aut iustitia hoc est scandalum, quod alios ad delictum, alios ad sceleris imitationem trahit. Hinc Deus num. 24. dicit ad Moysen, *Tolle cunctos Principes populi, & suspende eos contra solem in patibulis*; ut qui populo fuere duces sceleris, sine exemplum supplicii, & qui publice in sole peccare non erubuerunt, coram sole in verecundia penas luant. *Lib. 13. Genes. c. 3: à Lapide in Eccles. c. 7.*

Audiamus Ecclesiastici c. 3. *Vidi sub sole Iudicii impittatem, & in loco Iustitia iniquitatem*, denotans iniquitatem & impudentiam iniquorum Iudicum; quod etiam *sub sole in conspectu Lucidissimi solis Iustitia Christi Domini*, audeant iniustam pronuntiare sententiam. Concurrunt Isaias c. 58. *Conversum est retrorsum Iudicium, & Iustitia longe stetit, quia corruit in platea veritas, & æquitas non potuit ingredi, & facta est veritas in oblivionem, & qui recessit à malo præda patuit, & vidit Dominus, & malum apparuit in oculis eius, quia non est iudicium.*

Achab, quia impio Benadad, quem bello ceperat, pepercit, vidit à Deo. *Quia dimisisti hominem dignum morte de manu tua, erit anima tua pro anima illius*, Reg. 20.

Saul parcens impio Agag Regi Amalec, inimicam hanc clementiam morre luit, 2. Reg. 15.

Regna non modò à gente ad gentem, sed etiam à familia ad familiam transferuntur propter iniustitiam; omnem enim iniustitiam avertatur Dominus, & adversus iniquos iudicia sua æquissimè exercet: id què etiam metuendum hoc nostro sæculo, quo

*Vista tacet pietas, & virgo cæde madentes*

*Vltima cælestium terras astra reliquit.* Ovid. met. i. Iuv. sat. 6.

O tempora, ô mores? heu quàm sæculo premimur gravi, quo scelera regnant in atrocissimis delictis; proch dolor! tantùm abest ut sanguine suo malefactor luat, ut etiam ære scelestum corpus redimat.

Pravos iudices lex vetus privabat oculis: si hodiè istæc adhiberet severitas, quàm paucos integris oculis reperies?

Et verò cessante executione legis civilis qua multentur, divina vindicta sese exeret: ita sanè est ubi consummata est infelicitas, cum què placet & delectat turpitudine, definit què remedio esse locus, pœnam promeritam Deus exigit.

En Tribum Benjamin florentissimam, an ullam aliam ob causam extirpatam putas, quàm quòd nollent sistere Gibeonitas, qui stuprarent Levitæ conjugem. *Iud. 19.*

An Lacedæmoniorum Rempub. ulla alia re arbitramur concussam, quàm quòd Magistratus connivere maluerunt filiarum Scedasi in Leuctris habitatis stupratoribus suis, quàm ullam ab iis exigere vindictam.

Quid aliud evertit Corinthum, amœnissimam urbem, quàm quòd impunitos dimisissent cives qui Legatos Romanos lotio perfuderant. *Florus lib. 2. c. 16.*

Quid causæ est quòd flammis exusserint Galli urbem Romam? Arunti Hetrusco à Gallo quodam rapitur conjux: raptor impunitus dimittitur. Arunx rei indignitate motus attrahit Gallos in Italiam, unde malorum lerna, cædes civium, & agrorum depopulatio: an non eadem nobis extimescenda: an non terrere debent vestigia?

Totila Rex Gothorum rogatus, ut cuidam stuprum virgini illatum condonaret, respondit, Eiusdem ingenii est, delicto se ob-

Cc

stringere,



stringere, & delictorum supplicia impedire: omnino autem aut hunc poenam dare, aut Gothorum Rempub. interire necesse est: si enim Iudicia non sint æqua, ruit Respubl. eius basis & fundamentum est Iustitia.

Sicut autem metus Iudicem non debet impellere, ut cedat potentibus, ita etiam metus eum non debet cogere, ut cedat turbe populi, magna licet sit vis vulgi conglomerationis, tumultuantis & furentis: nec etiam se debet in populum tumultuantem & peccantem se immittere ne ab eo velut à torrente rabido in scelus abripiatur: sed potius secedere, donec tumultus cessaverit. aut enim servit humiliter, aut superbè dominatur populus, aut nimis colit, aut nimium odit: medium nescit, libertatem amat, quæ media nec spernere modicè nec habere scit: magnumque vitium ei est, quod Magistratui suo, incommoda & adversa quæ in Repub. accidunt, imputet & adscribat: ideoque *Plutarchus* dicit, omni populo inest malignum quiddam, & querulum in imperantes. & *Seneca*, *Quamvis id agas ut nequis merito te oderit, erunt tamen semper qui oderint*: aded ut idem *Plutarchus* in *Apoph.* rectè dixerit, *Regum esse audire malè cum facias bene*: est quippe multitudinis commune hoc vitium, quod magnos ac præstantes viros invidia plerumque prosequatur, ignavos autem ac timidos dignitate ac gloria afficiant: adeoque quantum potentiz unicuique accedit, tantum in eum invidiæ crescit, ita ut virtutis & gloriæ comes perpetuus sit invidia, calumnia, odium, & livor.

Multos quoque sustinebit furor popularis: affectus enim ejus instar auræ vertuntur, & ex amore in odium convertuntur, & qui nimis auræ populari fidunt raro feliciter diem claudunt: varium enim nimis est mobile & inconstans vulgus, atque in bene meritos ingratum, pro beneficiis maleficia reponens.

Nota est *Pasimiani & Mariani I. C. cædes*, *Vlpiani* remorio, *Cominai* incarcerationio, *Columbi* vincula & contemptus: extant quoque exempla *Aristidis*, *Simonis*, *Phocionis*, *Scipionis*, *Themistoclis*, *Miltiadis*, & aliorum virorum præstantium, qui postquam aliquamdiu populo placuerunt, imò justissime vixerunt, tamen

vel

vel exilio vel supplicio postea sunt affecti.

Etenim non est consilium in vulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia; ideoque varix populi voces non sunt audiendæ illi, cui regendus, non sequendus populus est commissus. *L. de-turrio C. de pæn. l. 3. C. qui manumitt. non poss. Artbus. in polit.*

Porro Iudex etiam odio vel inimicitia seduci non debet, aut injurias vindicare, sed & scommata quandoque patienter tolerare, ac imperitorum convitia æquo fortique animo audienda illi sunt; & ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus.

Ut enim dum quis te pauperem, ut divitem appellaret laudaretque, nihil ad te illæ laudes, sed potius in risum verterentur: ita si quis falsò tibi calumniatur, nihil ad te. Quòd si te conscientia reprehendit, nulla verba perturbent; sed vitam emenda: hoc in veris reprehensionibus duco. *S. Chrysost. hom. 82. in Joan.*

Scommata quippe & convitia per se nullam vim habere debent. Etenim si ad animum solidum, & sibi constantem applicantur, intereunt; sin ad illiberalem & abjectum, possunt aliquid, & sæpè non solum in dolores, verum etiam in mortem conjiciunt.

Argumento sint illa: Socrates cum in comœdia taxaretur, ridebat: Poliagrus verò seipsum strangulabat. *Ablian. Var. hist.*

Vis nunquam esse tristis, *bene vive*: bona vita semper gaudium habet; conscientia reorum semper in pœna est. *S. Bern. de Int. Dom.*

Si aliqui de nobis vel malè fingendo, vel malè credendo famam nostram decolorare conantur, adsit conscientix solatium, quod merces nostra magna est in cœlis, etiam cum dicunt homines multa mala de nobis, piè tamen justèque viventibus. *S. August. de bono viduit.*

Neque etiam qui audit, sed qui facit convitium miser est, & cum nocentes innocentibus injuriam faciunt, illi patiuntur injuriam, qui facere se credunt.

Deinde hoc dilemmate Iudex moveri debet, ut fortiter perferat calumnias ac iniurias, nec de illis vindictam sumat: Inimicus tuus vel est *Justus*, vel *Iniustus*. Si *Justus*, tu certè iniustus es, quod

ẽum habeas inimicum, qui Deo Maximè est amicus. Si verd̄ *iniustus* est, tu non minùs iniustus es, qui iniustitiam eius tua malitia punis: quia Iudex es in propria causa, & prævenis iustitiam Dei, qui si vellet puniret.

Præterea vel *Puer est* (ô Iudex) qui te iniuriavit! nescit is an peccet. Mulier est! errat. Læsus est, non est iniuria, pati quod prior ipse feceris: Rex est, si nocentem, punit cæde Iustitiæ; si innocentem, cæde fortunæ. bonus vir est qui iniuriam fecit? noli credere. malus est? noli mirari, dabit pœnas alteri quas debet tibi, & jam sibi dedit, quia peccavit. *Seneca l. 2. de Ira. c. 3.*

Admirandus hic Epictetus dicens, *si quis indicaverit aliquem tibi malè dicere: ne refusa qua dicta sunt, sed responde eum nescisse cætera tua vitia, nam alioqui illa non sola fuisse dicturum.* Put. in *Bivio vitæ hum.*

Malis displicere, laudari est, & si vis beatus esse cogita hoc primum, *Contemnere & contemni.* Senec.

Vnde non est Iudici curandum, quid de te homunculi, sed quid viri, neque tantùm quid viri, sed quid veritas ipsa loquitur: si quid obiicitur falsi, contemne veritati confisus; si quid veri, ad emendationem tuam adversarii convitiis utere: ulcisci cogitas? cave moneo diligenter, nam si ulcisci tentaveris, secundam ac tertiam patieris iniuriam, ac studio perdendi alterius ipse te perdes.

Apes minima iniuria laceffitæ, pungunt, vitamquæ pungendo relinquunt: inimicus tuus non ob aliam causam tibi detrahit, nisi ut palam vituperandus appareas atque animo perturberis: si moveris & ipse in maledicta prorumpis, habet ille adversum te totum, quod mente petebat, nam te malum iam reddidit & maledicum.

Divinius multò nos *Christus vita magister* nos instituit, præcipiens ut benedicta quidem maledictis, benefacta verd̄ malefactis libentissimè redderemus.

Ita enim Paulus. Ad Rom. 12. *Nulli malum pro bono reddentes, non vosmetipso defendentes: date locum iræ; scriptum est enim, mihi vindicta & ego retribuam dicit Dominus, noli vinci à malo, sed vince in bono malum.*

Mala

Mala etenim injuriantem, necessario sua menent: nihil relinquit vel fortuna intactum vel fortuna illæsum, vel *Deus* inultum, & unusquisque indulgentiam à Deo accipit, qualem fecerit proximo. <sup>b</sup>

Porro ad lenitatem pertinet ut non sit tenax offensionum & injuriarum sibi illatarum: sic *David* ultio obtulit tribulibus suis reconciliationē, nec cum eis expostulat ob defectionem; nihil enim est quod Magistratum magis commendat quàm clementia & moderatio iræ. & injuriarum illatarum amnistia, quibus infatuatur quasi populus: est enim proprium Magistratus placidum & tranquillum, atque iniurias & offensiones superne dispicere ut ait *Seneca*; nam magnam fortunâ magnus animus decet, & talium contemptor, nihilque aptius ad tuendam & firmandam Remp. quàm diligi, nec magis alienum quàm timeri: *Quem enim metuumus odierunt.*

Documentum præclarissimum oblivionis injuriarum nobis exhibet *Theodosius Imp.* qui se adeò mitem erga omnes ostendit, ut etiam majestatis reos à legum acerbitate exemerit, juxta textum constitutionis ejusdem Imperatoris in L. unica. C. si quis Imp. maled. cujus verba sunt. *Si quis modestia nescius ita pudoris ignarus improbo petulantique maledicto nomina nostra crediderit laceßenda, ac temulentia turbulentus detrectator temporum nostrorum fuerit, eum pena nolumus subiugari, neque durum aliquid vel asperum volumus sustinere: quoniam si id ex levitate processerit, contemnendum est; si ex insania, miseratione dignissimum; si ab iniuria, remittendum.*

*Proximè Deo propinquat qui utitur clementia.*

*Clementia una homines facit pares Deo.*

Sagittariis de sagittandi peritia concertantibus, factum, ut *Rudolphus Austriacus* animi gratia ad eos properaret, dumque aliquanti spatio à certaminis loco abest, sagitta ab imperito emissa fauciat; cumque è vulnere decumbenti suaderet quidam; illi sagittario dexteram amputandam: *Bene*, inquit, *istud & provide priusquam me laßisset: sed quid nunc emolumenti exinde consequar?* ac sagittarium è custodia liberum dimisit. *Pogg. florent.*

*Lu-*

<sup>a</sup> *Marsilius Episc.* lib. 3. & 6. <sup>b</sup> *August.* tract. 5. in *Joan.* <sup>c</sup> 2. *Sam.* c. 19. & 12. *Exod.* c. 5. 21. 22.

*Ludovicus XII. Gallia Rex; Lugduni, vivente Carolo VIII. Rege, deprehensus à quibusdam aulicis, multis verborum contramelis vexatus est: Carolo mortuo propter Ludovici ad regnum receptionem turbati aufugerunt; sed ille absentes sua sponte revocavit, pristinaeque restituit dignitati, dicens - Privati personam exui, Rex constitutus hac maledicta non curo, neque ulcisci decrevi. quod quisque maior hoc magis est placabilis.*

Ut in cœno aromata non inveniuntur, ita neque caritatis sua-veolentia in anima injuriarum memori.

*Alphonsus audiens à suis quantum maledictis profcinderetur ab inimicis suis, respondit: In huiusmodi iniuriis non quid dicatur, sed à quo dicatur imprimis animadvertendum.*

*Non quaras ultionem, nec memor eris iniuriæ civium tuorum: Levit. 19.*

*Theodorus Imp. ab amicis rogatus cur neminem eorum, à quibus afficeretur injuria, capitis supplicio damnaret? Vtinam mihi daretur, inquit, & mortuos ad vitam revocare!*

*Dionysius hermocratis filius, postquam Platonem voluerat occidere, & venundari curaverat, scripsit eidem, orans ne in illum maledicta intorqueret, quia in eum peccaverat: ad quem Plato rescripsit: Non tantum sibi à Philosophia superesse ovis, ut Dionysii aut eius malefacti meminisset.*

*Aristides Atheniensis Iustus cognominatus, cum multa pro patria gessisset, postremo ob invidiam ab Athenicis in exilium actus, precatus est Deos (non sicut Achilles græcis iratus) ut Atheniensibus quæcumque cuperent, bene fausteque evenirent. Plutar. in eius vita.*

Et tu, O Christiane Iudex, quæris vindicari de adversario tuo, qui tibi forsan injuriam fecit: vide exempla ethnicorum, attende Christum medicum ægritudinis tuæ: propter te pependit in ligno & nondum est vindicatus, & tu vis vindicari? an non vis tantum & talem magistrum imitari? an nescis quod illi qui piè in Christo volunt vivere persecutionem patiuntur, tum maximè Iudices qui officio suo probè fungi volunt? solent enim ab eis etiam Iure correpti

repti magnopere eos odisse, & tanta eius crimina objicere, ut quoquo pacto possint, eis molestiam exhibeant: frangi tamen non debent neque vexationis timor ad inquirenda delicta illos segniores reddere, multo minus officium deserere, & propter malorum opprobrium quieti se tradere.

*Aude animo invidiam contemnere: non nocet illi*

*Quem petit; auctori sed nocet illa suo.*

Qui maximarum rerum gratia suscipit invidiam, is rectè sibi consulit; odium enim non diu durat, sed & præsens splendor & gloria in posterum perpetuo celebranda relinquuntur. Humiliter de se loquendo *Themistocles* aiebat *se nihil adhuc laude dignum præstitisse, quod nullus sibi invideret*; insinuans invidiam non æstimandam ex quo non nisi à malis inferatur bonis & laudabilibus factis.

*Nobile vincendi genus est, patientia vicit*

*Qui patitur: si vis vincere, discite pati.*

*Iustum & tenacem propositi virum*

*Non civium ardor prava iubentium,*

*Non vulgus instantis tyranni*

*Mente quatit solida.*

Proinde ante iudicium para Iustitiam tibi, *Eccles. 18.* Qui hac doctrina animum obfirmaverit, ut ab honesto justoque discedendum sibi non putet, ob opes, paupertatem, honores, exiliùm, mortem: *Iam contempsit omnes qui mortem prius, iam impavidum ferient ruina.* Magnæ constantiæ & fortitudinis vox *Gregorii septimi* iam morientis, qui *Henricum Imperatorem* deposuit. *Dilexi Iustitiam & odiavi iniquitatem, propterea morior in exilio.* *Otto Frising* lib. 6. c. 36. *Zyp.* lib. 1. c. 12.

Mors quippè ante appetenda est Iudici, quàm iniustitia committenda: pro hac agoniza, ô Iudex, pro anima tua, & usque ad mortem certa pro iustitia, & Deus pro te expugnabit inimicos tuos. *Eccles. c. 4.*

Si vis major accesserit, si Principis vel superioris alicujus imperia in rem iniustam, in innocentis oppressionem: *Achab cogita & Iezabel*: dices durum est spoliari honoribus ni parueris regi aut

poten-

potentiori! Durius æternis ni parueris Deo. at grave est excidere Principis gratia! non gravius magni Dei, à cuius nutu regna & imperia pendent? non accrescent tibi dignitates à Principe; accrescet à Deo in æternaturo regno: inglorius interim vivis? in magna gloria est qui placet Deo: & quæ volatica hæc gloria, ad cælorum æternam? Ludibrium eris omnium, & ingens populi fabula? ne time ludibria hominum, time Dei; illa cum vita finiuntur, hæc æterna sunt. Parabis inimicos? non metuas homines si Deum habeas amicum: Sævum etiam ac crudelem forte Principem patieris? benignum contra & clementem Deum, facilemque in preces, fortem in tutelam. Nunc vide cuius potiores partes sint, cuius præmia magis vovenda, cuius minæ & indignationes magis extimescendæ? potentis, an Dei? *Sribani polit. lib. 2. c. 9.*

Neque etiam moveri debet Iudex, si ob justitiam ei obgannatur, opprobria, convicia, libelli etiam famosi de eo spargantur; etenim à detractoribus nemo liber, nemo his caruit.

*Cato* Prinçeps Porciæ gentis, Senator optimus, quater & quadragies causam dixit, diversis odiorum simultatibus semper absolutus.

Cùm verò nihil inopinatum accidit cogitanti omnia evenire posse, frequenti meditatione firmabit animum *Judex fortis*, & dicet æmulam magnorum esse detractionem: quo fiet ut nihil de firmæ mentis statione excutiat; præcogitati enim mali mollis sensus est. Nullus erit si amaverit etiam malum, & tanquam bene merendi materiam expectaverit, & exosculatus fuerit hanc messem cælo invehendam, hanc vindemiam dominicis cellis inferendam. Exueris dignitatibus? non exueris. Deo exulas patria? non exulabis cælo: excidis principum gratia? non excides Dei. spoliaris opibus? non exspoliaberis æternis, Ingloriam vitam ducis? nulla talis in cælo est: servire cogeri? famulatus est Christus, & beatus ille qui Deo suo ancillatur. Infami morte miseram vitam signabis? non moritur qui cælo vivit.

Deinde vis vincere, hostem frangere, triumphum de inimico agere, contemne hæc linguarum & calamorum vulnera; nullum illa

illæ lædunt nisi volentem, in solo contemptu certa victoria est. Neque ulla re magis testatam facies innocentiam, quam contemptu & neglectu, ut dictum verè sit *Spreta exolefunt*; si irascere, agnita vindentur; nec convitium ullum majus est quam neglectu indignum ostendere cui respondeatur.

Sed dices quis non exacerbescat, cum viderit virtutum nitorem à calumniatoribus fordidari? falleris, decoratur. At durum est tot pungentibus linguis tanquam hamis optimos quosque inuncari? erras nemo capitur, nisi qui ultro se induit vinculis. Grave est viros magnos luce dignissimos densa linguarum nebula obductos, cum tenebris colluctari: quin imo delationibus in lucem & diem proferuntur, qui insepulti noctibus jacebant.

Et quid denique queri potes de calumnia, cum majora te cœlo maneant præmia, quid de injuria, quam centupla æterna fornicatione compensat Deus, aut si renuntias luctæ, num renuntiare vis præmio? nam quæ hæc justitia esset, quæ verecundia, præmia sperare, laborem repellere? nonne à primordio innocentia patitur?

*Multorum innocentia & virtus lateret nisi accepissent iniuriam illustrat nimirum fortuna plurimos dum vexat.* Scrib. polit. lib. 2. c. 17. *Adversa res domant & docent, quid opus sit factis; secunda res adversum trudere solent à rectè consulendo & iudicando.* Cato.

Et quid est quod ab illo expectes qui semper fortunam faventem nunquam novercantem sensit, nisi mollia lenia & parum sana? unde Seneca, *Quorum inquit anni per calamitates transierunt, gravissima quæque forti & immobili constantia perferunt.* Vnum habet infelicitas boni, quod quos sæpè vexat novissimè indurat. *Consol. ad Helviam.*

Sed in Iudicium fortium numero locum habere nolim, qui fortitudinem suam contra Iustitiam applicant, & per impressionem alteri parti æquiores justo imperio & terrore in alteram utuntur, ac jurisdictione violentâ territant. Tales sunt, qui omnia violentis latèque extensis manibus agere contendunt, atque iis ita confidunt, ac si cœlum ipsum, hoc est, divinam mentis nostræ



motionem, in qua ratio dominatur, convellere nitantur; adeo, *Ut in fortitudine manuum omne Ius & potestatem velint esse constitutam.* Cùm tamen omnis potestas, omne iudicium rationis terminis sit metiendum, quæ non tantùm in privatis hominum actionibus, sed & in omnibus quoque iudicium consiliis, iussis, & factis Imperium habere debet. Recta enim ratio numquam ab actione cuiuspiam, qualis qualis sit, se jungi potest, ut non statim in vitium labatur, &c.

*Iustitia* non in templo *Martis* opes & fortitudinem, sed in delubro *Pacis* asservat: aramque suam habet præcipuam, asylumque in templo *Iani* clauso.

Qui igitur à ratione ad violentiam discedunt, dicuntur *Ius in lege manuum habere*, & vi ac violentiâ Iura dicunt; illuc à Iuris via & æquitate labuntur, ut audeant ostendere non rationem, nec jus aut æquitatem sequi, sed libidinem suam, & animi perturbationes, irâ & dolore ac aliis morbis à recto se abripi sinentes, & prætextu iustitiæ superiorum *manibus* abutuntur, eas longè lateque, tamquam harpagonas extendentes, ad ea, quæ velint domum suam convertenda atque rapienda: jam non amplius *Iudices*, sed *gigantes* nominari merentur, eò quòd fortitudinem & potentiam suam *Non Jure ac ratione, sed manibus suis dimetiantur.*

Nunquid apud tales littera V, quæ deberet esse muta, fit vocalis, & ex illa, primum capiente locum, nomen IVS, fit VIS, sed hæc reiicienda, & numquam omnino in negotiis privatorum, vel luitio militaris, vel executio debet tribui, <sup>a</sup> aut per apparitores cuiusque ut refert textus l. *Per Illyricum* <sup>b</sup> ad huiusmodi ministeriorum obsequia non illi, qui vano militiæ nomine immania lucra sectentur, sed qui necessitatem officii sollicitudinibus exequantur. Quod etiam confirmat Tiberius, qui censuit non utendum imperio aut militibus, ubi legibus agi potest: quippe militaris executio, & fere hostilis esse videtur, & præter cetera incommoda, plerumque hæc involvit, ut unus pro altero, aut cum altero, cùm ad eum non spectet, suat: *Iubet* etenim Iustinianus <sup>c</sup> *Prvinciarum Iudices omnia secundum Leges vindicare, & peccantes tenere & non alios pro aliis.*

Etenim

<sup>a</sup> L. 1. de off. milit. Jud. <sup>b</sup> C. de cohortal. lib. 12. <sup>c</sup> Auth. ut multi Jud. liceat.

Etiam *• Iustia*. iubet Iudicibus devotis paternè se exhibere; deinde subjectos reservare undique sine violentia, nihil ab ullo eorum percipientes; sed æqui sint in iudiciis, æqui in publicis disciplinis, *Exequentes quoque delicta, innoxios quidem undique custodientes*, reus autem pœnam imponentes secundum Legem, & ita præfidentes collatoribus; tanquam patres filiis; diligentes quidem eos, qui sunt innocentes, qui verò rei monstrantur castigantes; aut punientes, omnemque iustitiam in publicis & privatis documentis eis servantes. *Zyp. de Jud. lib. 3. c. 23.*

Odia quoque simultateque privatas Iudex publico incommodon vindicabit, seponet, aut Iustitiæ se adiunget.

Agésilas quodam tempore rogatus, utra virtus esset præstantior, *Fortitudo*, an *Iustitia*? graviter respondit, *Fortitudinis nullum esse usum, nisi adsit Iustitia*; quòd si omnes essent iusti, nihil opus fore fortitudine: En animum summo dignum Iudice & duce, qui nihil vi præter æquum iudicârit faciendum. *Erasm. Apoph. lib. 1. n. 6.*

Tales Iudices, litigantes colunt quidem ut divos quosdam, sed maleficos, & à quibus non modò non tam auxilium aut adiutamentum aliquod precari, quam noxam deprecari moris est. *Bud.*

Cùm autem non sit *Potestas nisi à Deo, non haberes potestatem adversus me ullam, nisi tibi datum esset desuper. Joan. 19.* grave Iudicium est peccatum, si potestate sibi à Deo traditâ defendendi iustitiam abutantur, ad illam offendendam. Est enim scelestissima eorum ingratitude, quâ nequior excogitari nequit, si nedum qui beneficia accepit, ea non agnoscat aut fateatur, à benefactoribus procedere, nec gratiam rependant: sed insuper si & ipsis beneficiis utatur ad Largitori nocendum, si eo quod tibi in manus tradidit, eo tu illi damnum inferas. Si quis tantâ esset malitiâ, ut te illi centum aureos donante, quibus suæ consuleret egestati, eos ipsos emendo sclopeto insumeret, quo tibi vitam adimat; & te illi gladium præbente, quo se ab invasore tueretur, illum in te retorqueret, teque transfersum confoderet: nonne maximam illius inauditamque ingratitude ac nequitiam abominareris? Et hæc est *Perversorum*.

*forum Iudicum iniustitia*, qui contra *Iustitiam* insurgunt iisdem donis & potestate, quâ ipsâ eos decoravit. *Lanuxa*.

*Concupiscentia spadonis de virginabit iuvenulam, sic qui facit per vim iudicium iniquum. Ecclesi. 20. c.*

*Iustitiam* veteres pingebant quasi virginem, cuius tutela commissa est *Iudicibus*, sicut *spadonibus* & eunuchis est custodia virginis, ut eam integram & illibatam conservent. Quare quàm indignum contraque omne ius & fas est, à spadone inferri vim virgini sibi commissæ; tam indignum & infame nefas est, à Iudice inferri vim *Iustitiæ* sibi concreditæ, ut nocentes absolvant, innocentes damnent ac plectant. *Lapide d. loco*.

Heu quam multæ sub prætextu potestatis ac *Iustitiæ*, fiunt à potentibus & eorum ministris extorsiones, de quibus nemo conqueri audet, quia non habet tribunal, in quo de iis queri subditi possent & ius suum repetere. unde meritò lamentatur *Habacuc*, c. 1.

*Lacerata est lex, & non pervenit usque ad finem iudicium, quia tempus prævalet adversus iustum, propterea egreditur iudicium perversum. Et Ecclesiastes c. 4. Verti me ad alia & vidi calumnias, quæ sub cælo geruntur, & lachrymas innocentium, & neminem consolatorem, nec posse resistere eorum violentiæ; cunctorum auxilio destitutos, & laudavi magis mortuos quàm viventes, & feliciorum utroque iudicavi, qui necdum natus est, nec vidit mala quæ sub cælo fiunt.*

Imò & dum fiunt querelæ apud superiores, ipsimet sunt, qui dum deberent tueri suos, & consolari, in eorum gaudent oppressione, videturque quod prosperum ac felix scelus, virtus vocetur.

Christiani, ad *Iulianum* apostatam, dum graviter nimis à paganis tractari se conquererentur, ipse Imp. impiè respondit: *Æquum est ut mala sustineatis, cum hoc sit præceptum vestri Dei.*

*Agefilæus Ephorus*, cum ipsius suasu actum esset, ut fieret omnium debitorum solutio; iamque tabulis in *Forum Clarium* comportatis, ignis esset iniectus, ac flamma exurgeret ceteris creditoribus mœstis, improbè insultabat, dicens: *Se nunquam clarius lumen, aut ignem vidisse puriorem.*

Extrema impietatis est linea etiam illudere iis quos affixeris. *Plutarch. in laconicis.*

*Vir*

*Vir videas, quid tu iubeas, dum magnus habereis.*

*Provideas, quem despicias, dum laedere quaeris.*

*Et videas, ne forte ruas, dum stare videris.*

*Dat varias fortuna vias, non ergo mireris.*

C A P U T X I.

*De Iudice temperante.*

**Q** Vandoquidem voluptates corrumpunt virtutis indolem, labefactant ingenium, consilium eripiunt, & contemptum pariunt ei, qui irretitur, nihil agere mente, nihil ratione, nihil cogitatione consequi potest. Atque in omni negotio, cum id omne quod voluptatem efficit, tum vel maximè vitanda voluptas est, quippe de qua non venimus incorrupti ad *Iudicandum*. Aristor. lib. 2. eth. c. 9.

Est enim ipsa moderatio cupiditatum, rationi obediens. *Cicero lib. 2. ad famil.* & habitus mentis benè compositæ: adeoque componendi, instituendi, ordinandi sunt animi affectus, ad id quod debent, ut in virtutem proficere possint: cum ergo prudenter, modestè, fortiter & justè amor odium instituuntur, in virtutes exurgunt, scilicet prudentiam, fortitudinem, temperantiam & Iustitiam: quippe affectiones nostræ motus animorum sunt; lætitia animi diffusio, tristitia animi contractio, cupiditas animi progressio: diffunderis enim animo cum lætaris, contraheris animo cum molestaris, fugis animo cum metuis, progredieris animo cum appetis: dum inhias habere quod amatur cupiditas est, idem habens eoque fruens lætitia est, fugiens quod ei adversatur timor est, idque cum acciderit sentiens tristitia est: sed in disciplina nostra non tam quaeritur utrum plus animus irascatur, sed quare irascatur; nec utrum sit tristis, sed unde sit tristis; nec utrum timeat, sed quid timeat: irasci enim peccanti ut corrigatur, contristari pro affecto ut libere-

liberetur, timere periclitanti ne pereat, nescio utrum quispiam sana consideratione reprehendat? bonum enim est dolere de malis aliorum, & pia est tristitia, & si dici potest, beata miseria: nunquid enim misericordia est alienæ miseriæ quædam in nostro corde compassio? qua utique si possumus subvenire compellimur, cujus virtus est tanta ut sine illa cæteræ etsi esse possint, prædesse tamen non possunt: quamvis enim aliquis sit castus & sobrius, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur. *S. Leo.*

Servit autem iste motus rationi, quando ita (per Iudicem) præbetur misericordia ut Iustitia conservetur, sive cum indigenti tribuitur, sive cum ignoscitur pœnitenti. *S. Augustin. de Civit. Dei. 9. c. 5. & lib. 14. c. 7. sup. Ioan. c. 5. lib. de Spiritu & Anima. c. 4.*

Idcirco & *Temperantia* in Iudice ac Magistratu requiritur, ut pote quæ omnes affectus, & animi motus ac corporis regit atque moderatur, ut congruant cum lege naturæ & ordine Personarum, Locorum, Temporum.

Ac per *Manjuetudinem* refrænat motum iræ, tendentis in vindictam: per *Modestiam* retinet actus corporales, superflua non requirit, nec nimis exquisita: ac per *Continentiam* reprimit motum voluntatis, commotæ ex impetu passionis, ex qua fit, ut licet homo immoderatus concupiscentias patiatur, voluntas tamen non vincatur.

Sine hac virtute libidinosa feruntur sententiæ, quæ nec certi definitivæque Iuris ratione temperatæ sunt, nec exemplorum vetustatem, nec litterarum fidem, monumentorumque auctoritatem securæ sunt. Quomodo autem dignè alios gubernabit, qui seipsum gubernare sibi que imperare non potest. *Numquid ridiculum foret, custodem custode indigere?* Vnde Solon legem tulit grandissimam, *Ut ebrius Magistratus impune occideretur.* *Bodin. lib. 3. de Republ. c. 5.*

*Apud Athenienses* Princeps ebrius morte mulctatus fuit. *Alex. ab Alex. lib. 3. c. 11.*

*Plato* Magistratibus, donec in honore essent, vinum prohibuit.

*Demades* prandens apud *Phocionem*, cum apparatus admodum tenuem

tenuem videret, *Demior*, inquit, *ô Phocion, te Rempub. administra-*  
*re, cum possis ad ssum prandere modum.* Bis errans, & quòd lucri  
tantùm causâ putaret adeundam Rempub. & quòd luxum proba-  
ret in eo, cui maximè sobrietas convenit.

*Alcmenes* Telecri filius, cum quidam illi obiiceret quod parcè  
frugaliterque viveret, cum facultates amplas possideret, *Decet,*  
*ajebat, cum qui multa possidet, pro ratione, non pro libidine vivere.*  
Erasm. Apoph.

Cum autem ex voluptatibus etiàm ira generatur, & ex volupta-  
tum suppressione sopitus, ab eadem *Judex & Magistratus* se tem-  
perare debet.

Etenim cum irasci, favere, aut odisse cœperunt, agi jam rem  
suam existimant: & sicuti amantes de forma judicare non possunt,  
quia sensum oculorum premit amor; ita omnem inquirendæ ve-  
ritatis rationem Iudex amittit, occupatus æstu, quo fertur, & velut  
rapido flumine obsequitur. *Quintil.*

Et sic dum judicare incipiunt, irascuntur, ipsamque Iudicii sen-  
tentiam in insaniam vertunt, non valentes Iudicii examen plenè  
contueri, quia caligine furoris impediti veritatem videre ne-  
queunt. Qui autem à repulso furore temperatus discutit, facilis  
ad contuendam veritatem mentis serenitate & temperantiâ con-  
furgit, & sine ulla perturbatione ad æquitatis intelligentiam per-  
venit. *Destruct. vitior.*

Vnde Eccles. c. 19. *Et est Iudicium, quod non probatur esse bonum,*  
quia scilicet ex ira præcipitatum, ideoque pervertit Iudicium, fa-  
citque, ut non sit bonum, sincerum & verum, sed malum, turbi-  
dum ac falsum: per illam enim quasi per nubem atram, res appa-  
ret & cernitur atra, obscura & tetra. Quare in ira silendum est, &  
omittenda correctio, differendumque judicium, donec calor de-  
ferveat, redeatque mentis pax & serenitas, indeque veritas, ve-  
rumque de Rebus Iudicium. Quare qui in ira tacet, prudens est.  
*Alapide in Eccles. c. 19.*

Quæcumque enim ira commoti faciunt homines, ea necessum  
est cæca sint & imprudentia & omnino errata. Non enim fieri  
potest

potest, ut concitatus ira, ratione utatur: omne autem quod sine ratione fit, inartificiofum ac perversum est. *Stob. de ira.*

*Omnia qua iratus agit*

*Errata postmodum intelliges. Minand.*

Et quamvis iram vincere tum magna res videatur, tum revera sit; majus tamen est cavere & providere ne in iram incidas: hoc enim imprimis est opus naturæ ut cohibeat & moderetur imaginationis impetum, ad decoris & utilitatis regulam.

Caium Figulum mansuetissimum, pacato Iuris Civilis iudicio celeberrimum, prudentiæ moderationisque immemorem iræ stimuli reddiderunt: Consularis enim repulsæ dolore accensus; eò quidem magis, quod illum bis patri suo datum meminerat, cum ad eum postero comitiorum die multi consulendi causa venissent; omnes dimisit, præfatus, *Omnes consulere scitis, sed consules facere nescitis.* Val. lib. 9. c. 3.

Plato iratus olim in famulum, assistente Xenocrate: *Accipe dixit & hunc flagris affice; ego enim irascor.*

Cum Archita Tarentinus contra servum suum iratus esset, ait: *Infelix, iam supplicium de te sumerem si iratus non essem.* Nemo igitur iratus debet sententiam dare.

Neque etiam præcipiranda est sententia, aut mox ex ira quadam exequenda: unde Imperatores, si vindicari in aliquos severius iussissent, noluerunt statim eos aut subire poenam aut accipere sententiam, sed per dies triginta super statu eorum sortem & fortunam suspensam esse; facile enim festinatione cæca, improvida sævitia pro severitate recipitur, ira enim sæpè etiam innocentes in crimen abducit <sup>b</sup> & Apostolus *Date locum iræ.*

Rectè igitur vetatur Iudex excandescere adversus eos etiam quos malos putat <sup>c</sup> *Et summopere præcavere debet ut in distandis sententiis nullatenus levitate aut favore ductus sit præceptis.*

Audiat ergo litigantes, disceptationique det locum, & demum post magnum utrarumque rationum conflictum sententia decernatur, non ab irato animo profecta, sed Deo & Iustitia consulta, ut Moyses in tabernaculum ingredi solebat, antequam iudicium profer-

<sup>a</sup> L. 50. C. de pœnis. <sup>b</sup> c. cum apud. 11. q. 3. <sup>c</sup> Lib. 19. ff. de Off. Præsid.

proferret? quid enim minus cum Iustitia convenire potest, quam animus ira vindictæ cupida perturbatus, & furore rationis experte agitatus? nã ille tremebundus & saltitans justitiæ bilancem & pondera in æquilibrio non suspendet. Iudicet ergo inquit S. *Ambrosius* ille qui ad pronuntiandum nullo odio, nulla offensione, nulla levitate ducitur. <sup>b</sup>

Vt fumus oculos mordicans non finit vel id quod ante pedes est videre: sic ira exurgens obtenebrat rationem. Est ira sui impotens, decoris oblita, necessitudinum immemor, in quod cœpit pertinax & intentæ, rationi consiliisque præclusa, ad conspectum æqui verique inhabilis, ruinis similis, quæ super id, quod oppressere, franguntur: absit proinde longissimè ab ira, & quæ illam consequitur vindictæ cupiditate, qui quis rectè præesse voluerit; neque admittat ut per eam à recto unquam abducatur.

Assuerus iratus quamvis, & nimio furore succensus, quod eius jussa Vasthi regina contempserat nihil mox in eam statuit, sed interrogavit (inquit Codex sacer) Sapientes qui ex more regio semper aderant, & illorum faciebat cuncta cõsilio, leges scientium ac jura majorum, cui sententiæ Vasthi regina subjaceret. <sup>c</sup>

Vir Iracundus provocat rixas, qui patiens est mitigat suscitatas. <sup>d</sup>  
Ira patri luctum, marito divortium attulit, Magistratui odium, Candidato repulsam: neque illud quidem Iudicandum est, aliquid iram ad animi magnitudinem conferre; non est enim magnitudo; tumor est, tantumque abest à magnitudine quantum à fortitudine audacia, à fiducia insolentia, à severitate crudelitas. <sup>e</sup>

Proinde Iudex temperatus debet cum mansuetudine partes audire, memor quod ipse Deus fortis & patiens, suscipit mansuetos in Iudicio. <sup>f</sup> illisque dat gratiam. <sup>g</sup> Iudices quoque mansuetos in Iudicio dirigit qui & ipse mitis est & humilis corde, <sup>h</sup> ac tandem in salutem mansuetos exaltat. <sup>i</sup> adeoque patientia iræ inimica ex virtutibus maxime necessaria est iudici, veritatem enim inquirere semper debet, quæ temporis filia est, iræ furorisque præcipitiis incognita. Plurimum interest, ait D. Augustinus, quo animo &

Ee quo

<sup>a</sup> c Summopere ca Zyp. lib. 1. c. 17. <sup>b</sup> Idem Zyp. d l c 23. <sup>c</sup> Esther 1. <sup>d</sup> Prov 15. <sup>e</sup> Senec. lib. 1. de Ira, c. 19. <sup>f</sup> Psal. 142. <sup>g</sup> Prov. 3. <sup>h</sup> Matth. 11. <sup>i</sup> Zyp. lib. 1. c. 12.



quo tempore parcas, aut judices: sicut enim aliquando est misericordia puniens, ita & crudelitas parcens.

Per Iracundiam igitur poenae non sunt decernendae: in hac sub initia Imperii dum latis praecipiens Augustus Caesar à Mecenate, intimo ejus consiliario admonitus fuit: cum enim eo praesente Augustus sedens pro tribunali multos esset morte damnaturus, id ipsum forte praevidens Maecenas, haec verba in tabella cum per circumstantium coronam ad ipsum irrumperere ac proximè adfistere nequirit, scripsit, Surge tandem carnifex, eamque tabellam quasi aliquid aliud indicantem, in sinum Augusti projecit, qua lecta is statim sutrexit nemine morte multato: neque verò res hujusmodi stomachum Caesaris movit, sed impensius gavisus est, tam salubriter amici libertate corrigi. *Etiamsi ingeratur ait Seneca, oculis veritas, attamen ira amat & tuetur errorem; corrigi non vult, & in malè ceptis honestior illi pertinacia videtur quam penitentia.* Lib. i. de Ira.

Hoc ipsum idem Philosophus probat notabili *Gn. Pisonis* exemplo, qui cum iratus ad supplicium duci jussisset militem, quoddam ex comitatu sine commilitone redierat, quasi eum interfecisset, morae impatiens, & omnis humanitatis oblitus, ocyus rapi & duci jubet: verum misero cervicem jam portigenti, apparet Commilito quem occisum credebat *Piso: Centurio*, qui supplicio praepositus erat condere gladium spiculatorem jubet, reducitque damnatum ad Pisonem. Ingenti concursu deducuntur complexi alter alterum, cum magno gaudio castrorum, commilitones. Conscendit Tribunal furens *Piso*, & jubet duci utrumque, & eum militem qui non extinctus erat à spiculatore, & eum qui non perierat: quid hoc indignius? quia unus innocens apparuerat, duo peribant. *Piso* (nefandum dictu!) adjecit & tertium, nam ipsum *Centurionem*, qui damnatum reducerat, duci etiam jussit: constituti sunt in eodem illo loco perituri tres ob unius innocentiam.

O quam solers est iracundia ad fingendas causas furoris! *Te*, inquit, duci iubeo quia damnatus es: te, quia causa damnationis commilitoni fuisti: te, quia iussus occidere, Imperatori non paravisti. *Seneca d. cap. & Chock. lib. 3. c. 17.*

Cunctator esse debet qui iudicat de salute, & in iudicando criminosa est celeritas. *P. Syrus.*

Theodosius Imperator postquam periculo suo didicisset, quàm damnosæ essent præcipites pœnz, legem (suasore D. Ambrosio) tulit, ne quis Princeps ultimo affici supplicio juberet, ante trigessimum diem à sententia lata. Et Senatus consulto Tiberiano cautum est, ut pœna damnatorum in decimum semper diem differretur. *Suet. in Tib.*

*Differ, habent parva commoda magna mora. Ovid. 3. pastor.*

*Da tempus ac spatium tibi.*

*Quod ratio nequit sæpè sanavit mora. Senec.*

Appositè D. Gregorius, Quoties animum ira invadit, mentem edoma, vince te ipsum, differ tempus furoris; cum tranquilla mēs fuerit, fac quod placet. *Lib. 5. Moralium.*

Cùm autem & invidia horrendum sit crimen ab omni charitate & humanitate remotum, nil magis tùm Christiano hominè Indici cavendum est, ab eaque temperandum.

Invidiâ Diaboli mors introivit in orbem terrarum: imitantur ergo illum qui sunt ex parte illius. *Sap: c, 2.*

Pessimum hoc esse & deterrimum vitium fabula sequens demonstrat. Volens explorare sensus hominum Iuppiter misit Apollinem in terras, qui voluntates humanas recognosceret: hic primùm incidit in avarum, & alterum invidum, quibuscum collocutus, copiam illis fecit petendi quod vellent, id enim quod uterque petiisset ratum se habiturum ea lege, quod sibi unus petiisset, præstaretur alteri duplum: nullo igitur pacto induci potuit avarus ut quippiam sibi peteret: at *invidus* crui unum oculum sibi petiit, ut avarus ambos amitteret. Ecce quàm detestabile vitium *Invidia.*

Latè patet *Invidia* multiplex & fœcunda pernicies: radix est omnium malorum, fons cladum, seminarium delictorum, materia culparum. Ambitionem excitat, dum cernit alium in honoribus altiorem, zelo excæcante sensus nostros, ac in ditionem suam mentis arcana redigente. Dei timor spernitur, exacerbatur

szvitia, perfidia pravaricatur, impatientia concutit, furis discordia, ira fervercit, nec se potest iam cohibere, nec regere, qui factus est potestatis alienus. Mala cœtera habent terminum, & quodcumque delinquitur, delicti consummatione finitur: *Invidia* terminum non habet; quantoque ille, cui invidetur, successu meliore profecerit, tanto *invidus* in maius incendium livoris ignibus inardescit. Hinc vultus minax, torvus aspectus, pallor in facie, in labiis tremor, stridor in dentibus, verba rabida, effrenata convitia, manus ad cœdis violentiam proraptæ, etiam si gladio interrim vacuæ, odio tamen furiosæ mentis armatæ. *Venenum aspidis sub labiis eorum, & os eorum maledictione & amaritudine plenum est.* Sap. 13. & S. Cypr. ferm. 2. de zelo.

*Qui odit fratrem suum homicida est:* nondum armata manus est; nondum faucem obsedit, nondum insidias præparavit, nondum venena quæ sivit (nondum sententiam pronuntiavit Iudex) & reus in oculis Domini concepto iam odio tenetur; adhuc vivit quem quærit occidere; & occidisse iam Indicatur; quantum enim ad te pertinet, occidisti, quem odisti. *S. August. lib. 50. humil. 42.*

O invidia quæ semper sibi est inimica: nam qui invidet, sibi quidem ignominiam facit, illi autem cui invidet gloriam parit. *S. Chrysost. sup. Matth.*

Vnde benè, Euripides ait, *Invidiam non probo: velim tamen propter bona mihi invideri.*

Rectè invidia refugo comparatur telo: telum, solidi si quid ei se obiicit, retro resilit, nec nocet huic cui minatur; quin & redit & vulnerat ipsum arcitentem.

Solet quoque livor maximam parere partialitatem, & inter omnes animæ passiones facilè plerumque interpretatur ea quæ recto animo fiunt in sinistram partem, semperque partialis excogitat causas & calumniandi materiam, à quibus omnis Iudex debet esse alienus & temperans.

Et quia temperantia in Iudice non debet esse sola à livore aut ira, sed & ab aliis libidinosis animi & corporis concupiscentiis; immunitis, ac prout ea virtus Iudicem maxime commendabilem reddit,

reddit, ita è contra intemperantia contemptibilem facit, & sine qua temperantia, prudentia cœca redditur, fortitudo enervis, Iustitia corrupta.

Vnde magnus Alexander summopere commendatur, quod eum virginem pulcherrimam alteri desponsatam cœpisset eam intactam ad virum cum magis muneribus remisit. *Veget. de re militari lib. 2.*

Pericles, Themistoclem collegam, impensius puerum transeuntem laudantem, reprehendit, dicens: Rempublicam administrantem, non solum manus à pecuniz lucro, sed & oculos à libidinoso aspectu continentes habere debere. *Plut. in eius vita.*

Proinde & ab inæqualium personarum illicito aspectu temperare se debent. Ob hoc Iudices Areopagitæ litium controversias non interdum, sed noctu & obscurâ luce dijudicabant, ut procul ab omni affectu, qui animos in diversum agi, se ferre possent Iudicium, Non enim ignorabant, hominis aspectu, vultu, ornatu, gestu, formâ, ita moveri interdum Iudicem, ut à Iustitiæ & æquitatis tramite decedere cogatur. *Alex. ab Alex. lib. 3 c. 5.*

Sæpeque hodie non minùs in foro amores polleat, quàm olim; longè lateque dominans eloquentia poterat.

Tum etiam quia ad movendum nihil periculosius quam mulier, quippe.

*Qua melle mellior*

*Et quo intentior d' nocentior:*

*Qua dum te fovet, sibi favet;*

*Et dum ridet rodit, ac radit,*

*Qua corpus carpit, & aurum haurit.*

*Idque latenter ac lactanter*

*Non virgo, nec virago, sed vorago,*

*Qua viros vorat & amando Mandit.*

*Ebiternus* interrogatus quam ob causam in tragediis induceret mulieres malas, cum *Sophocles* eas induceret bonas? argutissime respondit: *Quoniam ille tales inducit quales esse deberent: ego verò quales sunt.*

Licet

Liceat etiam interrogare cum Puteano ex Hercule Prodicis : *O mulier quod nomen tibi ? illa verò : Amici mei , felicitatem me appellant ; osores pravo iudicio , pravitatem . Prava ipsa est & fallit : infelicitas est , larva est , foedissimam speciem asserititia sive adoptiva pulchritudine abscondit . & cum Xenophonte dicit idem Puteanus , Nutritam molliter , succi plenam , teretemque : si Colorem respicis , eo decore ut albior atque rubicundior appareat , quàm sis : si formam , ut emendatior , quàm natura concessit . Jam oculos petulantes habet : vestem ex qua quàm plurimus lepos coruschet , ipsa se circumspicit , identidem atque animadvertit an aliorum in se oculi convertantur . In vit. hum. bivio .*

Ruminabat toto vitæ suæ tempore insignis ille Cancellarius *Thomas Morus* ut author est Stapleton. quod nulla sit animi pejor affectio, quàm ea de re delectari, quæ nisi peccando obtineri non potest : insinuans munda voluptates noxias, & possessores in peccati servitutem trahere. idem convenienti emblemate expressit *Georg. fabianus*, dum ita canit.

*Cum puer alveolo furatur mella cupido,*

*Furanti digitum cuspide fixit apis.*

*Sic etiam nobis est brevis & peritura voluptas*

*Quam perimus, tristi mixta dolore nocet.*

Et verum est, quod

*Post visum, risum :*

*Post risum, tactum :*

*Post tactum pergis in actum.*

*Post actum, factum.*

*Post factum pœnitet actum.*

Vnde prudenter *Isæus* Sophista, à quodam, qui formosissimam ostendebat mulierem, interrogatus, num formosa videretur ! respondit : *Desi laborare oculis.* Eras. lib. 8. Apop.

Alexander invitatus ut Darii filias inviseret, ( prædicabantur enim puellæ admirabili esse forma ) noluit ire, dicens, *Sibi non committendum, ut cum viros vicisset, à mulieribus vinceretur.*

*Zeno & Cleanthes* affidebant *Cheremonda*, cumque sentiret affectu amoris

amotis, surrexit Zeno. Hoc admirante Cleanthe, etiã à bonis medicis audio, adversus inflationes optimũ esse remedium, quietem; subduxit se vir integerrimus imminenti periculo; est enim omne casuale quod fœmininum est, & ejus societas semper infesta. De carbonibus scintillæ diffiliunt, de ferro rubigo nutritur, morbos aspidēs sibilant, & mulier fundit concupiscentiæ malum, aded ut quantumcumque fuerit unusquisque longius ab adversis, tantũ non sentit adversa: & minus voluptatibus stimulat, ubi non est frequentia voluptatum. *S. August. & Cyp. de sing. Cleric.*

*Pbryne* meretrix hospitiensis, dum condemnationem *Judicium* veteretur, sublati tunicis, corpus denudavit, cujus pulchritudine permoti *Judices* liberam abire permiserunt. *Quintilianus & Pausanias lib. 1.*

Philippus macedo Rex cũ consulisset oraculum quomodo posset senex fieri? responsum accepit: *Vita quadrigas*. quo audito primũ edixit ne ullus in regno suo quadrigis uteretur: deinde cũ montem audivisset esse, nomine *Quadrigam*, eam effodit & evertit. sed Pansias in capulo gladii, quo eum occidit, quadrigam habuit cœlatam. dicit autem Becherus in breviario suo bipartito, P. 2. c. 7. q. 2. Si vis ad maturitatem pervenire, *vita quadrigas*. Venus quippe juxta Poëtarum opiniones quatuor Cygnis vehitur & secupdũ Bernard. luxuriæ currus *Quadriga voluitur vitiorum*. *Ingluvie ventris: inonestate sodalium: mollitie vestium: otii soporisque resolutione.*

Lucani ut aliorum criminum, sic etiam luxuriæ causas agunt: quod si quis homini luxurioso mutuasse aliquid convincatur, privatur mutuo. Incontinens & luxuriosa vita, malis viris propria est; neque tantũ fortis est, qui hostes superat, sed & qui voluptatibus superior est: *Aliqui autem licet civitatibus imperent, mulieribus serviunt*, ac tum in judicio castigant, & sapientiæ atque justitiæ sunt incapaces: ut enim vas fœtidum, quemcumque liquorem infuderis, etiam suavissimum, reddit sua contagione fœtenterem: sic mens incontinens, accepta scientia (& judicii potestate) malitiam parit, non sapientiam nec justitiam; quinimo fama perditur, solius

solius foeminae arbitrio committitur, & vigor ingenii amittitur, atque verum fit, quod, *Vbi sum ibi non sum: ubi non sum, ibi est animus*, cum amantis anima sit in re amata. Purgate ergo, ô Iudices & Magistratus, rationis oculos ab omnibus corporis huius anxii sordibus, avertite mentis aciem ab infimae umbrae materiae: anxie quippe vivunt qui solis serviunt corporis voluptatibus; sed multo anxius qui voluptates infimas cum supremis copulare conantur frustra, nulloque Deus reprobatur magis, quam eos qui sordidis vitiorum vasculis nocturnae & ambrosiam haurire confidunt (aut in iudicando sapientiam consequi existimant) est enim impossibile juxta Platonis Galienum animam sanguine & adipe suffocatae caelestis aliquid cogitare: discite proinde à Pythagora & Platone sapientiam mentis nihil aliud esse, quam summi ipsius boni lumen per animos verè bonos ac temperatos tanquam specula quaedam purissima ubique diffusum; ergo vos Iudices cum primum boni penitus & temporales evaseritis, summi ipsius boni splendore, hoc est sapientia & iustitia resulgebitis; quoscumque autem corpori stultè servire deprehenderitis, sapientes esse negabitis; quos autem noveritis esse sapientes, hos non sui corporis servos, sed Dominos iudicabitis. *Mars. Ficin. ep. lib. 5.*

Filii sapientiae intelligunt, *nec in abstinentia, nec in manducando esse iustitiam, sed in aequanimitate tolerandi inopiam & in temperantia per abundantiam non se corrumpendi atque oportune sumendi, vel non sumendo ea, quorum non usus, sed concupiscentia reprehendenda est.*  
C. 4. dist. 40.

*Prudentiam quippe omnem evertit intemperantia, luxuriosa res est vinum & tumultuosa ebrietas: omnis qui cum eis miscetur non erit sapiens; non tamen excludenda videtur honesta & moderata recreatio, qua ad novos labores animi fiunt agiliores.*

*Laxat voluptas modica animos & temperat.*

*Amasis Aegypti rex ab amicis reprehensus quod perfunctus negotiis forensibus potaret & voluptate solveretur, respondit. Qui arcus habent, eos non intendere nisi cum opus habent, quos se semper intendant, rumpendos esse, ac ne tunc fore usui cum exigat usus: itaque*  
nulla

*nulla relaxatione curas suas solvant, aut mente captos, aut corpore male affectos evadere.* Brusl. lib. 4. c. 28.

— *Nec semper Gnosius arcu*

*Destinat, exempto sed laxat cornua nervo,*

*Et galea miles caput, & laeus ense resolvit.* Lucan. ad pison.

Hoc requiritur ut Iudex Magistratusque quem excordem vecordemque numquam esse licet, numquam secreti proditorem, iudiciorum oblitum, aut iustæ causæ prævaricatorem, numquam hanc cicuram intra fauces admittet, quæ auferat memoriam, dissipet sensum, confundat intentum, faciat de homine bestiam, de prudente fatuum: apagè ista circa pocula, & qui Alexandri poculum sic bibunt ut Æliculapii indulgeant. (Zyp. de Iud. c. 19.) & licet de hoc genere temperantiæ superius in initio huius capituli aliqua intulerimus, nihilominus quia vitium oppositum satis est frequens & aliquibus quotidianum, licebit nonnihil quid ulterius hic adiungere; etenim optimè constituti animi hoc argumentum est, non ad exulandum se natum existimare, neque in eo vitam reponere, sed vivendi tantum gratia, nobis alimenta dari, iudicare: & licet potatio vini & ingestio carniū validum corpus efficiant ac robustum, animum tamen reddunt imbecillum: Deinde continentia & corporis bonum est ad secundam valetudinem ipsam promovens, & in anima temperantiam parit, quæ quidem virtus tranquillam & compositam animæ vitam adornat. *Eusebius.* hæc est recti iudicii tenax, memoriæ recordationisque inseparabilis sapientia, secretorum custos, arcani velamen, lectionum & doctrinæ capax, animabus utilissima & etiam corporibus, unde monet *Epictetus*, prandia & cœnæ sint neque petulantes neque severæ, sed hilares & frugales, ut neque propter corpora mentes perturbentur inescatæ voluptatibus, neque seipsas negligent opum deliciis & morbis corporis afflicta. *Animus cui andus potius quàm corpus.* *Socrates* rogatus quonam à certis hominibus differret: respondit, *Alii quidem vivunt ut edant, ego edo ut vivam.*

*Pyrrhemiculus Vasco*, peregrè iter faciens, cum ad meritoriam tabernam venisset, & apposita esset cœna omni ex parte olitoria,

Ff

cum



cùm vino dilutissimo, omniaque administrarentur quàm parcissimè: finita cœna iussit ad se vocari medicum ad mercedem capiendam: igitur caupo cùm respondisset, Ecquid, malum in viculo agresti medicum requiris? ibi ille, *Num, ò bone, te ipsum ignoras? quo sit igitur merces opera tua par, medici pretium accipe non cauponis*: sensit autem frugalitatem sobrietatemque optimam hominis esse medicinam. *Had. Barlandus.*

*S. Lucas ait, in multis cibis non deerit infirmitas, & qui abstinens est adiiciet vitam. C. 10.*

Proinde sobrietatem quidam dicit *Matrem esse sanitatis*: cùm autem membra animusque nonnunquam sit refocillandus modico etiam vino: cur non licebit dicere, vinum modicum, sanitatis esse *sororem*: sed vereor quod plures sint, qui *sororem*, quàm qui *Matrem* ament & sequantur.

*Plato sæpiùs siti laborans, è puteo hauriebat aquam, iterumque effundebat, ut ita cupiditatem castigaret.*

Percunctanti cuidam, quamobrem Spartiatæ parcissimè biberent, Ne inquit, *Leotychidas*, pro nobis alii, sed nos potius pro aliis consultemus; salissimè notans vinosos non esse ad consultandum idoneos. *Videlicet frugalitas est Magistra sapientium optimorumque consiliorum.*

*Alphonsus* cùm interrogaretur, cur vini expertus viveret, aut vino dilutissimo contentus sitim expleret, contra omnium regum & aulicorum morem? respondit, *Vino sapientiam obscurari, ideoque non decere regem, ut hoc immodica computatione in animo extinguat, sine quo regis nomen ac Imperatoris ritè tueri non posset.* In vita,

*Romulus* legitur vini fuisse parcissimus: is ad cœnam vocatus cùm ibi minimum bibisset, ed quòd postridiè negocium haberet, dicunt illi familiares, *Si ad istum modum bibant omnes homines, vinum esse vilius.* Ille respondet, *Imò verd carius, si quantum quisque volet, bibat; nam ego bibi quantum volui.* *Erasm. lib. 6. Apop.*

*Otho Bambergensium episcopus* numquam ad satietatem comedit in episcopatu panem: cùm aliquando ejus procurator lucinum piscem apposuisset emptum duobus solidis, dixisse fertur: *Absit us*  
*miser*

*miser Oibo solus tot denarios hodie absumat: deser igitur ad quendam agratum, ego enim adhuc firmo corpore me hoc pane reficere possum. Auctor vitæ lib. 1. c. 22.*

*Isidorus Xenodochus: hic cum scopiùs mensæ accumbens in lacrimas resolveretur, quam de causa id faceret rogatus: Pudet me respondit vesci cibo à ratione alieno, cum sum & ratione præditus, & futurus in Paradiso deliciarum, & ambrosii nutrimento satiandus: & eccui non vilescant cibi terreni, si cum æternis illis eos conferat. Palladius in vita.*

Pro hac temperantia impetranda servire posset hymnus aureus Prudentii ante cibum dicendus,

*Da locuples Deus hoc famulis  
Rite precantibus, ut tenui  
Membra cibo recreata levent,  
Neu piger immodicis dapibus  
Viscera iensa gravet stomachus.  
Haustus amarus abest procul,  
Nec libeat tetigisse manu  
Exitiale quid aut vetitum.  
Gustus & ipse modum teneat,  
Sospitet ut iecur incolume.*

*Allobroges autem antequam ad iudicium irent, vini craterem bibebant, vocantes craterem iudicii & veritatis. Fortè ut è fundo veritatem haurirènt: vel ut eloquentiores & audaciores essent: vel quod sicut vinum est dulce & severum; ita iudex esse debeat severus per justitiam, dulcis per clementiam: & sicut vinum æquè regem inebriat atque gregem, sic iudicium debeat esse sine respectu. Sabellicus & Bucherus p. 1. c. 13. q. 1.*

Restat alia adhuc in supellectilis excessu temperantia. *Quinto Tuberoni, cognomine Cato consularum gerenti, cum gens misisset vasa & aurea per Legatos, fictilia se in ejus mēsa vasa vidisse restati sunt, monitos ne continentæ quasi paupertati succurrendum putarent, quos cum suis sarcinis abire iussit. Nunc autem à servis vix potest impetrari ne eam supellectilem fastidiant, quam tunc consul non erubuit. Plin. lib. 77. c. 11.*

An fortè Oremus excitari putent & magis illa iuvare quia plenis emuntur? cùm tamen & Christus in vili catino cibum sumpsit & à Samaritana potum petierit, quæ aquam vase fictili hauriebat & puteo, aurum regale non requirens; scopum enim constituebat usum, non nimiam & inutilem magnificentiam, quæ debet etiam esse accommodata & tempori & personæ. *Valeant ergo, inquit Clemens Alexandrinus, Thexidei calices, Antigonides, canthari labronii & lexasta, & poculorum genera innumerabilia, trulla præterea & pphyleres & cænochoa.* Lib. 2. pædagog. c. 3.

Denique Iudex & Magistratus non tantùm istos excessus epularum quæ luxum & libidinem fugere debet, neque moveri esculentis & poculentis, item fugere quicquid inducit oblivionem sui & rerum agendarum, quidquid obscœnum dictu visum aut auditu; sed & veram continentiam animique moderationem servare, non frui laude per blanditias adulterata, sed stabilita per veritatem & virtutem. vera virtus nihil ad ostentationem, omnia ad conscientiam refert; temporis filia veritas fucos & vela tollit, & cùm ridet fortuna, sæpè in præcordiis venenum gerit, vitrea enim est & cùm splendet frangitur. Cùm inquam omnia prospera ac foeliciter in honore dignitate ac regimine succedere & evenire videntur, si *Temperantia*, si *Iustitia* desint, necesse est ut declinent omnia: atque in plenitudine panis, in rebus prosperis cum Iobi filiis supinè & incautè ludimus.

Quoniam verò huius temporis gloria ridensque fortuna, vana est & fallax, quæ illam ambientes satiare non potest, lubrica etiam & in exitu periculosa; semper sint in ore, sint in mente *Judicum* verba duo: *Respice finem.* aut illa quæ sunt apud Epicetum, qui dicere solebat, duo esse vitia teterrima ac gravissima, *Intolerantiam & incontinentiam*, cum aut iniurias quæ sunt ferendæ non toleramus, neque ferimus; aut à quibus rebus voluptatibusque nos tenere debemus, non tenemus: itaque inquit, si quis hæc duo verba cordi habeat, eaque sibi imperando & observando curet, is pleraque impeccabilis vitamque vivet tranquillam: verba duo hæc sunt: *Sustine. & abstine.* Aul. Gell. lib. 17. c. 19.

Iudex

Iudex ergo & Magistratus sit ratione temperatus, nec actione exultans de se suisque sensibus; & licet rarior apud magnos & felices, cōtemp̄tor animus sit, superbiamque vitet, cōmune pr̄zemi-  
nentiz malum; dignitas enim & opes animos faciunt & feroces ho-  
mines reddunt ac superbos: nihilominus non minus hominē se  
quā̄m hominibus pr̄zesse Iudex cogitet, seipsum noscat & offi-  
cium vocationis suæ, nihil enim tam firmum cui periculum non  
sit ab invalido: ego dixi, *Dii quidem estis*, at certē ut plebeius ho-  
mo morituri estis. Cogitet se aliis proniorem & faciliorem esse  
ad lapsus, vitia, & errores graviores, ob regendi libertatem, irrita-  
menta varia deliciarum ac voluptatum, & quod major ejus est dig-  
nitas, eō periculosiorem & pernitiosorem casum esse posse.

Princeps etiam subditus fieri potest, vel tanquam plebeius aut  
maleficus vitam suam claudere, ut exemplum docet *Craſſi, Ciri,*  
*Solonis* & aliorum; ideoque in dignitate sua Iudex ac Magistratus,  
subditos pro suis fratribus agnoscere debet: & surgens Rex David  
in pedes suos dixit, *Audite me fratres mei & popule mi.* Deuter. c.  
17. Aelth. in polit.

*Tiberius Caesar senatores suos Dominos vocat: dum ait, Et botius  
& aquos & faventes vos habui dominos & adhuc habeo.* Sueton.  
in vita.

De Regis Davidis modestia etiam satis docet Ps. 131. *Domine  
non est exaltatum cor meum: neque elati sunt oculi mei.*

*Ductorem te homines constituerunt, ne extollitor, sed esto eis tanquam  
inans ex eis.*

*Dum tua cymba tibi pacata per aquora fertur,*

*Intenditque tuos aura secunda sinus:*

*Naufragiis eiectis ulirō succurrere disce*

*Per freta iactatis neve negare manum,*

*Ante tuo quā̄m te doceat fortuna periclo*

*Quam tibi sit pariter nec via tuta maris.* Batillus 82.

## CAPUT XII.

*De Iudice prudente & sagaci.*

**Q**uandoquidem in singulis negociis multa veniant in considerationem, sintque circumstantiæ multiplicēs ac penè infinitæ, sine quarum examine sedulo quis rectè judicare nequit, cumque partim bonæ sint partim malæ, æquæ, iniquæ & variis modis commistæ; necessarium est eas prudenter inter se conferre, ut quod singulæ vel solæ cum aliis coniunctæ ponderis habeant cognoscamus; semperque in memoriam oportet revocare, nos numquam rectè iudicaturos, nisi liberè consultoque prius in omnem partem respiciamus, & quid boni malique, Iuris æquæque circumstantiæ singulæ contineant diligenter examinare: Hanc *Prudentiam* Aristoteles diffinit virtutem esse & habitum practicum, quo de bono quis humano secundum rationem facilè consultat: cum autem bonum humanum in reliquis etiam sit virtutibus, & in omnibus rebus conficiendis consilio sit opus, atque is qui malè vivit optimè consultare nequeat; numquam (ut idem inquit & verissimum est) vel sine virtutibus *Prudentia*, vel sine *Prudentia* reliquæ virtutes poterunt esse perfectæ.

Quocirca sicut *Fortitudo* & *Temperantia* Iudicibus & Magistratibus perquam est necessaria, ita etiã *Prudentia* inseparabilis illis comes esse debet: hæc enim, & *Fortitudo*, & *Temperantia* & *Iustitia*, quando perfectæ sunt singulæ, sibi sunt conjunctæ. Disiunctæ autem perfectæ esse nequaquam possunt; quia nec *Prudentia* vera est, quæ iusta, temperans & fortis non est; nec temperantia perfectæ, quæ fortis, iusta & prudens non est; nec fortitudo integra, quæ prudens, fortis & temperans non est. *Ambr. lib. 22. moral.*

Ipsa autem *Prudentia* absque probitate, integritate, bonitate, nullo modo esse potest, nec *Prudens* aliquis nisi maximè integer & bo-

& bonus. Erunt igitur & prudentissimi Iudices, & maximè boni, qui scilicet honesta sequuntur, & iusta rectâ ratione Jureque publicè privatimque utiliter & benè consulunt judicantque.

Non modò autem *Prudentia* virtutes ipsas laudabileisque *Judicum* actiones condit, & tamquam concinnat; sed, quæ maxima ejus commendatio est, id præstat, atque efficit, ut qui cum ipsi videntes per se ut sint, naturâ repugnante, assequi nequeant, *Prudentes* tamen habeantur, ex eò quòd sapientum ac prudentum viròrum consiliis obtemperant, in illorumque admonitionibus cõquiescunt. Quare dici potest

*Beatus homo, qui invenit sapientiam, & qui affluit Prudentia. Melior est acquisitio eius negotiatione auri & argenti, primi & purissimi fructus eius: pretiosior est cunctis opibus; & omnia, quæ desiderantur, huic non valent comparari.* Proverb. 3.

Duo autem sunt, quæ *Prudentiæ* habitum gignunt: quorum alterum est, ut mens disciplina & cognitione sit munita: alterum, spectasse negotia multa; quæ partim ipsummet spectasse oportet, partim alio modo percepisse: Nam neque is, qui mox ab incunabulis, rationibus, disciplinis, ac exquisitis contemplationibus animum excitavit, ad prudentiam sat idoneus est: neque ille, qui tam dictorum quidem nihil consecutus, sed in multis aliis historiis & rebus experiundo versatus est. Prior enim ad singularia perpendenda cæcum habet animum; alter in universalium contemplatione nihil videt.

Atque ut Cyclops exoculatus, manus quoquo versum porrigit, & nullo utitur certo scopo: ita is, cui deest hæc *Prudentia*, quidvis agere dicitur ingenti rerum tumultu, sed nullo judicio. *Plutarch.*

Habet autem *Prudentia* nomen à *Providentiâ*, sicut à principali ejus parte. Hæc veritati testimonium, non amicitia reddit: hæc docet, quomodo præsentia sint ordinanda, præterita cogitanda, & futura sint providenda. Estque prudentis proprium, examinare consilia, & non citò fallaci credulitate ad falsa prolabi, de dubiis non definire, sed suspensam tenere sententiam, donec & quo-

& quousque &c. Antequam aggrediatur aliquis, & postquam est aggressus, diu multumque & simul omnia considerare, prudenterque prospicere, ac nunc cunctari, nunc festinare, nunc insistere, introrsus res ipsas perspicere, ad singula intentum esse, observare tempora, locum, personas, causarum qualitates quantitatesque expendere, ac nunc simulare, nunc dissimulare, dum ne id fiat dolo malo, diligentiam ubique summam retinere, nec à se ipso discedere, ut æquitas & prudentia in sententiis dicendis, satis in cibo rationem obtineat. *Ex Pontan. de prud.*

Estote ergo *Prudentes sicut serpentes*; quia *prudentia absque bonitate malitia est. & simplicitas absque ratione, subtilitas nominatur.* Hieron. super Oseam.

*Magnum sub sole malum dicit, Eccles. 10. c. stultum esse positum in sublimi dignitate.*

Prudentiam sequitur vitium in excessu, eò periculosius, quò prudentiæ similis existit. An verò potest quis nimium prudens esse? Potest certè, si *Iustitia* limites egrediatur. *Iustitia* enim ea est, quæ veram *Prudentiam* à simulata prudentia, seu potiùs à *Calliditate* separat. Quare ratio eadem est generatim in prudente & in callido, specie differt, quòd ille *Iustitiæ* terminos observat, rectæque ratione, quæ honestatem solam spectat, nititur; hic verò perversa ratione inductus lucrum, voluptatem, honores, honestati præponit. Perversio autem ista rationis defectum non arguit sed *excessum*: Quoniam in illis ingenii sui acumen exercet, quæ extra veræ prudentiæ limites posita sunt.

Quare *Prudentes* tum *Solertes*, tum *Callidos* esse dicimus, solertes cum laude, callidos sine vitio: tolle quòd in vitio reprehendi potest, & vitium non erit: tribue viro bono quidquid callidus potest, prudentem feceris: absit malitia, & virtuti simillima calliditas erit. *Putean. in bivio vit. hum.*

Quæ res effecit, ut *dolus* duplex habeatur; & *bonus*, qui fraudem malasque artes repellit; & *malus*, per quem ad iniqua, qui perversio sunt ingenio, impelluntur. Priórque ille prudentiæ comes est, sequiturque *Iustitiam*; posterior hic frudis satelles, malarumque artium,

artium, item in administrandis rebus tum suavor turpis, tum au-  
stor nefarius :

Itaque huiusmodi artibus instructi, ut subdoli fallacesque ge-  
neri humano, ac Magistratui maximè habentur incommodi;  
quippe qui ad suas tantùm utilitates omnia referant, & dum ter-  
minos prudentiæ excedunt, callidi sunt investigatores latentium,  
& scrutatores qualiumcumque noxarum; vel astu pleni, versipel-  
les, & simplicitatis inimici, quorum verba sunt dubia, nullòque  
modo simplicia, promissa parum fidelia, personæ fucatz, iudicia  
haudquaquam recta, fictæ admonitiones; demùm in insidias, de-  
ceptiones, illusionesque omninò spectant, quibuscum parum  
niquè tutæ sint consuetudines, atque commercia: quippe cogita-  
tiones talium, atque consilia in id plerumque intendunt, ut fal-  
lant, ac per insidias & simulationes quod capiunt assequuntur, ut  
qui magis versutiâ & calliditate gaudeant se quippiam adeptos,  
quàm simplicitate ac rectâ ratione.

Horum Iudicium ac etiam Patronorum studium sequitur ani-  
morum libidines habendique cupiditatem; quam ut impleant  
mente cogitationibusque suis nihil non versabunt. Sempèrque  
sunt in dolum malum, astusque fallacissimos, versutorum iudicia  
& consilia.

Constat ergò, *Calliditatem, astum, fraudem, dolum malum, fallaci-  
ciam*, ac quocumque tandem nomine appelletur, prudentiæ  
excessum esse, ex eo deteriorem, quò longius à Iustitia recedit.

Ut autem prudenter in iustitia permaneat, neque longius ab ea  
recedat, procul à dolo machinatione mendaciòque & lingua bi-  
lingui *Judex* esse debet; simplicitas enim & candor quàm maxi-  
mè in eo desiderantur: *Sapientia*, inquit Gregor: lib. 10. moral. c.  
27. *Iustorum est, nil per ostensionem fingere, sensum verbis aperire:  
huius mundi sapientia est, cor machinationibus regere, sensum verbis  
velare, quæ falsa sunt vera ostendere, quæ vera sunt falsa demonstrare:  
os bilingue detestatur Dominus.* Proverb. 13. *Sit sermo vester, præ-  
cepit Christus, Est, est, ut affirmatio & negatio sicut procedit ex ore  
ita procedat ex corde.* C. etsi Christus, de Iureiu.

G g

Dolum



Dolum agit, qui lingua ait quod corde negat. dum humanæ aures verba nostra talia iudicant, qualia foris sonant. (*C. humana* 2. 2. 9. 5.) aliud simulat quàm agit, aliud verba sonant quàm sensu loquitur, aliud intendit aliud prændit. cùm intelligentia dictorum ex causis sit assumenda dicendi, quia non sermoni res, sed rei sermo est subjectus. Recedant ergo si qui iudicii vel iustitiæ sacrificia obscuris, dolosis, ambiguis sermonibus temerare velint atque profanare: si enim omnibus congruit, qui iustitiam colunt, maximè multo illius Mystræ: *Opera manuum eius veritas & Iudicium*. Pl. 60. & Zyp. lib. 1. c. 31.

Deinde consilium à Iethro Moyfi datum, Iudices subsidiarios ab eo eligendos exigit, *In quibus sit veritas*, scilicet amatores veritatis qui eam colant ac defendant ipsi, & ab aliis diligi ac defendi velint; simulationem, hypocrisim, adulationem oderint; fictos, & quos scriptura vocat duplices corde, avertentur; candorem dictorum factorumque amplexentur, in calumnias & falsa testimonia severè animadvertant.

*Qui veritatem pro pecunia negant, Deum utique pecunia vendunt: qui veritatis iussa spernunt, Deum utique qui veritas est, produnt.* Zyp. lib. 1. c. 27. n. 3.

Fraudem legi etiam fieri per argutias Iudex ne patiatur, ac minimè ipse faciat. in legem autem committit, qui verba legis amplexus, contra legis nititur veritatem.

*Teberinus* cùm reperisset Vestales virgines supplicio affici non posse, ne lex violaretur, iussit ut carnifice laqueum juxta comprimeretur, ex in obliis faucibus in Gemonias abjiceretur. Sic cùm Senatus consultum prohiberet ne servi in Dominos inquirerentur, iussit servos Libonis emancipari. Callidus & novi Iuris reparator. *Tacit. lib. 5. & 1. Zyp. de Iud. l. 3. c. 23.*

Porro ut callidi astuti que Consiliarii Magistratus & Iudices displicent & fugiuntur, sic contra delectant prudentes & industrii, ac plerique sinceri ad illorum se exemplar adiungunt, simile que eorum esse student; quorum profectò Magistratuum maximè amica est solertia ac sagacitas. Diuturnum enim ob usum illicd  
atque

atque ex tempore & capiunt consilia, & quid expediat vident, & pro loco atque occasione causæque qualitate modum statim aut remedia adhibent: atque ubi alii caligant, aut intepescunt; ipsi & incalescunt abundè, & perspiciunt acutè, & explicant se faciliè, & novas ineunt rationes, novaque consilia, novas etiam vias ingrediuntur, sive lucris excogitandis, pro communi bono, sive damnis resarciendis, sive è difficultatibus seipsum, partibusque explicandis ac liberandis.

Horum assidua comes est *vigilantia*, cum prudentia sit minimè desidiosa, atque illis nullum frustra labitur tempus, nullumque momentum relinquatur inanimadversum, minimè autem dant ipsi locum, aut deceptioni, insidijive, aut otio ac desidiz, frustra que elabendo tempori. *vigilat enim semper & visum habet intentum.*

Bion dicebat, *Prudentiam* tantò ceteris virtutibus antecellere, quantò ceteris sensibus præstaret visus. Nam oculi prælucent toto corpori, nec ulla est virtus sine prudentia: nullius enim virtutis usus absque prudentia utilis est, nullusque sine illa neque publicis neque privatis in rebus boni viri officium præstare potest: nam quomodo justus redderet cuique suum, nisi prudentia commenstraret quid cui debeatur? *Laer. lib. 4. c. 7.*

Hujus claræ atque illustris virtutis in laude fuit præ ceteris *Salomon*, qui *Prudentiam* in regendo populo unicè præ omnibus divitiis à Deo opt. max. petiit & obtinuit: & ut *Iustissimus*, ita & *prudentissimus* inter suos est habitus: atque, ut cetera taceam, iudicium de infante mortuo & altero vivo, ab illo etiamnum adolescente latum, *Prudentiam cum iustitia, fortitudine & temperantia*, junctam satis testatur. *3. Reg. c. 3.*

Plures etiam fuerunt alii *Iudices*, qui magnâ sagacitate & prudentiâ ad eruendam veritatem in dandis judiciis, ferendisque sententiis usi fuerunt.

*Petrus Alphonsus*, in suo Tractatu, cujus cognomen erat *Refugium peccatorum*, refert, quòd cum quidam dives locasset domum suam pauperi: dives cogitans illum spoliare, posuit quædam dolia

plena in domo sua, quædam semiplena cum olco; & elapso termino, venit videre illa, & imposuit pauperi crimen furti, ut sic eum posset spoliare: & cum esset vocatus ad iudicium, non restabat illi, nisi damnificatio: ille qui vocabatur Refugium Pauperum, vocabat ipsum seorsum, & inquisivit, esset innocens: respondit, quod sic: revertitur cum eo ad iudicium, petitque ut illa vasa mensurarentur, adjiciens si esset tantum de fœcibus in semiplenis dolis, pauper fuisset condemnandus: si non, sed medietas, liberandus: & compertum est, quod non fuerant plena, & sic liberatus est pauper, & dives damnatus. *Specul. exempl.*

*Carolus Magnus Imp.* curaverat incarcerari patrem & filium: & dum scire non posset, quis eorum esset culpabilis, utrumque morti condemnat: quod intelligens pater, exoneravit filium, notitiam aperiens prudenti Imperatori, quam antè habere non poterat. *Molan. in vita Carol. M.*

Cum præsentem *Claudio Imp.* controversia esset de muliere, quæ filium abnegabat suum esse, quod is longo tempore abfuerat, & propterea incognitum eum sibi esse mater dicebat. Probationibus utrimque factis, cum res non liqueret, Claudius novâ industriâ verum adinvenit: decrevit enim, ut mulier, quandoquidem filium negabat, virum eum acciperet. Itaque quæ immobilis in ceteris probationibus manserat, cum abhorreret filio commisceri, & violare insolentiâ opus naturæ castissimum, tandem contentione depositâ verum detexit. *Fulgen. lib. 7. c. 3.*

Tres juvenes Principes fratres, & filii unius Regis *Cymmeriani*, ubi venerunt ad Regem *Thraciæ, Ariophanem*, quem elegerant pro Iudice aut arbitro juris, quod quisque prætendebat in successione Regni paterni: definivit controversiam hanc, promittendo illis quod (postquam curasset sepultum corpus patris exhumari) illum crearet Regem ex tribus, qui propius cor dicti patris sagittâ tangeret. Vnde junior natu videns, quod natu major transfixisset guttur sui patris, & secundus pectus: recessit cum horrore, nolens acquirere Regnum hoc actu tam detestando atque inhumano: meruitque solus, ut esset successor & heres dicti Regni. *Diod. lib. 2.*

Dua-

Duabus Nobilibus Martonis de præ eminentia & præcedentia contendentibus, lis delata est ad *Carolus Quintum Imp.* qui hanc sententiam tulit, *Vt illa, qua stultior esset, alteram præcederet.* Inde lite in risum versâ, pax inter eas est composita.

Quod etiam Sagacitas & prudentia quædam contineatur, non dando Sententiam, docet factum sapiens Lucii Fimbrizæ Consularis, qui à M. Lutathio Pyrhia equite Romano Iudex aditus de sponsione, quam is cum adversario, quòd vir bonus esset, fecerat, nunquam illud Iudicium pronuntiatione sua finire voluit; ne aut probatum virum, si contra eum iudicasset, spoliaret fama; aut juraret virum bonum esse, cùm ea res innumerabilibus rebus contineatur: *Val. max. lib. 7. c. 2.*

Vt *Athenienses* veritatem delictorum habere possent, lege olim sancitum fuit apud illos, ut qui maximis criminibus reus haberetur, si fateretur admissum, nullo addito mendacio, impunitate donaretur. *Alexand. ab Alex. lib. 3. c. 5.*

*Galba Imperator*, cùm de proprietate iumenti quæreretur, incertis utrimquæ argumentis, ita decrevit, ut ad lacum, ubi aquari solebat, capite involuto duceretur, atque ibidem revelator, eius esset, ad quem sponte se recepisset.

*Rudolphus Austriacus*, agebat *Norimberghæ*, & rebus Imperii ac publicis intendebat, cùm ad privatas eum vertit leviter quidam mercator, ius & vindictam petens in hospitem sive diversitorem ibi notum, à quo grandi pecuniâ se frustratum aiebat. Nam bonâ fide depositas apud eum in sacculo ducentas argenti selibras (*Marcas appellant*) quas ille impudenter abnegabat, iniuriôsè retinebat. Imperator de fide dictorum rogat, ille affirmat; sed suâ fide, nec aliis (ut solet ferè in deposito) argumentis. Igitur Imperator re perpensa, astum adhibendum censuit, & vestigiis verum investigandum. Quærit ab homine; ille sacculus sive vidulus cuiusmodi esset? describit formam: nec aliud Cæsar, quàm secedere eum in proximum cubiculum, & præstolari iubet. Habebat in animo evocare hospitem, sed fortuna commodiùs instituit, & ultro ad eum mittit. Nam venerunt primarii urbis cives, ut solet,

gra-

gratulatum Principi, & salutatum, inter quos ille infidus hospes. Norat ad eam jam ante Cæsar, & ut comitas eius erat, benignè & per facetias appellat: *Hæus tu, scitum illic pileum habes; mihi dona & permittemus.* Ille arrisit, pileum libens dimisit, & honori hoc factum duxit. Cæsar secedit paulum, quasi publicum negotium avocaret, & fidum ac notum ejus oppidi civem cum ipso pileo illo ad uxorem hospitis mittit cum mandatis: *Hæus Matrona, Maritus iubet ut sacculum illum talem ad eum mittas, opus habet, & ecce tesseram fidei mea hunc eius pileum.* Mulier agnoscit pileum, & facculum. Itaque nihil ambigens, ascendit, tradit quasi ad maritum detegendum: at ille rectè ad Cæsarem, qui vidulum vocato denique mercatori ostendit. Et hic ne est? agnoscis? affirmat exultat: tum & hospitem Imperator adhibet, *Et hic, inquit, de te queritur, & perfidiam accusat: quid ais, & res illis?* Audacter ille, *mentiri eum dixit*, nihilque sibi rei cum eo esse, aut fuisse. Denique Imperator facculum profert: ad cuius aspectum ille confunditur, & animo ac lingua labitur. Quid multa? mercator pecuniam, hospes infamiam recipit atque etiam damnum; nam grandi pecunia alia Cæsar eum mulctat: *At Rudolphus* omnium ore & sensu laudem, & decantatum in Germania satis hoc factum fuit. *Lips. d. l. n. 3.*

*Archidamus*, à duobus inter se dissidentibus arbiter electus, ambos duxit in lucum Minervæ, cognomento Chalcioecz, sacrum, ibi exigebat ab illis iurandum, ut starent arbitri iudicio. Id ubi iurassent, Pronuntio, inquit, ne prius hunc locum exeat, quam quod inter vos est dissidii ponatur, & invicem reconciliemini. Reperit vir ingeniosus ac prudens, quo pacto fieret, ut nec ambos offenderet, recusato arbitrio; nec alterum è duobus alienaret, si pro altero contra alterum tulisset sententiam. Apud Lacedæmonios autem nefas erat fallere quidquid in Minervæ templo promissum erat. *Plut. in Lacon.*

*Alphonso* adhuc adolescente, post sanctissimi & optimi patris obitum, Regnorum *Sicilia & Hispania* gubernacula in *Aragonia* suscipiente, accidit, ut cuiusdam servula ex Domino prægnans facta,

facta, mox pariens, ad libertatem proclamaret, ex lege Hispaniensi, quæ est: *Servæ quæ ex Domino liberos susceperit, libera esto.* Dominus autem veritus servam amittere, negabat ex se filium procreatum; ratus hoc pacto se servam non amissurum, & filium simul habiturum. At illa acrius instante, & natum ex Domino conceptum asseverante, cum eius rei difficilis probatio, & veritatis periculosa coniectura esset; in ancipiti *Alphonsi prudentia* iam inde ab adolescentia statim resplenduit. Decrevit ergo ut infans, sub licitatione venundaretur. Cumque uni, qui maius pretium obtulisset, infans traderetur, pater pietate victus à lachrymistemperare nequivit, & suum esse filium fassus est. Quare Rex & patri filium & servæ libertatem non cunctanter adiudicavit. *Panorm. lib. 2. de gest. Alphonsi.*

Cum tale declamationis argumentum esset propositum: *Qui seditionem moverit, moriatur: qui sedaverit præmium ferat.* Quidam & moverat & sedaverat, petitque præmium. hanc questionem *Secundus Sophista* paucis absoluit; quod est prius? Movisse. Itaque prius da pœnas motæ seditionis, ac deinde (si potes) accipe præmium rectè factorum.

Adolescens deperibat in Ægypto Theonidem meretriculam, cumque illa peteret ingentem mercedem, tandem adolescens somniavit se rem habere cum ea, atque ita liberatus est amore: petit illa mercedem, negante Iuvene. Itum est ad *Judicem. Borchoris* pronuntiat, ut iuvenis in vasculo adferat tantum pecuniæ, quantum illa postularat. Iubet adesse meretriculam, & umbra frui pecuniæ circumlatæ. Hoc Iudicium Lamia velut iniquum reprehendit: Iuvenis somno liberatus est amore. At umbra pecuniæ non exemit Theonidi pecuniæ amorem. *Et asm. 6. Apoph.*

Sed & ex iocoso sequenti casu veritas causæ à prudente Iudice elici potuisset.

Lis erat & contentio inter duos rusticos, Caium & Titium in pago villarii Episcopi, vulgo, *Bischofswytre* in Hasbania, Patria Leodien. sito, ratione cuiusdam horrei: contigit autem, necdum finita controversia, per fulgur & tonitru anno Domini 1632. idipsum

ipsum horreum prorsus destrui funditusque deiici, quando Caius occupabatur in campis: quod resciscens Mænius unus ex dicti pagi incolis, cucurrit ad Caium referens nuncium dituti horrei, in his vel similibus verbis: *Caie, vox n' scavez? volà li Diabol qu'at ab-bâzon li chur*: Nescis Caie? ecce diabolus deiecit horreum, Cui respondens Caius dixit, *O le bon camerad, sil euxb passé por-cy, ie li euxb dant un vaen de bire p' bevr am fanté*. O quam fuit bonus socius, si huc transisset, dedissem illi quartenum cerevisiæ ad bibendum super mea sanitate: Nunquid hic Caius videtur malæ fidei litigator, & minus Iuris habuisse, qui per hoc non tantum non tristabatur, quod careret horreo per illum prætenso, sed & gaudebat Tiriium adversarium suum illo non perfrui? Dominus Pastor loci, mihi prædicta narravit dum recenter hæc contigissent, etiam ostendit mihi locum horrei ubi vidi rudera & aream ruinosam.

Quidam saccum, centum talenta & serpentem aureum continentem amisit, quem pauper invenit altera die: Præco clamavit, Qui talem saccum invenit, reddat, & inde gratis decem talenta habeat: Pauper ergo munus habere malens sine peccato ( licet vxor contradiceret ) saccum reddidit, & promissum expetiit: sed Dives, ut promissum non solveret, proposuit quod duo in sacco fuerant serpentes aurei: Paupere hoc negante, causa devenit ad Iudicem. Stabant omnes pro Divite: cuius misertus quidam Philosophus dixit Iudici: Domine Iudex multum credendum est isti diviti, quod amiserit duos serpentes: ex altera parte, si pauper non esset vis bonus totum retinisset: sic autem scies veritatem, voca divitem & dicas ei, quod ex quò dicat se duos serpentes amisisse, tunc iste saccus non est suus, sed faciat clamari per præconem, de illo cum duobus serpentibus. Tunc videns dives, quod baculo suo percutiebatur, recognovit quod ideò dixerat duos ibi fuisse, quia pauperi promissum reddere nolèbat: cui Iudex fecit solvi. *Ex Pet. Alphons.*

Simile ferè est quod sequitur Iudicium: Anno 1406, quidam faber invenerat peram mercatoris cum 800. florenis: promissisque inventori centum, dixit mercator, fabrum sibi centum inde sustulisse, quod falsum erat.

Iudex

✓ **Iudex** igitur, mercatore jurante fuisse nongentos, fabro verò fuisse octingentos, edixit, ut mercator quæreret nongentos, faber verò retineret octingentos, donec qui illos perdidisset, innotesceret.

Sicut autem per *prudenciam* Iudicum, veritatem justitiæ exploratam ostendimus, ita & quandoque infontes divinâ ac etiam humanâ *prudenciâ* absoluti à iudicio reperiuntur.

Inter divina & miraculosa, exemplum erit *Theodosii Imp.* qui falsò suspectum habens *Ioannem Damascenum*, ne ad Persas scriberet, apud quos captivus fuerat, abscissa manu eum multavit. quæ *Salvatoris nostri Mariæ Virginis* ope (cujus magnus erat cultor) nulla remanente offensa, palam restituta est, ut antè erat, quamvis *Ecclesiæ* valvis affixa multos manserat dies. Quæ res *Damasceni* innocentiam testata est. *Fulgen. lib. 1. c. 6.*

Impia & sceleris plena fuit causa, propter quam *Narcissus Hierosolymitanus Episcopus* fuit damnatus: miranda quoque illa, qua absolutus. Imperante enim *Septimio Severo*, tribus falsis testibus convictus, iudicio cessit, & ad deserta se contulit loca, atque ei in *Episcopum* alter fuit suspectus: cum trium testium primus adiurasset, dum testaretur, nisi vera essent, quæ testabatur, ut comburi posset incendio, cum omnibus, quæ habebat, absumptus est. Reliquorum duorum cum alter imprecatus esset, ut lepra corripi posset, alter autem ut luminibus caperetur, nisi vera testaretur, intra paucos dies uterque iis malis, quibus se adjuraverat, affectus est. Quibus prodigiis absolutus iudicio fuit *Narcissus*, & in locum restitutus. *Fulgof. lib. 8. c. 1.*

Quinimò & per infantes data sunt innocentiz Iudicia ac testimonia ut per *Danielem* in iudicio *Susannæ*.

Præterea memorabile est, quod legitur in vita *S. Brigidæ* virg. *Scotiæ*, quæ abiit anno Christi 521. fœmina erat quædam, quæ non minus impiè quàm impudèter se filium ex *Episcopo Broone*, qui *S. Patritii* discipulus fuit, concepisse mentiebatur: unde cum illè se ab hac culpa alienum esse affirmaret, *S. Brigida* mulierem accersiri jubet, eiq;ue dicit, ex quo infantem hunc sustulisti? res-

Hh

pondit



pondit illa, ex Broone Episcopo. Mox autem S. Virgo osti ejus signum Salvatoris Crucis impressit, & ecce procacis caput & lingua intumuit. Porro S. Brigita infantis consignans linguam, ait: *Dei nobis tu, Infantule, quis est tuus pater?* Stupenda res: aperit os infantia, qui quondam asinae Balaam loquendi praestitit facultatem, aitque parvulus: *Episcopus Broon non est parens meus, sed deformis ille homuncio, qui in populo extremo sedet loco, parens meus est.* Harza in vita S. Brig.

Plura ejus generis adduci possent, sed quia ab aliis alibi illa late deducuntur, exemplum aliquod referam; quo humana providentia rei judicium condemnatorum que effugerint.

Cum Zaleuci *Loressis* filius, adulterii crimine damnatus, secundum jus ab ipso constitutum, utroque oculo carere deberet, ac tota civitas in honorem patris necessitatem pendere adolescentulo remitteret: ipsemet Zaleucus aliquamdiu repugnavit: ad ultimum precibus populi evictus, suo prius, deinde filii oculo eruto, usum utrique videndi reliquit. Ita debitum supplicii modum legi reddidit, aequitatis admirabili *Prudentissimoque* temperamento, se inter misericordem patrem & justum Legislatorem partitus. *Val. Max. de Just.*

Signum est quoque innocentiae, tranquillitas & quies accusati: exemplum est duorum filiorum, qui parricidii delati sunt absoluti, quia dormientes apud parentem mortuum, ostiis apertis, sunt reperi. Nemo enim putat quemquam esse, qui cum omnia divina & humana jura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisse, quinimò qui tantum facinus commisisset, non modo sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu posset. *Val. lib. 8. c. 1.*

*Philippus Macedo*; Machatz cuiusdam, pro Tribunali sedens, causam cognovit, sed dormitabundus, nec satis attentus ad Iuris aequitatem, itaque sententiam tulit adversus Machatzam: verum cum is exclamasset, se ab ea sententia appellare: Rex iratus, *ad quem* inquit? (nam appellandi verbum Monarchis est invisum) *Hic Machatzas, Ad te ipsum, O Rex, inquit, si expurgaveris & attentus audias causam.*

*insam.* Actum quidem surrexit Rex. Ceterum posteaquam causam melius perpēdisset, intelligeretq; Machatz factam iniuriam, Iudicata quidem non rescidit, sed pecuniam, qua damnatus fuerat Machatzes, ipse persolvit. In uno facto quot judicialis prudentiæ argumenta? Non perseveravit irasci, ut hodiè solent multi Iudices, & provocanti & somnolentiam obiiicienti; sed per otium rem suo cum animo accuratius consideravit jam ab ira liber: Sit hoc civilitatis Regiæque moderationis; illud verò *Prudentiæ*, quoddam ingenioso commento sic damnatum exemit damno, ut in iudicando auctoritatem non proderet, multam privatim quasi ipse damnatus esset persolvit. *Plu. in Apoph. reg.*

Vidimus exempla eorum, qui sagaciter veritatem invenerunt, & condemnationem evaserunt: subnectam & unum illius, qui callidè & fraudulenter, sub specie *prudentiæ*, conventi honorarii solutionem putabat evadere. *Corax* primus apud Syraculas mortuo *Hierone*, Rhetoricam instituit mercede profiteri: *Lysias* autem adolescens pactus est cum eo, ut tum solveret, cum optimè Rhetoricam calleret. Verùm ubi artifex iam factus præmium cunctaretur, neque causas reciperet, à præceptore in ius vocatur: sed cum quaereretur, quis modus litis esset futurus? *Lysias* ait, si persuasero Iudicibus, me nihil debere, non tradam præceptori quidquã; quia iam vici ex sententia. Si non persuasero, etiam non dabo, quia artem persuadendi à te non didici, nec satisfacisti pacto. Tum *Corax*, Imò inquit, si persuaseris, dabis, quia artem calles, & sic mihi debes ex pacto: sin minus, dabis etiam, quia non vicisti, & sic ex sententia in meum favorem data teneberis. Tum Iudices sobiecerunt, *Mali corni, malum ouum.* Prolog. in Hermog. Rhe.

Gellius lib. 5. c. 10. narrat quiddam simile de Protagora Sophista, & huius discipulo Evathlo.

Hoc habet proprium *Prudentiæ* arrogantium, ut humiliter nesciant inferre, quæ docent; & recta quæ capiunt etiam rectè ministrare non possunt: in verbis enim eorum perduntur: quantumque etenim doctrina mens polleat, gravis eius imperitia est, velle docere meliorem. *Greg. in moral.*

tantum vero abest ullum illorum qui solidè docti & prudentes sunt quidquam de se gloriosius dicere, ut alio etiam dicente erubescant. Qui verò longius à vera, quam sibi vendicant doctrina & sapientia abiunt, propter incertam verba molestissime audienda de seipsis proferunt. *Demost.*

*Vires quidem inanes spiritus distendit, stultos autem opinio, Socrates.* etenim vulgo maguos spiritus superbi habere dicuntur. & rectè quis vero nesciat superbos inflatos dici, tanquam vento destentos; *S. August.* Hi sunt qui sine mente imperitos statuarios imitantur, qui Colossos putant ita demum magnos videri, si multum divaricatos, distentos & hiantes fecerint, nam gravitate vocis, affectus asperitate, difficultate morum & convertendi aspernatione magnitudinem & severitatem Iudicii exprimere se putant durante tempore suæ Iudicaturæ ac Magistratus functione: cum tamen oporteat prudentes Magistratus, non propter officium aut imperium, sed virtutis causa admirationem sui parere, ut etiam immutata fortuna eisdem Laudibus digni censeantur. *Arist.*

Cum autem nullū in terris inveniatur augustius aut divinius Iudice, qui spectatam habeat probitatem simul cum prudentia & eruditione conjunctam: ad quam etsi gentilium Christianorumque exempla nos excitare magnopere possint, à Spiritu Sancto tamen illam datam accipere debemus, à quo omnis gratia, omnisque manat sapientia. hujus enim absque beneficentia & munere, quid est, obsecro, quod venire in hominum possessionem queat, vel illorum quoque, quæ in nostra videantur potestate constituta; Deum igitur ad ipsum bona sunt cuncta, eaque in primis quæ dicuntur animi, referenda; *Illi honores, Magistratus, scientiam, prudentiam* denique acceptam referamus. Nam etsi in manu hominis voluntateque positum videtur, ad virtutem contendere, honestisque clarescere in actionibus; tamen ejus ipsius dono vel hoc ipsum præcipuè homini conceditur, vel humanæ gratitudinis primum est potissimumque officium, Deo id acceptum referre, in cuius benevolentia ac benignitate valere nos volumus. *Pontan. de prud. in fine.*

CAPUT XIII.

*De Iudice Iusto.*

**I**N Iudice *Fortitudinem, Temperantiam, & Prudentiam* requisitam vidimus, quibus & quarta virtus cardinalis debet accedere, quæ est *Iustitia*. Illa enim est rerum humanarum scientia, quæ novit lumen prudentiæ, temperantiæ decus, fortitudinis robur, Iustitiæ sanctitatem. <sup>a</sup> *Sobrietatem & prudentiam docet & Iustitiam & virtutem, quibus utilis nihil est in vita hominibus.* <sup>b</sup> Vbi per *Sobrietatem* temperantia, & per *virtutem* fortitudo designatur.

Tres autem primæ, *Fortitudo, Temperantia, & Prudentia* sunt ad acquisitionem iustitiæ, vel conservationem, quæ Iustitiam conservant, ne amittatur vel minuatur: postquam verò perfecta est Iustitia, & transit in affectum cordis, idem est quòd illa tria; quia fortis est, prudens, temperata. <sup>c</sup> & bonus est circulus dicit idem, si *Iustitia* quærit, *Prudentia* invenit, *fortitudo* vindicat, *temperantia* possidet; ut sit *Iustitia* in affectu, *prudentia* in intellectu; *fortitudo* in effectu, *temperantia* in usu. <sup>d</sup>

In hac vita virtus non est, nisi diligere quod diligendum est, (etiam munus *Iustitiæ*) id eligere *prudentia* est; nullis inde averti molestiis, *fortitudo* est; nullis illecebris, *temperantia* est; nullâ superbiâ, *Iustitia* est. <sup>e</sup> *Habeto prudentiam, fortitudinem, temperantiam & Iustitiam: hæc te quadriga velut aurigam ad metam concita feret: nihil hoc monili pretiosius.* <sup>f</sup>

Harum virtutum munia & comites pulchrè describit Macrobius, *Lib. I. sum. Scipionis.* dum ait,

*Prudentia* est; ad rationis normam, quæ cogitat, quæque agit, universa dirigere, ac nihil præter rectum velle vel facere, humanisque actibus, tanquam divinis arbitris, providere: Prudentiæ  
insunt

<sup>a</sup> S. August. contra Academ. lib. 1. c. 7.

<sup>b</sup> Sapient. 18.

<sup>c</sup> S. Bernard. serm. 35.

<sup>d</sup> Lib. 1.

<sup>e</sup> S. August. epist. ad Maced.

<sup>f</sup> S. Hieron. epist. 2.

infunt Ratio, intellectus, circumspexio, providentia, docilitas, cautio.

*Fortitudinis* est, animum supra periculi metum agere, nihilque nisi turpia timere; tolerare fortiter, vel adversa, vel prospera. Fortitudo præstat magnanimitatem, fiduciam, securitatem, magnificentiam, constantiam, tolerantiam, firmitatem.

*Temperantia* est nihil appetere, poenitendum in nullò legem moderationis excedere, sub jugum rationis cupiditatem domare. Temperantiam sequuntur modestia, verecundia, abstinentia, castitas, moderatio, parcitas, sobrietas, pudicitia.

*Iustitia*, servare unicuique quod suum est; de Iustitia veniunt innocentia, amicitia, concordia, pietas, religio, affectus, humanitas.

His virtutibus vir bonus priùmm sui, atque inde Reipublicæ rector efficitur, ac proinde gubernans humana, divina non deferens.

Quoniam verò ad consilia impiorum itur quatuor modis: quidam enim trahuntur *Invisi*, alii attrahuntur *Illecti*, alii seducuntur *ignari*, alii sequuntur *spontanei*.

Istis necessariz sunt quatuor prædictæ virtutes, per quas armati resistant, ne in consilio eant. *Invisis* necessaria est *fortitudo*, quæ resistant usque ad mortem, minis, cruciatibus & damnis. Illi qui attrahuntur *illecti* indigent *temperantiâ*, quæ reprimit illicita desideria, nec cedit promissionibus, nec emollitur blanditiis. Illis qui seducuntur *ignari*, est opus *prudentiâ*, quæ ab utilibus inutilia discernit, & docet, quid tenendum, quidvè reiiciendum sit.

*Iustitiâ* indigent illi qui sequuntur *spontanei*; sedem enim habet voluntatem. Ab eo dicta, quod vim sistat, quodque in ea *ius* consistat, & sit quasi juris status & habitus, per quem iustorum operationes fiunt, per quem agunt, & volunt res iustas, cuique quod iustum est dando, & quod iniustum est auferendo. Quæ quidè proportio, tû ex formula legis, tam scriptæ, quàm non scriptæ adhibetur tum ex rectæ rationis præscripto. *Constantiam & perseverantiam voluntas ius suum cuique tribuens*: sive idæa seu forma in anima æqua præscri-

præscribens, numquam refugiens. Sicuti oculis à natura indita est vis, quæ colores à se invicem secernit. Hæc Iustitiæ idæa est immutabilis certa & perpetua. Ut enim corpus non potest non dolere, cum vulnus accepit, ita animus perpetuo improbat, quoties alicui jus suum non tribuitur: & tamen si leges pro tempore, conditione, pro locorum exigentia, alix alixque proferantur, & interim variant; *Iustitia* tamen una manet, & homo utcumque fragilis sit atque mutationi expositus, habitum tamen illum, ac constantem & perpetuam illam voluntatem neminem lædendi & suam Ius cuique tribuendi, habere potest.

Hæc omnium præclarissima, ipsaque omnis virtus, omnesque virtutes continet, sola omnium domina est & regina, nihil alienum vindicat, propriam utilitatem negligit, ut servet communem æquitatem. Non enim pars est Iustitia, sed quasi mater omnium; unde in Psalmo, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo &c.* dicitur, *qui operatur Iustitiam*. Illa enim non delectat aut prodest habenti, sed miseris non habentibus: nec dixit, qui operatur fortitudinem, qui operatur castitatem; hæc quidem virtutes sunt optimæ, sed illas habentem delectant & profunt, non alteri. Nam immaculatum corpus à virili permixtione servare, & palmam castimonix, limoso in corpore, usque ad Angelorum conversationem custodia integritatis evchere, utilitas privata, laus publica est.

Frugi esse ac modestum & sobriæ parcitatis tenere mensuram, probatur à pluribus, sed sibi soli proficit. Fortitudo in præliis eminet, in otio friget: cuius opus in tempore necessarium, in voto adversum: malunt enim homines non pugnare, quàm vincere.

Sola *Iustitia* est quæ omnibus temporibus, aliis potius nata, quàm sibi, quotidiano usu & fructu: publico suo damno alienas custodit utilitates, quæ nihil habet utilitatis, & plurimum laudis. *S. Ambr. in Ps. 118.*

Commune bonum spectat Iustitia, neque sese angustiis quibusdam limitibus contineri patitur; sed effundit quaquaversum, & ~~omnes~~ omnino complectitur.

Hu-

Hujus legis & æquitatis symbolum aliquod agnoscit & amat D. Ambrosius in Euphrate: Ex amœna Paradisi sede in arenâ reliquæ terræ superficiem effluxere quatuor omnino flumina: Ganges, Nilus, Tigris, Euphrates: quibus quatuor præcipuarum virtutum hieroglyphica volvi credit: *Flumina inquit ista quatuor quædam sunt fluentia virtutum.* In Gange Prudentiam, in Nilo temperantiam, in Tigri fortitudinem, in Euphrate Iustitiam laudat & commendat. Tum deinde iniicit hanc quæstionem, cur tribus illis fluviiis certæ describantur Regiones, quas alluant & fœcundent: Euphrati verò nulla præscribatur terræ plaga, solum omnino nullum, quod præterfluat, & suis aquis imbuat? Scriptura teste Ganges Indiam, Nilus Æthiopiam, Tygris Liriam Lambit: at de Euphrate altum in sacris paginis silentium. *Quæ Causa?*

Ne crede id casu factum, ne suspicare è Moysis calamo excidisse: & certè si excidit, amabili Dei providentia dicitur excidisse, ut in eo pulcherrimæ virtutis imaginem expressam agnosceres, & antiquum aliquod justitiæ monumentum: Iustitiam inter aliasque virtutes hoc interest, quod hæc uni quodammodo supposito suo studeant, uni serviant & consulant, & Iustitia aliis vacat quàm maximè.

*Prudentia* dicitur, quid tibi in quaque occasione agendum, quid sequendum, quid fugiendum. *Temperantia* iram & libidinem aliosque insolentes animi motus, æstusque regit & coërcet.

*Fortitudo* timorem expellit ac nimiam abjectæ mentis demissionem erigit ac sustinet, itaque à prudentia, temperantia, fortitudine unitibi est benè. Sed à *Iustitia* aliis quàm optimè: neque enim te ipsum, tuumque bonum hæc attendit, sed aliorum iura, commoda, facultates aspicit & tuetur, atque à se quodammodo abit, ut in alios transeat, eorum salutem, incolumitatem, bonoque prospicit.

Vt verò his major sit fides, juvat audire quid de ea sentiat quid loquatur D. Ambrosius: *Euphrates, inquit, latine fecunditas atque abundantia fructuum nuncupatur, præferens insigne quoddam iustitiæ, quæ omnem pacit animam: nulla enim virtus abundantiores videtur habere*

*habere fructus, quàm aequitas atque Iustitia, qua magis aliis quàm sibi prodest, utilitates suas negligit, communia emolumenta proponens. quone cuique dissonum & abhorrens videatur, rationem aliam subnectit discrimenque nobile: Quia, inquit, ubi prudentia, ibi & malitia; ubi fortitudo, ibi & iracundia; ubi temperantia, ibi intemperantia plerùmque est, aut alia vitia sunt: ubi autem Iustitia, ibi concordia virtutum est cæterarum.* S. Ambros. & Lobbet. in specul. Eccles. c. 6. §. 7.

Iustitia per se abundat ad gloriam; spectaculum populi, vulgi laudes, favores hominum Mundi gloriam non requirit: à Deo genita cœlum spectat, in oculis agit divinis, supernis virtutibus mixta, semper à Deo solo, ut glorificetur, expectat. Proinde *Iusti in perpetuum vivent, & apud Dominum est merces eorum.* Sap. c. 5. Viri Iusti fructus non perit, & vitæ justæ bonus est exitus.

Præterea Aristoteles dicit Eth. lib. 5. quod neque *Hesperus* neque *Lucifer* tam est admirabilis, quàm *Iustitia*. *Hesperus* autem & *Lucifer* una & eadem est stella, quæ propter sui pulchritudinem & venustatem excellit è cæteris, & solem dum præcedit, apparet manè, ac tum vocatur *Lucifer*; dum illum sequitur, serò & vespere se exhibet, diciturque *Hesperus*, Cum autem stellæ polleant pulchritudine corporali, & pariter nos illuminant lumine corporali; *Iustitia* verò emineat spirituali pulchritudine, & nos perfectione tali ornat: quantò ergò pulchritudo spiritualis excedit corporalem, tantò pulchritudo *Iustitiæ* est mirabilior & pulchrior claritate stellarum. *Vivaldus in mag. salom.*

Quoniam verò civitas *Traiectum* gerit pro insigniis suis *Stellam*; cur non ejus intuitu *Traiectenses*, *Iustitiam* profitentes & administrantes, particulariùs invitari dicere licebit, ut à *Sole*, id est *Iustitia* numquam dimoveantur, nec prece, nec pretio, nec hominum potentiâ, terrore, proprio interesse, aut ullo vel quocumque modo ac respectu occasum sentiant, sed *Iustitiæ* inseparabiliter & manè & vespere adhæreant, seu etiam præcedendo adinstar *Luciferi*, seu ut *Hesperus* eam sequendo. Ac tum fiet, ut non tantùm sicut *Stella* in firmamento cœli, sed ut *Sol* fulgebunt, teste Spiritu



sancto dicente, *Iusti fulgebunt sicut Sol in Regno Patris eorum.* Matth. c. 13.

*Deus Iudex fortis & patiens.* Pl. 7. eadem elogia tribuenda Iudici pro sui prototypi imitatione. Igitur is esse debet iustitiz & æquitatis amans atque observans, dignissimumque in Iudice debet esse, *Iustus & æquus*, neque enim est Iudex si non est in eo iustitia. hæc apud Ægyptios per oculum patentem significabantur. *Chryseippus* oculos iustitiz virgini acres, rectos atque immotos facit; in sacris etiam litteris iustitia divina per oculum vigilantem designatur, *Iustitia de caelo prospexit* Pl. 84. symbolum etiam iustitiz atque hieroglyphicum traditur *Aquila*, perspicacissimi scilicet visus, quod ad eam ei proprium naturæ donum est, ut ex ungue pullos suspendat ad objectum solis: qui si irretortis oculis aspexerint, genuini probantur, qui palpitaverint, deiiciuntur quasi adulterini.

Iustorum oculi non ab auri fulgore, donis, muneribus, offenduntur, quo minùs infractè rectum videant & judicent: quod si ad ea palpitaverint, non iusti sunt, adulterini sunt iustitiz pulli. Iustorum Imperatorum hieroglyphicum fuit aquila, cum inscriptione *Suum cuique.* Zyp. in Iud. l. 1. c. 11.

*Palma* etiam Iustitiam significat, quia fructum reddit pari omnino cum foliis pondere, nota æquilibrii Iustitiz: incorrupta est palmæ materia, ac senii nescia: corrumpi non oportet Iustitiz administratos, folia nisi vi tollantur, numquam amittit: Iustitia est perpetua voluntas suum cuique tribuendi: ponderibus resistit & in adversum incurvatur: Iustitia est constans voluntas.

In palma nihil inutile est: iustum usibus humanis totum atque publicæ rei proficuum esse oportet: *Iustus ut palma florebit.* Pl. 91. & Zyp. d. 1.

Dignissimum quoque hieroglyphicum est *Lanx & æquilibrium*: quo momenta causarum, litigatorumque rationes ponderentur: ut quod lanx iustitiz, eò descendat religio iudicantis, sive suum cuique tribuendo, sive scelera vindicando. quomodo divina manus sententiam Balthazaris in pariete descripsit: *Appensus es in scissura, & inventus minime habens*, quam eadem nocte divinæ damnationis

tionis ministri executi sunt, rege neci dato. *Zyph. d. laco:*

In summa, iustitia est vita cœlestis, auris sæculi mater & regina  
 Altrea sublimis, quæ thronos sidereos habitat: terrenas sedes ne  
 deserat obsecramus, ne in ferreum sæculum prolabamur: habita,  
 precamur, ô super-cœleste Numen, mêtēs humanas, ut cœlestium  
 vitam & in præzenti quantum Iudices possunt imitentur, & im-  
 posterum penitus consequantur.

*Cur Iustitia pingatur cum bilance & gladio?*

Quæ Dea? *Iustitia*: at cur torvo lumine spectas?

*Nescia sum flecti, nec moveor pretio.*

Vnde genus? Cœlo: qui te genuere parentes?

*Mi modus est genitor, clara fides genitrix.*

Cur gladium tua dextra gerit? cur læva bilancem?

*Ponderat hæc causas, percutit illa reos.*

Aurium aperta tibi cur altera? & altera clausa est?

*Una patet iustis, altera surda malis.*

Cur sola incedis? quia copia rara bonorum est.

*Hæc referunt paucos sæcula fabricios*

Paupere cur cultu? *Semper Iustissimus esse*

*Qui cupit, immensas nemo parabit opes.* Tympius.

Proinde talis esse debet, inquit Petrus Ravennas, Iuris minister,  
 ut in eius manu nullius autoritate personæ titubet, aut vacillet  
 libra iustitiæ, nullo pondere sese deprimi, ultra quam oporteat,  
 pariatur.

Plura videri possunt quæ de hac materia dicta sunt pag. 90.  
 & seq.

Hæc Dea *Iudicibus, Consiliariis, & Magistratui* debet esse perpe-  
 tua comes, quæ Ius quoddam animatum, & lex loquens est: ac si-  
 cut ignis quæcumque admoventur calcfaciens ipse primum inna-  
 ta sibi vi calet: Nix contrâ suapte naturâ frigida, & alia frigida  
 reddit, sic Iudex ac Magistratus ipse plenus Iustitia esse debet, si  
 aliis ius administraturus est; per quod enim quod est tale, ipsum  
 magis est tale. Hæc vulnera populorum sanat, motus comprimit,  
 pacem & otium cum dignitate constituit, vires Reipub. firmat.

tametsi etiam honorentur fortes, sint Prudentes admirationi tamen his maximè fidem habere homines solent, qui *Iusti* sunt. *Plutarch. in Catone.*

Cùm autè ad hoc, ut Iudiciũ sit verus actus Iustitię, debeat procedere, Primò, ex autoritate, sine qua diceretur Iudiciũ usurpatum. Secũdò ut feratur secundùm rationè prudētiz, sine qua diceretur Iudicium temerarium; Tertio ex inclinatione Iustitię, nam si fuerit contra rationem justitię diceretur Iudicium perversum vel injustum: quę inclinatio & intentio non debet esse propter remunerationem temporalem, vel in fama, vel in honore, vel obsequio, aut similibus, ut verè justus dici possit. Neque etiam justus est non tantùm, qui non facit iniuriam, sed qui cùm iniuriari possit, non vult tamen; nec qui à parvis capiendis abstinere, sed qui magna sustinet non accipere, quamvis habere queat, & possidere sine periculo; nec qui iusta facit omnia, ut gloriam venetur, sed qui sincero & candido præditus ingenio, justus esse, non tantùm videri vult: nomen eorum vivet in generatione in generationem *Eccles. 46. Junior fui, dicit Propheta, etenim senui & non vidi Iustum derelictum, nec semen eius, quærens panem. Pl. 36. Iustus si morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit. Sap. 4. & 26. Beatos post se filios relinquet: proinde dicite iusto, quoniam benè ei, quoniam fructus adinventio-  
num suarum comedet, Pl. 3. Non affliget Dominus fame animam iusti, & insidias impiorum subvertet, Prov. 10. In memoria æterna erit iustus, Pl. 112. In iudicando esto pupillis misericors ut pater, & pro viro matri illorum; & eris tu velut filius altissimi obediens, & miserebitur tui plusquam mater. Eccles. 4.*

Decet ergò, imò necesse est, bonum ac verum Iudicem, in omnibus rectè judicare, & eunomiam æquitatis amantissimam plurimi facere, simulque inexorabilem venerandamque justitiam jugiter colere, solidamque & expressam eius effigiem in Iudiciis agnoscere; adumbratam verò ac fucosam, veramque ementientem prorsus reiicere & detestari.

Sequi autem debet regulas & non conscientiam suam legibus adversantem; Iudicium enim hominis sequentis suum sensum

fam & suam phantasiam, sive suam præsumptam æquitatem, fallit & fallitur: proinde debent esse in Iudice duo; lex, scilicet *sal sapientia*, ut intellectus legum & canonum, aliàs est insipida: & *Sal secura cõscientia*, aliàs est diabolica, & idè Iudices iudicalem non accipiunt calculum, ex præcepto Iustiniani Imperatoris, nisi prius Sacramentum præstiterint, omni modo se cum veritate & legum observatione Iudicium esse disposituros, & in terminis decidit elegantissimis. *Generaliter omnes omninò Iudices Romani Iuris disceptatores non aliter litium primordium accipere, nisi prius ante Sedem Iudicalem, sacrosanctæ deponantur scriptura, & hæc permaneant non solum in principio litis, sed etiam in omnibus cognitionibus usque ad ipsum terminum & diffinitivæ sententiæ recitationem. Sic etiam attendentes ad sacrosanctas scripturas, & Dei præsentia consecrati, ex maiore præsidio lites diriment, scituri quod non magis alios indicant quàm ipsi iudicantur, cum etiam ipsis magis quàm partibus terribile Iudicium est, siquidem litigatores sub hominibus, ipsi autem Deo inspectore adhibito causas proferunt trutinandas. L. rem non novam. C. de Iudiciis.*

*Diligite iustitiam, qui iudicatis terram, monet Salomon Sap. 1. Non satis erat illi dicere, facite Iustitiam, sed diligite, ut sponsam castissimam, quam tibi sponsam elegisti, dum populo præfectus es Iudex: quàm flagranti ardes zelo, si sponsam multum diligis legitimam, & quàm diligenti invigilas curâ, ne quisquam vel minimam ei inferat, iniuriam? quam tum tibi reputas illatam; sic ut tibi illatas faciliè dimittas iniurias, vxori verò nequaquam. Talis Iudex sit oportet amator Iustitiæ, eiusque honoris Zelator, quasi propriæ coniugis, sponsæque legitimæ: Quod si hic eam dishonoret, violet, ac corrumpat, quo satis digno invenietur afficiendus supplicio, si hic, quem tangit pauperis iudicium ad lucem perducere, ipsum præfocet & occidat: si hic, cuius est causam zelare viduæ & pupilli, ipse vim inferat, ipse opprimat, poterit ne gravior proferri iniquitas, quàm Respublica destruat. La Nuxa.*

Hanc Iustitiæ virtutem tanti fecit *Traianus Imperator*, ut cum filius cuiusdam viduæ, à proprio filio equitante, incautè fuisset occisus, illi, ut illū solaretur, proprium filium cum regni hæreditate concesserit. *Lab. Zecchius polit.*

*Baldwinus VII.* Comes Flandriæ Petrum virum nobilem & Orcampi Toparcham, ob duos boves pauperculo reclamante abductos, re ad eum delata subitè, arripit juberet & atroci morte puniri: forte lebes aquæ ferventis in medio Brugensi foro erat monetario puniundo destinatus: in hunc sine morâ hominem conici iubet sic ut erat, ocreatum, vestitum, gladio accinctum. quid ais! sic calidè & an non temerè? nihil. Nam inquisitio præcesserat & culpæ convictus, per aliam causam evocatus pœnas sic luit. *Ex Lipsii monit., Chock. Aphor. lib. 2. c. 6.*

*Lacedemonii* quia in impios stupratores, qui filiabus Scedaci fucum fecerant, non animadvertērūt, in ipso commissi flagitii loco, victi fuerunt.

Vnde non immeritò *Totilas Gothorum Rex* roganti ut parcere eidam qui virginem incestaverat, respondit: *Eiusdem ingenii esse delicto se obstringere & delictorū supplicia impedire: omnino autem aut hunc pœnam dare, aut Gothorum Rempublicam interire necesse est.*

Neque absuit executioni Iustitiæ remissio delicti per partem offensam, etenim De Othone I. Rege Romanorum refert *Krantzius*, & ex eo *Ioan. Chockier. Aph. lib. 2. c. 6.* Cùm Rex expeditionem militare crebrius duceret per Italiam, procidit ad pedes eius mulier querula, quòd vim passa esset ad stuprum, rogans ipsam legum vindictam: quum ille festinans educere, polliceretur in reditum se iustitiam facturum, ciulans mulier, *Quis tum inquit faciet te atrocis iniuria memorem?* tum ille, suspiciens in proximam Ecclesiam, *Hæc, inquit, erit testis inter me & te, & in signum iustæ ultionis.* Ibat ille & proxima vice per interpositos reversus, ubi vidit Ecclesiam, recordabatur dilatae quæstionis. Iussit igitur advocari mulierem, quæ præveniens, *Serenissime Rex, inquit, vir de quo sum olim quæstæ nunc meus est maritus, peperitque ex eo & iniuriam abolevi, cui Rex: Non ego, inquit, & per Othonis barbam senties dolabrum: facto dicta præstitit: nam virum ocyus securi percuti iussit.*

*Themistocles*, Simonidi petenti, ut in negotio quodam sententiam iniustam pronuntiaret, *Neque tu, inquit, bonus Poëta fueris,*

*si præter Musica modulos caneres: neque ego Iudex bonus, si contra leges pronuntiarem.* Plut. in Themist.

Phocion, Antipatro petenti, ut in gratiam suam faceret quidam pugnans cum Iustitia, *Non potes, inquit, Antipater, Phocione simul & amico, & adulate uti.* Amicus obsecundat, quousque paritur æquum & iustum; nec enim amicus ab amico, quod iniustum est petere debet. Adulator autem quidvis obsequitur. *Eras. in Apoph.*

Quod etiam confirmat *Agefilæus*. Dum enim quidam urgeret illum probè postulando, diceretque ei, promisisti, atque idem crebrò repeteret, quasi iam fas non esset negare quod petebatur: *Resistè sanè, inquit, siquidem iustum est, quod petis, promisisti, sanè minus, dixi, non promisisti.* hoc dicto elusit flagitatoris improbitatem: ille, verò cum nondum faceret flagitandi finem, sed subiiceret, *Atqui decet Reges præstare, quidquid vel capite annuerint: Nihil magis, inquit, quàm eos, qui Reges adveniunt decet ea petere loqui que, quæ iusta sunt.*

*Cato senior*, Magistratum aut Iudicem docebat nec pro iustis orandum, nec pro iniustis exorandum. Sensit culpam esse Iudicium, si, ut iustis æqui sint, orandi sunt, cum oporteat ultra favere bonis; pro iniustis orare fortassis humilitatis est, at exorari est à Iustitia deficiente.

Quidam petiit ab *Agefilæo*, ut se scriptis ad amicos suos Asiaticos commendaret, quò apud illos, Ius suum consequeretur: respondit, *Nihil esse opus litteris commendatricibus, nam mei, inquit, hospites (aut Iudices) sua sponte quæ iusta sunt faciunt, etiam si illis non scripsero.* *Eras. in Agef.*

Aliqui ponentes plus fiduciæ in favore quem à Iudice expectant, quàm in iure suæ causæ, eundem sollicitant, tanquàm de iustitia quid demere vel addere posset.

*Agefilæus* cum in causa quadam sederet tamquam *Iudex*, & is quidem, qui accusabat, rectè dixisset, patronus contra malè subinde tamen repeteret inter dicendum: *Agefilæe, decet Regem (Iudicem) opitulari Legibus, perinde ac si bonam haberet causam, & ab*

ab eo starent leges. Hominiſ improbitatem interpellas, Ageſilat. Si quis, inquit, tibi domum perfoderit, aut veſtem abſtulerit, num expectaturus es, ut architectus aut qui veſtem contexuit tibi fit auxiliuſ ſuſſurus? Subiudicabat Regem ( aut Iudicem ) eſſe veluti legum architectum, nec convenire, ut opituletur ei, qui contra leges aliquid petit vel admittit. *Plutarch. in lacon.*

*Ludovicus XII. Gall. Rex, Subpræſectū aurelianēſem, quo familiaritūſ uſus, ſæpeque injuſtitiaſ reum liberaverat; cūm in eo eſſent omnia ad perniciem proſtigata, damnari paſſuſ eſt, id adiiciens, Contendi privatuſ pro amico; Regnum autem adeptuſ leges mihi tunc dæ ſunt.* *Annal. Franc.*

Notandum particulariter hoc eſt, quod in tota ſacra ſcriptura tria iſta vocabula non reperiuntur, FAVOR, FAVERE, FAVOR.

*Hermes Agyptiuſ* tantā fuit æquitate & iuſtitia, non tantūm in Iudicando, ſed & uſ; cūm quid emeret, iuſtum ſemper exolveret pretium, cariuſque emeret, quām venditor æſtimaret.

*Q. Mutiuſ Sævola* eloquentiuſ Iuriſperitiſſimuſ, & Iuriſperitoruſ eloquentiſſimuſ, cūm aliquando poſtulaveſſet, ut ſibi funduſ, cujuſ emptor erat, ſemel indicaretur, idque venditor ſeciſſet, dixit ſe pluſiſ æſtimare; addiditque centum millia: uſque aded ab officio boni juſtiſque viri non diſcedebat. *Plut. in eiſ vita.*

David noluit accipere gratis ab Arcuna Ieſubzo ateam, quam habere volebat, ſed juſto pretio mediante. 2. Reg. c. 24.

Bianſis Brienziſ integritas in iudicandiſ cauſiſ ſequenti proverbio locum fecit, *Brienniſſi pollere Juſtitia.*

Sicut & *Bocchyriſ Agyptioruſ* Rex aded incorruptuſ fuit in Iudicandiſ legibuſ juſtitiaſ, ut ſi quem magnopere juſtum ſignificare vellent, *Bocchyriuſ* appellarent. *Suidas apud Eraſ.*

*Alphoſuſ Aragonuſ & Siciliæ Rex, Præſideſ Provinciariuſ & Iudiceſ omneſ monet, ne quod decretuſ vel reſcriptuſ à ſe factuſ ſervarent, niſi quod iure & veritate niteretur.* *Panorm. lib. 2.*

Imperator Trajanuſ qui aliquando prætorū præſectum eligent, ac gladium ei tradent dixiſſe fertur. *Cape hunc enſem, & ſi bonuſ ſeu*

(*Si iniustus fuero*) pro me: *sin minus, contra me eo utitor.*

Vnde Divum Gregorium corpus ejusdem putrofactum, & in pulverem usque redactum inspicientem, solam linguam invenisse illam ferunt ob justitiam quam perpetim colebat & tuebatur.

*Mari. Polon. in vita S. Greg. Chok. in Aph.*

*Persas* consueville ferunt, ei qui ex regis liberis natu maximus erat, quique in spem Regni educabatur, cum alios ad virtutem magistros dare, tum unum imprimis à quo *Justitiam* doceretur: censabant enim *Iustitiam* primas partes tenere.

*Padaios* autem, Indicam gentem, in sacris publicis, nihil aliud à Diis quàm *Iustitiam* petere solitos, dicunt.

*Fredericus Imp.* addendus, qui *Ladislauum* puerum Hungariz & Bohemiz Regem educabat: suadebant nonnulli ipsi, ut unius corpusculi casu, sine invidia & infamia duo florentissima regna sibi adiungeret: at *Frederico* pluris erat *Iustitia*, quàm Regnorum cogeris; & salutari monitione scelerata consilia repressit. *Quid ergo* inquit, *divitem potius quàm Justum regem me vultis.* Ibidem. lib. 2. c. 1.

*Antigonus Tertius Asia Rex* omnibus Regni sui urbibus scripsit, *Si quid in litteris, quæ eius nomine scriberetur, esset, quod legibus adversum videretur, crederent, ignaro se eiusmodi litteras scriptas fuisse, & propterea eis non parerent.* Sanctissimum prefecitò verbum, quod iusto maximè convenit, ut quemadmodum ipse populis præest, ita ipsi leges atque æquitatem præesse intelligatur. *Camillus Gilemus* lib. 6. c. 5. de *Iustitia*.

Tradunt quoque veterum monumenta *Ægyptiis* Regibus ex præscripto Legis antiquissimæ, motis fuisse, Iudices mox futuros iureiurando adigere, ne si Rex quidem iniusti quidpiam iniunxisset, à *Iustitiz* medio declinatos aut lineam moturos. *Plut. in Apoph.*

Quod autem *Iustitia* plus partibus proficiat, & ditare soleat, quàm ea, quæ iniusto iudicio ac sententiâ sunt acquisita, ostendet sequens historia per *Cæsarium* descripta: Abbas quidam nigri Ordinis, sicut retulit mihi quidam Abbas de ordine nostro, venit



ad Abbatem quendam Claræ vallis, dicens illi: *Domine. Ad-  
date mihi falcem, & ego dabo curvum vobis baculum*: ille quid  
cere vellet, statim intelligens, virum suscepit, habitum miravit  
& quia hominem prudentem eundem esse consideravit, non mul-  
tò post domui cuidam Ordinis nostri Abbatem eum præfecit. Eo-  
dem tempore illius fratres pro quibusdam possessionibus cum qui-  
busdam personis sæcularibus contenderunt: ventilata est causa  
coram Iudicibus, & data est sententia pro Abbate & fratribus.  
Postea Cellerarius Abbati secretè dicebat, *Domine bene bodie pla-  
citavimus: sciatis tamen causam nostram non ex omni parte fuisse ius-  
tam.*

Audito hoc verbò, Abbas satis turbatus est, tacuit tamen. Se-  
quenti die Capitulum intravit, Cellerarium proclamavit, & de-  
posuit: eo quòd avaritiæ suæ consulens suppressisset, veritatem: &  
misso pro adversariis nuntio, ait illis: *Boni homines, bona vestra  
vestra sint, ego à die hodierna non repetam illa. Qui cum gaudio re-  
cedentes, ita in Abbatis simplicitate & iustitia ædificati sunt, ut  
compuncti ocyus redirent, & bona pro quibus diu contenderant,  
grato animo Monasterio liberè conferrent. Quæ cum non con-  
sentiret Abbas recipere, Responderunt: Domine quidquid nostri  
iuris fuit in his bonis, remittimus, quod ad nos pertinebat Deo in electio-  
synam conferimus.* Tunc primum Abbas acquievit suâ recipere,  
magis claustrum suum ædificans suâ simplici iustitiâ, quàm Cel-  
lerarius suâ astutiâ avaritiâ. Lib. 4. c. 61.

Iniustitia autem in utroque extremo posita, una est illegalis,  
quæ opposita est Iustitiæ legali; alia secundùm inæqualitatem ad  
alterum: qualiscumque autem sit *Iniustitia* species, vel in excessu  
eius, quod æquum est, vel in defectu consistit; quia personæ ad  
minimum duæ concurrunt, agens & patiens iniusta, ut quantum  
uni decedit, tantùm alteri accedere necesse sit. Hanc esse vitium  
animi, quo ampliùs quàm par est homines sibi sumunt, dicit Ari-  
stoteles, & omnium morborum turpissimum; & idèd quoque  
pessimum, quia incommodum, & dolorem maximum homini  
iniusto infert.

Et secundum Aristot. l. 5. Ethic. ad Nicomachum, videtur esse *Iniustus*, & is, qui Legi non parer; & is, qui plus sibi sumit, quàm par est; & is, qui aequalitatem non servat. Qui Legi non parer, quia in quibuscumque Leges, in iisdem & Iustitia veratur. Hanc violat, quisquis se exlegem facit, & normam omnibus præscriptam à se unius alienam putat. Sibi plus sumit, quàm par est, quia sumit quod alienum est: alienum est autem quidquid meritis non respondet. Excessu pariter & defectu Iustitiæ proportionem violando, æqualitas non servatur, quam omnis iniustitia violat. *Putan. in Bivio.*

Universæ Iustitiæ opposita non pars est vitii, sed universum vitium. & Plato: *Summam esse Iniustitiam dicebat, iustum velle videri, si sis iniustus.*

Sed quod dolendum, Iustitia inanis ac festivi nominis sui plausu, & aures hominum Iustitiæ laudibus hac ætate circumsonant, præsertim in *Iudicio*, unde tamen audit pessimè inter homines: Proinde sicut multæ sunt *Iustorum benedictiones*, laudes & præmia: sic dum à Iustitia disciverunt, illam violando aut contemnendo, plurimæ sunt maledictiones & poenæ.

*Maledictus, qui pervertit iudicium advena, pupilli, & vidua. Deut. 27. & qui iustificat improbum, & qui condemnat iustum, abominabilis est uterque apud Deum. Proverb. 17. Causam vidua non indicaverunt, causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non indicaverunt; nunquid super his non visitabo? dicit Dominus, Ierem. 5.*

Quid faciet de iniustis iudiciis, qui ipsas quoque Iustitias iudicabit, qui cuique merita recogitabit? Veniet, inquam, veniet Dominus Iudicii, ubi plus valebunt pura corda, quàm astuta verba; conscientia bona, quàm marsupia plena; ibi Iudex non falletur verbis, nec flectetur donis. *Bern. in epist.*

Quatuor modis iudicium humanum pervertitur: *Timore, Cupiditate, Odio, Amore:*

Quatuor illa, *Timor, Murus, Dilectio, Rancor,*  
Sæpè solent hominum rectos pervertere sensus.

*Odia quippe & inimicitia quandoque Iudex movetur: Timor etiam, dum metu potestatis alicuius, veritatem sequi pertimescit. Nunc etiam accedit hic affinitate aut sanguine junctus: ille pater aut nova amicitia; ille magnis sponſionibus, magis orationibus: ille Secularibus aut Ecclesiasticis dignitatibus fulgentibus, quorum manibus quacumque purpurâ nitentia sperari filio matris possunt, aut maritus filiz: ille magnorum suffultus litteris, et armatus etiam non raro, nescio an non & Cataphractus: quæ non minorem metum quàm spem faciant: quid? quod muliebris non dico formæ, sed accedant preces, & doctæ mentiri lachrymæ, doctæ fallere, etiam coniugis nocturnæ. Numquid qui talibus in Iudicando ducitur, pervertit iudicium Christi, qui est Iustitia, & fructum ipsius vertit in amaritudinem damnationis. S. Augustinus.*

*A dextris erunt peccata occurrentia, à sinistris infinita demonia, sedentis horrendum chaos inferni, de super Iudex iratus, foris mundus ardens, intus conscientia urens, ibi vix iustus salvabitur! heu miser peccator, si deprehensus, quò fugies, latere erit impossibile, apparere intolerabile. Anf. de simil. mund.*

Iniquo Iudice nullum venenosius est animal. A serpente scilicet scotos se dolent quidem homines, sed non queruntur. fecit enim scotus, quod suum erat, quamvis non apud placitum patienti.

Numquid tales Iudices erant, qui etiam Socratem civem optimum, & in urbe sua clarissimum condemnarunt, Clodium sceleratissimum, & inter multa flagitia, notissimi quoque convictum adulterii violatarumque religionum absolverunt. Quorum quodnam esset iniquius dubitari potest: adeò ut in populo sub Iudicibus talibus degenti propositum animo esse debeat, aspera quilibet & iniusta patiendâ, si veniant, non desistendâ, cum venerint. Nam ut Iustitia iniustos, sic Iniustitia iustos premit, & sic ubi iniusta damnatio ibi iustus est reus. Nemo ergò sit tam pavidus, nisi pessimus, ut non potius damnari eligat iniusto iudicio quàm absolvi: quantoque est optabilior mens bona propitiâ fortunâ, quamvis illa laboribus, hæc deliciis affluat. plus dicam, Tanto est melius iuste etiam damnari, quàm iniuste absolvi, quanto est plus impunitum quàm punitum.

quorum crimen; in hoc enim scelere juncta Iustitia est, malo quidem magno bonum ingens: in illo autem scelus & impunitas, que nescio an scelere iplo pejor sit: Vna certè est Iustitiæ hostis, & multorum radix scelerum.

Apollodorus Socratis Amantissimus, sed alioquin simplex & ignarus, ait ad Socratem *At istud ô Socrates egerrimè fero, quod te iniuste damnatum video.* Cujus capite contrectato, Socrates respondisse fertur: *An tu, amantissime Apollodore, mallet me iuste, quam iniuste damnatum? simulque risisse dicitur.*

Præterea dum Anytum prætereuntem videret, Socratem his verbis usum aiunt: vir ille triumphat, quasi facinus magnum & præclarum egerit, me ita occiso; & quod filium non amplius conariam docendum existimet, cum tanti sibi deferantur à civibus honores; sed quàm stultus & improbus est ille, dixit, quoniam ignorat uter nostrum in omne ævum utilior & melior extiterit: Deterior verò est qui in tali genere certaminis victor fuerit: *Eccles. 5.*

Solatur etiam se Salomon, simul & eos qui infantes condemnantur spe judicii divini, quod scilicet Deus hæc iniqua hominum iudicia suo æquissimo iudicio reformabit; ac infanti suum Ius, & patientiæ coronam; iniquo verò Iudici meritum supplicium & poenam Talionis decernet, ac re ipsa irrogabit: hoc est enim officium Numinis & providentiæ Divinæ ut justis læsis suum Ius & firmam restituat, iniustis verò lædentes pro merito castiget. unde Sap. 5. c. *Iustum & Impium Iudicabit Deus: Eccles. c. 35. tunc stabunt Iusti in magna constantia adversus eos qui se angustiaverunt & abstulerunt labores eorum: Sap. 5. c. Iudicabit Justos & faciet Iudicium: ut tollat plenitudinem superborum & scepra iniquorum conturbet;* etenim, *omnia tempus habent, Eccles. c. 9.* quippe nocentes suum nocendi tempus habent, & innocentes patiendi: vicissim Dominus habebit tempus utrumque iudicandi, & sicut fures suum tempus habent furandi, ita Prætor suum tempus habet illos suspendendi. *A lapide in Eccles. c. 3. Drex. in Salomone.*

*Qui custodit, dicit Propheta, veritatem in sæculum, facit Iudicium iniuriam patientibus: Ps. 145.*

Sicut

Sicut autem, in irrogandis pœnis injustitiam committunt *Judices & officarii*, qui maleficos & mortis alteri que pœnz obnoxios, non meritis supplicii puniendos curant, sed ipsos ob munera liberos remittunt, aut ex aliquo affectus studio laxant, parvos furunculos in patibulum, & majores ac nocentiores studiosè liberantes suspendunt in loculis ac sub camino, araneosis suis retibus & vinculis, quibus prævalentes & petulantes non coërcentur nec irriuantur, juxta illud.

*Dat veniam corvis, vexat censura columbas.*

Ita peccatur ratione efficientis personæ, ut quando Orestes Clytemnestram matrem propter interfectum Agamemnonem matrum interfecit. digna enim erat Clytemnestra supplicio, verum indignus Orestes qui matrem interfecit.

Deinde etiam ratione pœnz, quæ sceleri proportionem non respondet: quoniam vel major est quàm deceat, vel minor, adeoque *iniustitiam* in puniendis sceleribus vel ratione personarum vel respectu immoderatæ pœnz Iudex iniustus committit. Exemplum sit in *Clagefurtino Corinithiorum*, ubi solent iis, quos furti suspectos habent, haud diligenti factâ investigatione in furcis cervices frangere. Triduo autem post, inquisitare per Iudicem: si verè furtum fecisse, quo arguebantur, inventi sunt, furcis appensos relinquunt quod si innoxii fuisse judicentur, à furcis detracti, impensâ publicâ cum honoris præfatione sepeliuntur. *Fulgen. lib. 2. c. 1.*

Varia autem extant supplicia determinata iniquis Iudicibus: sed quando delinquentis Iudicis pœna non est determinata, debet attendi, an per imperitiam læserit partem; & tunc tenetur ex quasi delicto. Quod fallit, quando errasset in articulo valde dubio, aut dolosè negat facere justitiam; & tunc tenetur ad verum interesse, sed non facit totam litem suam. vide Felin. in Repert. sùo.

*Solon* supplicia privatis hominibus tardiora constituebat, *Magistratibus* verò & *Reipubl. Administratoribus* velocia: existimans posse quocumque tempore de illis pœnas sumere; hos autem vindictæ sumendæ spatium non admittere. *Demosth. in Orat. contra Arista.*

*Sisa-*

*Sifamenem* patrem *Otanis*, quem *Darius* Rex oræ *Maritimæ* præfecerat, unum è *Regiis* *Iudicibus*, quod iniuste iudicasset, *Rex* *Cambyfes* interemit, interemptoque detractum corium in lora concidit, quibus *Tribunal*, in quo ille sedit, vestivit, ibidemque ejus filium *Otanem* sedere *Iudicem* jussit, ut memor esset, in quo *Tribunali* *judicaret*. *Herod. lib. 5. Val. lib. 6. c. 3.*

*Sit tibi lucerna pellis, sedesque paterna,*

*A manibus refeces munus, ab aure preces.*

*Decuriones* ac *alios* *Officiales* in suo officio delinquentes, metallorum ictibus puniri jubet *L. quilibet C. de Decur. lib. 10.*

*Metello* *Censori*, quod minus iuste cuidam pœnam irrogasset, aqua & igni interdictum fuit. *Val. lib. 2. c. 4.*

*Darius* *Sandacem* *Eolidis* præfectum, quod iniuste iudicasset, cruci affixisse fertur: *Alex. ab Alexan. l. 3. c. 15.*

Refert collector speculi, quod fuerit quidam *Drossartus*, pauperum oppressor, nec Deum nec hominem expavescens. is ultimâ infirmitate percussus, Medicum advocavit, ut remedia salutis corporæ impenderet infirmitati. At Medicus, quia vir prudens erat, & *Canonis* *statuta* non ignoraret, monet ut prius quàm medicinam corpori exhiberet, medicum animæ, Confessorem scilicet, requireret, ut si peccata morbo causam accersissent, ipsis præviâ confessione depositis, adversa valetudo avolaret: ad quæ monita *Drossartus* frontem in rugas complicit, & indignabundus ad Medicum dixit, Medicum te, non Confessorem vel prædicatorem advenire optavi: Præbe igitur auxilium corpori, animæ auxilium suo tempore ipse reperiam. fecit Medicus ut petebatur, remedium corpori, quod potuit, adhibebat, & abiit. Terrenda res! Intercurrentibus paucissimis diebus *Drossartus* prædictus ad mortem disponitur, invaluit languor, ad agoniam pervenitur, Assistent amici, servi, atque tota familia lectum morituri circumstant. Quibus ita agentibus tremulum castrum quaquaversum concutitur, arma ceteraque vasa in parietibus circumcirca pendentia, quasi casura quatuntur: inter hæc Pastores cum per totam diem circa gregem suum sollicitas excubias complevisset, & vel-

& vesperi ea hora, qua *Drossartum* in agonia non tam certavit, quàm victus occubuit, castris, more solito, refecturi, proximassent, strepitum quendam & horribilem armorum audire fragorem, ita ut totum ipsi castrum hostium catervis plenum æstimarent. Territi igitur, & animo vehementer conternati longius stabant, nec domum tam horribili fragore plenam introire præsumebant, cumque in loco per aliquam moram trepidi perstitissent, venerunt, qui dicerent, quid hæc stas attoniti? nec consueta hora castrum ascenditis, præsertim cum Dominus noster in hac hora spiritum pariter & vitam amiserit. Audientes Pastores *Drossartum* defunctum, & infelicem spiritum efflasse, statim intellexerunt fragorem illum, quem paulò antè audierant, non tam hominum fuisse quàm dæmonum: unde usque in hodiernum diem dicunt maledictam istam animam à dæmonibus ad inferna translata: Satius igitur fuisse pœnituisse, ac Confessoris remedia sanum quæsiuisse ( omnibus se mitem & iustum exhibuisse) quàm à tam horrendis comitibus ad æterna suppliciorum loca fuisse deductum.

In omnibus Tribunalibus sculpendum & ad omnes Iudices scribendum hoc tempore foret, quod olim *Andronicus Comnenus* Imp. Byzantiæ scribebat ad præfides & Magistratus his verbis: *Aut iniurias ( seu injustitias ) aut vitam relinquite; nam vos iniuste agere & vivere nec Deo gratum, nec mihi eius ministro ferendum.* Lips. in mon. c. 9.

Nec tantum mirandum est de *Judicibus* iniquis & pervertis, sed & de *Arbitris*.

*Natellus* è *Cevæ* Marchionum numero unus, inter duos *Cevenses* arbiter electus, ambos iurare coëgit, ei se daturus, quod ipse iudicasset. Iudicii autem ipsius fuit summa: *Quidquid illud erat, de quo inter collitigantes controversia esset, non ipsorum collitigantium, sed Natelli esse.* Fulg. lib. 8. c. 2.

*Fabius Neapolitanus* ex urbe, Nolanisq; de finibus inter se disceptantibus, arbiter datus, cum utrisque seorsum egit, ac tenuit, ut paululum suos fines contraherent, tum verò, quidquid agri in medio

medio relictum est, Romano populo adiudicavit. Fuit hoc, quis non vider, decipere, non decernere; non iudicatio, sed prævaricatio. *Maius autem est & deterius iniusta agere, & fidem fallere, quàm iniusta pati, & ab alio decipi.*

Quod etiam quandoque, dum Iudices immemores se tamquam *Dei vicarios*, ita Iustitiæ debere incumbere, ac si ipse Deus hanc exerceret, illam negligunt & pessumdant, *appellationi* fit locus ad supremum *Tribunal*, tamquam *à Iudice delegato ad delegantem*, sequentia exempla à novis & veteribus relata Auctoribus demonstrabunt.

*Frederico Anobbarbo Imp. Antistes Moguntinus* fuit, *Henricus*, vir pius, tranquillus suarum rerum; & ideò Romæ accusatus, ut ineptus sive inutilis muneris, quod gerebat: accessit *Arnoldus*, qui postea in locum eius venit, & fertur ab ipso Henrico missus ad purgandum, igni oleum addidisse; & purpuratorum quosdam Patrum corrupisse, & in se vertisse. Eò ventum, ut Cardinales duo Moguntiam missi, de causa quæsierint, Henricum damnarint; abdicarint, Arnoldum illum subrogarint. Henricus patienter id ferens, hætenus questus est, ut diceret: *Iniuste iudicastis. Appello igitur Jesum Christum, æquissimum Iudicem, ibi me responsurum exhibebo, venite.* Illi ioco eludentes, *Cum præcesseris, nos sequemur*: profectò factum est, nam ille post annum ferè & dimidium fato concessit, & rumore ad aures Cardinalium delato, iterum illudentes, *Ecce præcessit*, inquirunt, *nos sequemur*: secuti sunt, & uno die uterque subito obierunt.

Fidimus, *Lamberto Schafnaburgensi*, egregio, ut illa tempora tulerunt, scriptori, qui narrat *Burchardum* Episcopum Halberstadiensem iniquâ diu litem cum *Abbate Helnerdensi* fovisse super decimis Saxoniz, quas Episcopus Monachis ereptas, sibi vindicatum manu magis quàm iure ibat, neque spes aut ratio erat valenti adversario resistendi: cùm Abbas paucis ante mortem diebus Comitè Palatinum *Fredericum* ad se vocat, & extrema hæc mandata ferre Antistiti, rogat, *Se quidem lite imparem, lege meliorem, cedere, atque etiã vitâ cedere; sed Deum Iudicem futurum, ad quem appellaret.*



*Pararuntigitur se ambo, ut causam in tribunali dicerent, ubi gratiâ & potentiâ spretis, sola Iustitia posset polletētque. Neque diu pōst Abbas ipse febris obiit, statimque Antistes, cū equum conscendere vellet, ut fulmine ictus concidit, desiitque in vocibus, Abripi se ad Divinum tribunal ibi iudicandum. Lips. in Mon. cap. II. ar. I. & 2.*

*Petrus Matthæus Sequanus I.V.D. in lectione de Iudicium in ferendis sententiis verò & necessario officio, dicit, quod Franciscus Armonica Dux Egidium fratrem, à Consiliariis læsæ Majestatis falsò accusatum, in carcerem coniecit: ubi cū horrendo famis supplicio necaretur, fatalem diem tanti tormenti motam esse prævidens, advocato ad conscientię instructionem, pro viatico sui itineris præparando, Monacho Franciscano, fidem ab eo accepit, ut fratri renuntiaret, Intra quadragesimum diem ad Dei tribunal se sistere oportere. Franciscanus cū ducem in finibus Normanniæ invenisset, mortem fratris, eiusque ad summi Dei iudicium appellationem denuntiavit. Dux eo nuntio pērterritus ingenti symptōsmate corripitur, & paulatim morbi sævitiâ tabescens, ad diem conditum è vivis sublatus est.*

*Rodolphus Dux Moscovia, cū odii summi insidias moliretur adversus quendam equitem auratum, quem ided vincitum, cruciatum, sacco inclusum, in profluentem projici iussit. Eques jam in sacco coniectus, nondum tamen inclusus, Ducem, qui ad spectaculum accesserat, in fenestra conspicatus, altâ voce clamavit: Dux Rodolphe, ad tremendum Dei tribunal te voco, ut causam assignes, cur me immerentem tam acerbâ & indignâ morte perimis. Dux verd eam citationem cum risu excipiens, intrepidè respondit, Bene, præito, ego tum adero: exacto propè anno Dux in febriculam incidit, & appellationis recordatus, adstantibus dixit: Nunc mortis mea tempus instat, ad iudicium eundem, atque ita accidit: brevi enim post mortuus est.*

*Ottho Marchio Misnensis, per nefas in Ecclesiæ misnensis facultates irruit. Benno vigilantissimus pastor marchionē miti verborū humanitate monuit, ut ea quæ Misnensis forent Ecclesiæ, non coactus*

coactus restitueret, sin minus ad Iudicis Iustissimi tribunal hanc causam transferendam esse. Marchio homo furiosus *Benno*ni colaphum incussit: at *Benno* vir sanctissimus, *Et hanc quoque iniuriam, hoc eodem tempore sequentis anni Deus ulciscetur.* sed marchio ut vaticinium vanissimum, protervè irridens: *Quis te, ait, Episcopo Archigrammateum (Cancellarium supremum) in celo constituit? num Iovi à secretis es consiliis?* ita res in jocum abiisse visa: non multo post beatus *Benno* inter preces vitam sanctissime finiit anno 1106.

Marchio cùm tempus annum, & designatus à *Benno*se dies reddisset: *En inquit, adest dies quem Episcopus Benno nescio quàm periculosum minabatur: decessit ille, & cum eo vaticinium illius; non est quod quicquam metuamus.* Vix verba finiit & subito consternatus, presentium implorat opem; sed mors mandata exequens, ingemiscentem & multa luctantem abripit ad Iudicium quod ei *Benno* prædixerat.

In Hibernia *Patricius Ochelius* Majonensis Episcopus, & *Conatius Ornarius*, è divi francisci familia in carcerem unà sunt abrepti, ubi per quindecim dies extra omnem solem egerunt: & quia Angliæ reginam, esse caput Ecclesiæ negare non desistebant, prorex *Ocreas* butyro, sale, oleo & pulvere tormentario impleri, Episcopi pedibus induci, ita pedes bullienti aqua immergi iussit: detractis ocreis ossa carne nudata cernebantur, sed antistes sententiam non mutavit. additum ergo novum supplicium, & brachia cum tibiis inter duo saxa sunt comminuta, ac postremum capitalis sententia tam in Episcopum quàm eius socium fertur. ducuntur: ubi ad patibulum perventum est, antistes collo laqueum laxè indutus, postquam ad dimidiæ horæ spatium ea vi verborum dixisset, ut nec adversarii à lachrymis temperarent, denique ad Proregem versus, *Tu quidem, inquit, Prorex, hoc corpus miserè torquisti, & iniurias mibi multas intulisti, quarum hic ultionem non posco, sed te iam celo teste ad divinæ Maiestatis Tribunal cito, ut illic facti rationem reddas.* exacerbatus Prorex respondit. *I nunc, hominum perverissime, i quàm citissimo gradu ad inferos, tuam ego provocationem nec flocci facio.* Ita præsul

præful cum socio vitam finiunt: Prorex ad urbem Limnicensem profectus est, hic die quodam cum Barone quodam obambulans cum ad locum ubi duo illi fuerant suspensi pervenissent, Baronem intuitus. *En, inquit, hominem illum perfidum, qui ad Dei Tribunal me provocare ausus est, cum animus illius iam ardeat in tartaro, corpus in hac infelici arbore putrescat.* paulò post Prorex oppressus est morbo qui vitam ei abstulit die decimo quarto ab eo quo citatus est ad Christi Tribunal.

In Liguria Genuensium parte, triremes contra piratas emissæ, Gotholanam biremem suæ potestatis fecerunt: hujus navigii rectorem noctu patibulo affigi curavit Trierarchus Genuensis. miser ille licet conquereretur se numquam Genuensibus nocuisse, ad superiores se convertens, jussit ut ille suæ mortis auctor intra sextum mensem, ante Deum Iudicem compareret. neque vadatio fuit irrita, tempore condicto, Ligur extinctus est, vadimonium obivit: Quotquot innocentes pereunt, solatium certum ab Isaia vaticinio habent c. 49. *Hos verò, inquit, qui iudicaverunt te, ego iudicabo.*

*Franciscus Britannia* dux, cum mortuo patre fratrem germanum in carcere necari juberet, ab eodem ad Dei Tribunal intra annum de fratricidio hic responsurus vocatus fuit. nec frustra, Franciscus Hydrops laborare cœpit & intra spatium annale mortuus, divinam utique censuram sensit.

In Germaniæ vicina Gothia, *Ioannes Turso Judex*, dicta sententia, quendam capite plecti jusserat: hic cum alia defensio negaretur, in genua procumbens, *En, inquit, iniuste morior: sed te Judex inique in Ius voco, ut hac hora pro capite dicas ad Dei Tribunal.* furdo nœnia: vix autem insons carnificis manu obruncatus est, cum & ipse *Judex* velut fulmine ictus ab equo corruit exanimis: quid reis fiet si sic Iudices ipsi raptantur ad Iudicium?

Anno salutis 1606. miles Germanus natura non infacetus, cum signo dato ad excubias vocaretur commilitonibus subridens dixit, *Redeunt ad nos excubia, rediret utinam & nuntius pecunia.* excepta vox est & ad ducem relata, qui prætore rerum capitalium vocato, jubet in hominem qui voces seditiosas iparsisset serid animadverti.

MOX

mox in vincula miser trahitur, torquetur, & capite damnatur, miles optimè sibi conscius, audita mortis sententia, nonnihil cohortuit: ubi autem animum recepit, terrifico clamore Duci inclamat: *Post tres hebdomadas hac ipsa noctis hora rationem Deo reddes de meo sanguine*: at Dux subridens, *Tu inquit hac oracula formidolosis canit, vaticinationes iste militem non terrent: sed abi iam seditiosum caput in malam crucem*. ita nec diequidem expectato, media nocte hora duodecima ducitur, & infelici arbori suspenditur: manè in terrorem ceteris spectandus exponitur transfixis præcordiis.

Dux indicto temporis spatio jam jam elapsuro, cùm hora noctis duodecima ad excubias visendas abiret, è ponte navali decidit & submersus est. uter horum securior ad Christi Iudicis tribunal steterit, tu mi lector, attentius tecum expende.

Bello & pace bonus Princeps quidem, sed in iudicando præceps & rigidus fuit: ut Caruajalii duo fratres Petrus & Ioannes suspecti essent de occulta cæde Bonavidii primarii inter Nobiles: sed suspecti neque testibus aut probationibus convicti nec facti: tamen ut res erat, duci eos jubet, & de rupe alta præcipites dari: cum id fit clamant & vociferantur, *Innocentes se mori, & quoniam regis aures iustissimæ defensionis obstructæ essent, sese igitur ad summum Iudicem provocare, & regi diem dicere, ab isto (qui sibi ultimus esset) trigesimum*. dicta nil valuerunt, tenuit sententia, etiam ipsorum yadatio, nec tempore nec die fallax: nam cum rex animi securus, Alcautendem in castra abiisset, contra Mauros, ibi morbo statim tentatus, sed levi, Gienium se contulit, atque ecce VII. Idus Septembris, id est trigesimo à supplicio die, in lecto exanimatus repertus est, in ipso ætatis flore, annos natus 24. menses novem.

*Non facias violentiam pauperi, quia pauper est, neque conteras egenum in porta, quia iudicabit Dominus causam eius, & configet eos qui confixerunt animam eius.* Prov. c. 22.

*Discite iustitiam moniti & non temnere divos.*

Non contempsit divos sed sapuit in tempore *Comes Hannonia*, quem volentem Valencenis Canonicos qui religiosi legibus vivebant

vebant è templo *divi Joannis* expellere, & eorum loco alios legibus iis solutos reponere, Abbas ad divinum provocavit Iudicium: imminente die iudicio constituta, cœpit & grotare Abbas, precibusque ac sanctis actionibus ad causam in supremo tribunali pererandum præparare: sub idem omnino tempus & Comes in motum delapsus meminisse cœpit diem sibi ab *Abbate* dictum, quæ ante summum Iudicem uterque quæstioni appareret; quare mutatis consiliis, ne vadimonium obire cogeretur, se causa cedere significavit. Sapuit Comes, non cum Phrygibus, quia sapuit mature, maluitque lite cadere, quàm litigare injustè. *Hæc & plura vide apud Drexel. de Ind.*

Vtinam & multi Iudices & multi litigantes saperent mature, moniti prædictis exemplis & testimoniis, quibus constat homines sanos ac incolumes à monentibus ad Iustum Dei & terribile tribunal invitatos, eaque vi verborum postulatos, ita ut provocati provocatores suos statò tempore post mortem ad Iudicium sequerentur. hæc de tali sufficiant materia, progrediamur autem ad ceteras justæ Iudicis partes, cujus licet insignis sit & sancta functio, quæ tenet libram pro symbolo & qualitatæ, & qua societas humana non minus carere potest, quàm mundus Sole: *Sapientia enim & quidem pulcherrima pars est agere negotium publicum, cognoscere, iudicare, promovere & exercere iustitiam* (Plin. lib. i. ep. 10.) Cavendum tamen est Iudici, ut non sicut sol, qui alios calefaciens, in se non habet calorem, ita Iustitiam administret, & non sit Iustus: sed sit similis perpendiculari, quod prius est in se rectum antequam, illa, quibus adhibetur, recta faciat: regat passiones suas, amet veritatem, excutiat omnem vanitatem, detestetur Avaritiam, & magnum Dei timeat Iudicium: *Faciat Iudicium sui & Iustitiam alterius*: qui enim bene loquitur, agit autem male, hic frustra vel hominibus bona loquitur, vel à superis, bona petit, non concedentibus: Ac tum sequitur ac fit quod asserit *Marsilius Epist. lib. 4.* malum non esse incidere in hæc quæ vulgò dicuntur mala, nisi malis dignus fueris; mala enim non paritur nisi malus. non etiam esse bonum hæc habere quæ dicuntur bona, nisi bonis dignus fueris.

**fueris** : bonis enim non fruitur nisi bonus; non ab externis interna sed ab internis externa dependent : & qualis in se quisque est, talia cuique sunt quæ accipit. non tam de sorte, quàm de electione, conqueri possumus : Mala continuè cogitamus, nos agitant undique mala : mala quotidie sequimur, meritò nos mala sequuntur : Crudelitatem plurimum exercemus, crudelitas vicissim nos exercet : Clementiam fugimus, fugit & nos clementia : *Quò magis sponte humanam iustitiam fugimus, eò magis Iustitia nos divina inuitos assequitur* : in ipso scelere sceleris est supplicium, boni præmium est in bono. bona cras tantùm agimus, bona cras accipimus : agemus mala hodie, hodie mala patiemur : dissonamus ipsi nobis, dissonant vicissim nobis omnia; nullaquæ vel dissonantia magis offendit, vel consonantia magis delectat, quàm Cordis & linguæ, verbi & effectus : frustra autem sapiis aliis, si non tibi ipse sapiis : & ne frustra colas alia, imprimis etiam cole te ipsum.

Summum quippe est malum & genus stultitiæ est, aliis fecisse lucrum, & sibi parare supplicium. *Valerianus hom. 10.*

Proinde memores sint Iudices, omnium Iudicium Iudicis Dei, cuius illud. *Ego iustitias iudicabo, Pl. 74. & secundum viam eorum faciam eis, & secundum iudicia eorum iudicabo eos. Ezech. 7.*

Audiant Iudices è iudiciis suis, Dei Iudicia expectanda; qua nimirum mensura mensi fuerint, remetietur illis. *Non transibo nec parcam, nec placabor; iuxta vias tuas & iuxta adinventiones tuas iudicabo te. Ezech. 24.*

Ceterùm deberent Principes ac superiores in eum Iudicem qui à Iuris & æquitatis ratione discesserit gravissimè animadvertere : abditum sunt humanorum animorum recessus & fraudes in iis multæ; consultumquæ esset nonnunquam rationes officii à Magistratibus reposcere viderequæ an non ex ærario publico ditentur : quippe administrator ditari præsumitur ex pecuniis, & ex suo officio quæsiuisse, quod post officium reperitur habere. *Bald. in l. cum oportet. C. de bonis quæ liberis.*

Vnde rectè constituit Imperator C. lib. 1. tit. 50. *Ut omnes Iudices tam civiles quàm militares post administrationem depositam,*  
*quim-*

*quinquaginta dies in civitate vel certis locis permaneant: qui titulus & lex unica ibidem, nititur hac ratione, ut rectores provinciarum ac Iudices jam potestatis terrore vacuos omnibus criminaliter & civiliter conveniendi de iis quæ in officio commiserint libera potestas sit. quod etiam ad Magistratum ministros extendit lex tertia. (C. de assess.) quæ res in tractatum Syndicatus cadit, id est, disquisitionem rationum officii gesti, qui in Hispania, venetiis, & alibi contra Iudicum excessus utiliter adhibetur, (Tuld. d. l.) ut alius quilibet hoc exemplo deterritus simile aliquid facere perimescat. Sicut & de Iureiur. l. 1. C. ad l. Iul. repetun.*

Contra tales etiam lata est L. Julia repetundarum: quæ non tantum tenetur is qui accepit ut contra officii religionem faceret, sed & is quoque qui ut id faceret quod officii ratio præscribit: quia ex pulcherrima Catonis sententia, *Magistratus non magis orari de iis debet quæ aqua sunt, quàm exorari in ea quæ iniqua sunt.*

Pœna autem ex hac lege pro admissi qualitate irrogatur arbitrio Iudicis: veluti exilium, atque pecunia in quadruplum repetitur (unde *repetundarum* nomen fluxit) etiam si ministri Magistratus acceperint, quia eorum culpam ipse præstare debet, cujus est eligere fidos, observare suspectos, coërcere corruptos, præsertim cum alioqui facilis esset occasio eludendi legem colludendo cum corruptis ministris, Ideoque ex admissio quoque vxoris multo magis ex sui substituti facto regulariter tenetur, & contra hæredes ex hac lege iudicium instituitur, ut & de peculatu. L. 4. S. 1. de offi. procons. Tuld. ad L. Jul. repetund.

Porrò Iudex vel Magistratus processum venalem faciens, vel sententiam venalem proferens, à quolibet potest accusari dignis subjiciendus pœnis, acufatore ex hoc gloriam & honorem reportante; ut est textus clarus. cujus hæc sunt verba. *Iubemus atque hortamur ut si quis fortè honoratorum, decurionum possessorum, postremò etiam colonorum, aut cuiuslibet ordinis, à Iudice fuerit aliqua ratione concussus: si quis scit venalem fuisse de Iure sententiam, si quis pœnam vel pretio remissam, vel vitio cupiditatis ingestam, si quis postremò quarumque de causa improbum Iudicem potuerit approbare, is vel admini-*

*strante*

*fransi eo vel post administrationem depositam, in publicum prodeat, crimen deferat, delatum approbet: cum probaverit, & victoriam reportaturus & gloriam.* L. Iubemus C. ad L. Iul. repet.

Quamvis autem communiter honestiores & in dignitate positi levioꝛe pœna afficiantur quàm plebei: id tamen contra se habet in iis criminibus, quæ cum violatione fidei officio publico debite sunt conjuncta, & in quibus ad communem delicti turpitudinem, violatæ officii religionis dedecus adjicitur: ita si Iudex innocentem dolo malo capitali Iudicio condemnet, gravius plectetur quàm quilibet sicarius.

Ita Magistratus concitatæ seditionis convictus, acerbius quàm aliquis de infima plebe puniendus. Nam quânto quis majore industriæ integritatisque fiducia altiùs evehctus, delicta iniuncti muneris religioni adversa commiserit: tanto graviore reatu se induit, arctiorem fidei necessitudinem rumpendo & decus dignitatis calcando. *Tulden. de princ. Jurisp. lib. I. c. II.*

C A P U T XIV.

*De integritate & incorruptibilitate Iudicis.*

**C**onsilio Iethro sacerdotis Madian Moyses usus, elegit Iudices viros potentes & timentes Deum, *In quibus erat veritas, & qui oderant avaritiam,* Exodi. 18. Quales etiamnum hodie expetendi optandique sunt, præsertim in summa & exemplari Iurisdictione, ne quid ambitioni, ne quid cupiditati, ne quid avaritiz odio aut studio in *Iustitiam* liceret, virginem suapte ingenio integram & ad perpendiculum rectam; ut quæ ad charitatem civilem omnia referenda putat, & suum cuique tribuendum, quâ dum Iudices ad quæstum abutuntur, ambitiosâ Iurisdictione gaudentes & incundæ à potentibus gratiz, aut necessitudinibus iudicatu comparandis, non tam *Iustitia administri* sunt, quàm *Iustitia adum-*

M m

adum-



*adumbratores.* Aliud enim est, Ius suum cuique tribuere, quod munus est iudicandi; aliud in alieno jure sub tectorio personæ in Tribunali sedentis, partem sibi præmordere, quod non est iudicandi munere fungi, sed prædandi Ius, coloremque quærere, ac sibi adsciscere, personæ velamento. Sic enim fit, ut Iurisdic-tio sæpè sit alieni juris captio, quæ species iniuriæ longè lateque in Iure hac ætate quibusdam in locis conspicua est, si famæ testimo-nio non credendum esse ducimus. Ac & Iura, quæ quondam au-reæ ætatis æqualia, liberalia, fuisse memoriz proditum est, nunc & jam diu ferrea facta (ut Maro appellavit,) tamen aurifera esse dicuntur dumtaxat eorum ministris & cultoribus. Quibusdam enim in tribunalibus iurisdic-tio ita est constituta, ut omne offi-cium iudiciale, & turba Pragmatica, non ad lites dirimendas, minuendalque discordias, sed ad cauponandas controversias, ut prisco verbo utar, tendere videantur, & ibidem ære prolato se tueri jusque suum certius sit & consultius ad iniuriam amolendam, quàm Iuris æquitatisque præsidio. Avaritia enim quæstus sordidi studium, ubivis propemodum gentium & locorum grassans, se-dibus suis expulit è Iudiciis Germanam Iustitiam. *Bud. in forensf.*

Quid est enim Iustitia, quid est Ius civile, ait Cicero pro Cæcin-na? *Quod neque insecti gratiâ, nec perfringi potentiâ, nec adultetari pecuniâ possit:* Quod si non modò oppressum, sed etiam desertum, aut negligentiùs asservatum erit, nihil est quod quisquam se habe-re certum, aut à patre acceptum, aut relicturum liberis arbitrare-tur. hætenus ille. Ex cuius verbis si jus æstimare velimus, quo-tam hodie partem juris Germanam habemus & puram à corrup-tionis adulterio, per quam spurium jus, ac nothum, indiesque eva-rians, atque ab antiquo degenerans, natum esse videmus, & multa in speciem famamque Iurisdictionis rectæ & probitatis comparata sunt moribus, quæ reverà inania tantùm sunt simulachra: *væra Iu-stitia.* *Bud. ibid.*

Neque verò diffiteor, aliud esse quæstum sordidum circa res ju-dicandas iudicatasque facere; aliud honorarium legitimum & ho-nestati innocentieque non dissentiens; memori de illis enim atque

atque ita contentis. Iudicibus hinc non agitur, nec dictum volo, sed qui sibi munificentia atque obsequio acceptum ferre volunt, quod Iuri ac legibus se debere intelligunt, & beneficium in iudicando magis sequuntur quam Ius & æquitatem, candidi, innocentisque & viri boni nomine sunt indigni. Vnde & *Judex* qui alteram litigantium partem vel minis vel persuasionibus terret, vel ab ea aut munera, aut summam aliquam pecuniariam accipit, ad eum finem ut in gratiam eiusdem partis, aut debito citius aut tardius iudicet, aut omnino non iudicet, aut certè ut aliter iudicet quàm debet, vel quàm Iuris regula monstrat, crimen committit *Concussionis*, quod punitur arbitrarie, cum restitutione principalis & quadrupli atque exilio pro modo delicti. *Damboud. in praxi crim. c. 129. ibid. diversa Iuris loca citans.*

Et sicut *Concussio* se habet in Iudice active, ita & *Corruptio* passive: qui enim munera accipit & pecuniam à parte, etiam si illa non quaesiverit, nec ad ea danda partem coegerit, ad effectus & modos suprascriptos, is Iudex dependet quadruplum, cum restitutione principalis, quod acceperat; pecuniam verò quam accepit, non teneretur reddere ei, qui turpiter dedit, sed ei, in cuius iniuriam accepit.

Socinus Reg. 37. dicit, quod etiam committitur *Barrataria*, quando præmium vel pretium Iudici datur, etiam si Iudex iustam & bonam sententiam ferat. Non enim licet Iudici vendere iustum *Judicium*, (multò minus Inustum) & *filiceat* *Advocato* vendere inustum *patrocinium*, & *Jurisconsulto* *rectum consilium*. II. q. 3. c. non licet.

Quicumque autem iniustam dederit sententiam scienter, quicumque de causa, sive corruptus pecuniâ, sive amore vel odio; tenetur de omni damno & interesse parti læsæ, & in causa civili punitur in triplo: In criminali, dum innocens mors est subsequuta, capitaliter, aut perpetuo exilio, aut aliter, iuxta qualitatem facti, aut corruptelæ.

Fieri etiam *Concussiones* & *Corruptiones* possunt in corde, propter affectum & desiderium; in ore, ob gloriam & sui prædicationem

*In manibus vel operibus, munerum gratiâ. Ultimum modum Iura puniunt: duo priores diuinæ punitioni subiecti remanent. Damb. d. loco.*

Ceterum non immeritò Imperator asserit, corruptelas Iudiciorum & Iudicum omnium malorum causam & flagitiorum finem & principium: *Quem enim murum integritatis, aut vallum fidei providebimus, si auri sacra fames in penetralia veneranda proserpat: quid denique cautum & securum, si sanctitas incorrupta corrumpatur?* (L. 29. si quemquam C. de Episc. & Cleric.) Sed malum hoc usque adedò inolevit, ut iam ex consuetudine vendantur leges, corrumpantur iura, sententia ipsa venalis sit, *Et nulla iam causa esse possit sine causa.* De Bustris.

In tantum pecuniæ regnum invaluit, ut desperetur de fide Iudicis, qui repellit munera offerentis: si pacisci detrectas, pollicentis videris odisse causam; & fortasse vel munere vel affectu crederis præcorruptus, si permanere vis incorruptibilis. Quid plura? nihil videtur esse tam munitum, quod non violari aut expugnari pecuniâ possit.

*Aurum per medios ire satellites*

*Et perumpere amat saxa, potentius*

*igne fulmineo.*

Horat.

Malleus argenteus dissecat portas ferreas, & rincerent captivæ, polluto Iudice, leges: ubi nummus loquitur, Tulliani eloquii tuba rancescit: ubi pugnat pecunia, virtus expugnatur Herculeæ: nummus vincit, nummus regnat, nummus imperat universis. *Alanus de conquest. natura.*

Veteri celebratur proverbio, *Quia vacua manus temeraria petitiō est: & importunus precator esse videtur, qui dandas res, ad verba, confidit.* Vnde præterquam quod moris sit, Advocatis scriptitantibus non modò apud Iudices, legum, morum, formulæque forensis præsidium implorare in auxilium causæ, atque etiam fidem Iudicum, intimosque sensus, & prudentiam veluti supplementum pecuniæ scriptiois, ac huiusmodi ferè ultima manus clausula: ad causarum tamen maiorum conflictum, quibusdam in foris ac consiliis

filiis committendum & moderandum, non tantum Themidem consultam, non tantum Peitho facundam adsciscere, sed etiam Charites; moribus receptum est, quarum latè patet auctoritas & vehementer pollet. sed gratiarum non una est natura, æquaque omnium facultas ad fomenta causarum laborantium: in gratis gratuitis & ieiunæ comitatis vel effætz, non magna spes collocanda est. *Gratia prægnantes*, &, ut inquit Plautus, *gravidæ*, magnam vim cõmendationis apud Iustitiam & Iudices habent: *Ex Budao.*

Quis nunc erubescit dicere? *Quid mihi dabis, ut tibi iustitiam faciam?* Nonne simile est, ac si dicatur, *Quid mihi vultis dare, ut abnegem? officium perdam, & Deum vendam?* S. Greg. lib. 12. Moral. Si quidem, teste Propheta, *In quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus, transibunt iniquitates in penam, & munera in dolorem;* quia, testimonio Iob, *Ignis devorabit tabernacula eorum, qui munera libenter accipiunt.* Pet. Blesensis. *Donec accipiant, osculantur manus dantis, & in promissionibus humiliant voces suas, in tempore retributionis postulabunt tempus.* Eccles. 29. Bis autem talis decipitur; semel quod *Iustitiam* animamque viliozem habet, quàm pecuniam; & iterum quod felicitatem quærat & quietem in spinis, quibus *Veritas* comparavit opes: non enim minùs spinosæ sunt quàm *Echinus* aut *Erinacius*, cutis angentes animum habentis & amanti eas, ut auget seruetque. Sciuntur enim veloces esse, & ed citiùs abire, quò velociùs advenire, & quasi indomitæ apud neminem manent certò. Cum labore acquiruntur, acquisitæque cum timore servantur, & tandem cum dolore gravissimo amittuntur: anima hæc affectibus implicita, nequit profecto magnanimum quid aut gloriosum inrueri, sed tanquam lippitudine quadam perturbata in tenebris versatur: unde & Christus divitiarum fraudes & sollicitudines *spinas* meritò appellavit; nam quemadmodum spinæ steriles sunt, ita & divitiæ: sicut illæ quæ tangunt, lacerant; ita harum cupiditas, sicut facillè igne comprehenduntur, & odio habentur agricolis, ita sæculi negotia: ut inter spinas feræ, viperæ, scorpil delitescunt: ita in fraudibus divitiarum. S. Chrysof. in Joan.

*Spina*

*Spina* etiam sunt, eo quod invidiam aliorum excitant & irritant: plurimæ enim lites propter opes sunt, & iniquas, propter rotundas, & volubiles opes, in talibus opibus jus suum, & seipsum includit, ut *Echinus* spinis suis escam abripit, & illis se contra omnes insidias involvit, immotus, non actu se vel solerte aliquâ vi defendens, sed involuero spinosâ ac rotundo. Nec ab similes sunt pectini ferreo, seu instrumento, quo linum in tenuissimas fibras divellit, & à stupa purgatur: ita ut hæc pectini adhæreat, illius putum transeat; illa futura, aut fomes ignis explodendæ tormentis, aut monile non baccatum furis, aut certè in alium vilem usum: hæc verò non solum proximum delicatæ carnis tegumentum, à rudiori lana illam defendens, sed & ornamentum in plurimis etiam divinis.

Huic autem instrumento similes sunt divitiæ non solum propter *Spinas* seu *sylos ferreos*, sed etiam eo quod divitiarum amator non potest fieri filium, quod transeat per foramen acus, quâ *Deus* sibi facit vestem gloriæ ab intus fimbriis aureis, circumamictam varietate, eo quod talis per divitias non transit peregrinus ut *linum*, sed hæret ut *stupa*, ideoque *stupa* à veste indutus est in tenebras proiciendus exteriores, & futurus pabulum ignis, & tormentorum exercitium. Angusta quippe est via, quæ ducit ad regnum. Quisquis ergo honoribus inflatus fuerit & auri thesauris dilatatus, tamquam onustum animal transire non poterit: *Tam enim est angusta diviti portæ cælestis, quàm est camelo acus foramen.* S. Max. lxxm. de S. Mich.

*Solon* existimabat argenteum quidem numisma esse privatæ commutationum causâ inter privatos repertum: *Leges* autem putat civitatis *munisma* esse. Itaque Iudices oportet multo magis, si quis illud, quod civitatis munisma, corrumpat & adulterium inducat, odisse & punire, quàm si quis illud quod privatæ sit. Qui etiam *Rempubl.* eo magis diminui dicebat, quò res privatæ auferrentur eorum, qui publicis muneribus præ sunt. Solet enim populo ut plurimum plus avaritia, quàm hostium rapacitas obesse; si quidem hæc finem suam, altera nullum umquam acceptum judicetur.

Is quippe solus, auctore Themystio, *Verus est Iudex, verus Princeps, qui auro est inexpugnabilis.* & qui, ut ait Bion philosophus, *studet à Magistratu discedere non ditior, sed clarior.*

Optimus proinde *Magistratum Advocatus* est, *Paupertas*, ut dicebat Ioan. Pontanus Ferdinando Neapolis Regi: nam cum in Magistratu incorrupti animi & puræ manus non leve argumentum est inopia, & adversus quosvis calumniæ ictus scutum optimum: contra, vix video quomodo ii, qui in officiis constituti parvo temporis spatio ingentes divitias congerunt, à rapinæ, vel, ut lenius dicam, acceptionis munerum crimine sese vindicare possint. *Tymp. c. 3. n. 6.*

Tales Iudices & Magistratus custodiunt populum, non ut pastores gregem, sed ut lupi. *Dio. in Augusto.*

Vnde & similes assimilari possunt *Rubo spinoso stanti in campo*: nam, sicut experientia docet, ingruente tempestate oves ad rubum currunt, sub illius protectione succursum expectantes habere: sed si rubum tangunt, statim illaqueantur, nec evadere possunt, quin partem lanæ suæ perdant, & sic possent toties ad rubum venire, ut tandem seminudæ recederent. Si veniat ad rubum *Vulpes dolosa, serpens tortuosus, vel lupo rapax*, percurrit rubum toties quoties voluerit, & nihil nocebit illi: sic quando pauperes & innocentes oves patiuntur frigiditatem & tempestates persecutorum ac iniuriarum, frequenter currunt ad *rubum* hoc est *Iudicem, ad officiatum, ad Magistratum*, putantes ab illis habere remedium: sed si tangant *rubum*, illaqueando se in legibus eorum, non evadunt, quin *lanam*, id est pecuniam suam perdant, modò uni, modò alteri elargiendo. Et consumptâ *lanâ* non ampliùs audiuntur, non admittuntur: tum *Iudex*, potestatem sui ad eundi non facit, & copiam jus ad eunti invidet, quia ut ampliùs det non habet, juxta versum ::

*Accusatus dum venerit ante tribunal;*

*Profit in nibilo, si venerit absque dativo ::*

*Nulli charus eris, si copia deficit aris.*

Actandem veneno judiciali intereunt eorum causæ, & sordibus atque

atque ære prolato ab altera parte, evincuntur, & sic nudus recedit. Dum autem venit ad *rubum vulpes*, scilicet falsus aliquis *Quæstor*, aut usurarius, aut *serpens* tortuosus, *subtilis Litigator* vel *procurator caute-losus*, aut *lupus* rapax, tyrannus impius & crudelis, tangit *querubum*, immiscendo se legibus eorum, poterit *rubum* toties quoties placuerit, penetrare, Legis ordinationem transgredi, & nullum parietur nocumentum. *Ex Isid. de symb. lib. 3. c. 55.*

Numquid ergo leges araneorum telis & retibus similes, quibus ut muscæ, & volatilia alia minuta, si in eas inciderint, capiuntur & pereunt; fortiora verò perruptâ telâ facile quoque liberit elabuntur? ita leges imbecillum ac tenuem plebeculam cohibent ac castigant; potentioribus verò nihil adversatur, qui eas ex arbitrio tollunt, scindunt, abrogant, & refringunt.

Vnde de legibus sui ævi, vel potiùs de hominum iudiciis, ac mollitie questuse est olim *Solon*: Rogatus enim *Quid esset lex?* subjunxit, *Aranea tela*: si quid in eam *Leviusculum* inciderit atque retinetur; si quid autem gravius immissum sit, rescissa penitus fractaque telâ elabitur: nimirum araneæ tela implicatur, muscæ gracilis, non carnea elephanti moles.

Ita tum temporis, inquiebat sapientissimus *Solon* (utinam & non hodie) *Reipublicæ* accidisse videbatur, debilitata jam, abjecta, ac prostituta iustitia, legum vis omnis & nervus fractus esse credebatur: si quis enim in leges peccasset, earum vinculis tenebatur, si modo levis & nullius momenti homuncio foret, si *Irus* aliquis, & opibus & amicis vacuus; at si potentior unus aliquis, si amicorum gratia, ac favore septus, si multo auri pondere gravior, excidebat ille è legum vinculis, nec iis, quamvis esset reus, & noxius, teneri poterat, quia lex iis erat *Aranea tela*: verùm hoc convicium, hæc labes legibus inuri non debet, sed hominum vitio ac malevolentia adscribi. *Lobb. in spec. Eccles. c. 6. §. 7. p. 2.*

Araneorum tela magnis rumpitur muscis, minores strangulat. *Rei* potentes, iudicum sententiam ore ducunt munerum; qui nil habet quo torqueat leges, in pelle pauper plectitur. *Schoenh.*

*Diogenes* conspicatus duci quemdam, qui phialam ex ærario fur-

fura-

furatus fuerat, *Magni*, inquit, *fures parvum ducunt*: utinam hoc non verè posset dici in *Iudices*, *Scabinos*, *Officiatos*, *Magistratus* aliquos Christianos, à quibus ad laqueum adigitur interdum, qui decem drachmas sustulit, ipsi impunè magnis furtis vel peculatu potiùs ditescunt: (*Laert. lib. 16.*) Ad hoc lepidè quidam rogat quare parvi fures suspenduntur? quia non satis furati sunt, ut vitam redimerent, idem respondet: *M. Cato dicebat, privatarum rerum futes in compedibus vitam agere, publicarum in auro & purpura conspicuos incedere.*

Budzus in suis forensibus ait, quòd prædiatores homines, sunt juris prædicatorii periti, prudentesque qui Iura noverunt, quibus prædia possidentur: Multi autem homines sunt egregiè prædiati, qui prædiatores non sunt: quæ sententia retrorsus etiam valet.

Ut bilanx in eam vergit partem, unde plus accepit; sic quidam Iudices nunc huic, nunc illi favent, qui scilicet plurimum det, non cujus causa sit optima. *Et as. in similibus.*

*Ibi fas, ubi plurima merces.*

*Munera excæcant oculos Judicum, & vim auctoritatis inclinant.*

In quam rem legitur Florentiæ quendâ officiatum, cõminatam fuisse cuidam Macellario, quia non venderet carnes suas secundum debitam stateram. Ille verò interrogat quendam, si officiatus comedebat? & intelligens, quòd sic, & libenter de bono: ipse Macellarius, cum semel transiens ibi officiatus & ei minaretur, respondit, *Ego tibi eruam unum oculum.* Cum igitur reversus esset officiatus ad domum suam, Macellarius misit ei quartam partem vituli faginati, quam ille videns, statim manu clausit oculos, *Hem mihi*: inquit, *quia eruit mihi unum oculum, & parum defuit, quin eruerit alterum.* & postea amplius Macellarium non molestavit.

*De Bustis.* Gladius conditur ubi aurum suscipitur. *Cassiodorus.*

*S. Felix Cappuccinus*, dum in domo cujusdam *Iudicis* ferretur vitulus ad recommendandum jus bonum unius partis, incepit mugire vitulus, ac tum *S. Felix* ad *Iudicem*. Audisne? quid sibi vult dicere hic vitulus? Ipse rogat, ut des victoriam illis, qui hunc



tulerunt: *Sed cave, nihil tentes contra conscientiam, ne in die iudicii hæ donationes tibi sint damnationes.*

Honoraria Iudicum & bellaria, quæ Inspectorum nomine dantur, *Dicaſtica* à Græcis dictæ sunt: At sportulariam facere dici possunt ii, qui quæstum eo nomine faciunt assiduam & uberem, ac *Sportularii* vocantur, & fortasse *Tragematici*, nam multi sub Iudicii nomine cupiditatem suam implent.

Iurisdictio ita quæstuaria, non tam Iustitiæ vice fungitur, jus suum unicuique tribuendo, quàm cupiditatis œconomicæ, messem in alienis agris faciendo. *Qui autem odit munera, vivet.* Proverb. 15.

Quod *Beatus Eugenius* munera cautiùs fugitabat, ad eum undique multipliciùs confluebant: hoc quoque ferè ubique accidit, *Vt fugiant dum quæruntur; dum fugantur, accelerant.* Cùm eidem Prior quidam modicæ facultatis, cujus causam nondum audierat, marcam auri, devotione multâ instanter offerret, *Nondum, inquit, ingressus es domum, & iam vis corrumpere domum?* Corruptionem namque vir sanctus credidit, quidquid offerebatur litè pendente.

Mirè sacræ litteræ extollunt refutantem munera. *Qui ambulat in iustitiis loquitur veritatem, qui proicit avaritiam ex calumnia, & excutit manus suas ab omni munere &c. iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas eius:* Et Psaltes ps. 14. quærens, *Domine quis habitabit in tabernaculo tuo?* respondit inter alia, *Qui iurat proximo suo, & non decipit, qui pecuniam suam non dedit ad usuram, & munera super invocentem non accepit.* Quocirca gloriatur Samuel se omnia munera refutasse, 1. Reg. 12. & S. Paulus Actor. 20. 33.

*Qui excutit manus suas ab omni munere, iste in excelsis habitabit.* Quippe acceptio munerum *pravaricatio est veritatis*, & dives muneribus citò corrumpit Iudicem: pauper autem, dum non habet, quod offerat, non solum audiri contemnitur, sed etiam contra veritatem opprimitur: citò violatur atro Iustitia, nullamque reus pertimescit culpam, quam redimere nummis existimat. *Isid.*

Quem-

Quemadmodum qui emit, cum vicit, qui pecuniam acceperit, si eum emerit: sic qui non accipit pecuniam, neque corruptus est, vicit eum, qui emit. *Demosth.*

*Alcamenem* Teleuci filium, cum quidam interrogasset, cur munera à Messeniis elata non accepisset? respondit ille: *Quoniam si accepissem, cum legibus pacem habere non potuissem.* quo dicto docuit munera nequaquam esse accipienda, quæ legibus aut Reipubl. aliqua saltem ex parte obesse possent. *Plut. in Lacon.*

*Aristides* ab incorrupta æquitate, *Iusti* cognomen apud Athenienses meruit. Idem interrogatus, quid esset *Iustitia*? *Nihil, inquit, alienum desiderare.*

*Pescennius Niger* Consiliariis addidit salaria, ne gravarent eos, quibus assidebant: docens, *Iudicem nec dare debere nec accipere.*

*Innocentius Sextus Pont. Max.* cernens abduci nonnunquam, imò plerumque hoc ævo Iudices excæcari largitionibus potentum, teste experientiâ, suis tribunalibus vitium hoc proscribere conatus, sacri Palatii Auditoribus stipendia constituit, ne muneribus plecti, contra æquum decernerent. Dicebat autem: *Famelici non faciliè alieno cibo abstinent, si quovis modo oblata sit edendi facultas:* insinuans, quod in sermonibus *Horatius:*

— *Malè verum examinat omnis*

*Corruptus Iudex.* —

*Quid non argento? quid non corrumpitur auro?*

*Qui maiora dabit munera, victor erit.*

*Vnde qui quarit locupletari, pervertit oculum suum.* Oculo intentio nobis designatur, quæ faciliè pervertitur, ubi commodo proprio, & divitiarum concupiscentia agitur. Illa enim *magnes* est, qui ad se ferrum attrahit, atque in errorem inducit eos, qui in hanc feruntur. *Vincta est Sapientia lucro.*

Non te ergo superet ira, ut aliquem opprimas, *Nec multitudo donorum inclinet te.* *Iob. 36. c.*

Iudex enim concupiscens faciliè sententiam variat, nec dubitat condemnare pauperem, cui munera præbendi copia non est: ut divitem, & quantum appetit præbentem, absolvat. *Expertum enim*

*enim causidicum munus agit : Iustitia verò auro suffocatur.*

Olim Romæ tanta cura cautum fuit, ne quis se pateretur largitionibus corrumpi, ut præter pœnam quam convictis infligebant accusatoribus, accusatoribus etiam honores deferrent : ita Carbo Cottæ accusator Consulatum est adeptus. Deinde ipse Carbo ejusdem rei nomine ob quam accusaverat Cottam, accusatus est à Cottæ filio. *Dion. lib. 36. p. 21.*

Malè quippe agetur, cùm nunc huic nunc illi Iudex plus favet, qui plurimum dat, non cùjus causa est optima.

*Sed quoties bonus atque fidus*

*Judex, honestum prætulit utili : &*

*Reiicit alto dona nocentium*

*Vultu.*

Horat. 4. Ode 9.

Optima quæque de illo nobis polliceri possumus.

Talis Ephialtis qui licèt pauperrimus fuerit, attamen cùm amici decem talenta ipsi dono darent, non accepit, *Hæc, inquit, mi cogere reverenter vos habere ac aliquid præter ius concedere. sin minus vos observarem, ingratiſſimum haberi.*

Talis Gracchus in sua sardinæ administratione.

Talis S. Petrus Apostolus & alii plures :

Sed neque hic est prætereundus Phocion Senator Atheniensis, cui dum *Alexander Magnus* ei mittebat argenti talenta centum, ut sibi faveret ; requisivit à nuntio, cur sibi potiùs, quàm aliis Senatoribus, *Alexander* tam præclarum munus donaret : respondit ille, *Quia inter omnes te vel maximè bonum & probum reputat. Ne igitur agrè ferat (aiebat Phocion) si qualem me indicat permanſero, neque me nummis pervertere studeat.* Sicque animadvertens, munus Regium plenum esse dolo, ac in patriæ suæ detrimentum vergere.

Quis hic non admiretur incorrupti pectoris synceritatem ? Pauper erat *Phocion*, nec doni magnitudine quidquam movebatur. *Simul autem indicat illos, qui Rempubl. administrant, tamen à capiendis muneribus non temperant, nec bonos esse viros, nec tales haberi debere.*

*Martius*

*Martio Curio Dentato*, Senatori Romano, ad focum sedenti cum Samnites ingens auri pondus attulissent, eo repudiato liberè asseruit, *Memensiore me nec acie vinci, nec pecuniâ corrumpi posse: neque enim præclarum est aurum habere, sed is, qui habent aurum, temperare.* Plut. in Apoph.

*Thoma Moro*, vidua quædam, cui is litem adjudicarat, obtulit poculum aureum: ille accepit quidem, sed vino replens eidem præbuit & reddidit. Hoc in eo adhuc memorabile integritatis est testimonium, quod cum à prima ætate magnis in Republ. muneribus esset perfunctus, adeoque totius Regni fuisset *Cancellarius*, cumque amplam haberet familiam, tamen tota vita annum censum non auxit ultra septuaginta aureos annuos. Quid hæc dicent illi, qui non fuerunt *Cancellarii*, sed subalterni fortè tantum *Iudices, Officiati, Consiliarii, Advocati*, &c. qui paucis annis ad decem, viginti, (amplius non ausim dicere) millia? à *Lapide in Exod. c. 23.*

Refert *Iustinus* lib. 6. *Epaminondam Thebanum*, ad quem *Artaxerxes* Rex destinaverat *Triginta mille nummos Daricos, Dromedo Cyrensi*, graviter eam ob causam inensum fuisse. *Quomodo, inquit, ô Dromede, tam longo & periculoso mari te committere ausus es, ut corruptum Epaminondam in Regis tui sententiam pertraheres? Vade & Domino tuo renuntia, me suum ultrò fore, quamdiu ille Thebanis inimicus non erit: sin autem eos sprete à amicitia offenderit, me immortales etiam cum eo inimicitias habiturum.* Quippe eos non latebat, tamdiu Regna & Respubl. feliciter crescere, *Vbi Principes, Senatores, Iudices, & Magistratus, suo neglecto, communi bono student.* Sic enim per quingentorum annorum spatium prosperè Græcis omnia succedere; quamdiu *Lycurgi* legibus institere, gaudentibus subditis, & stupentibus extraneis. Non enim Iudicum oculi concupiscentiâ caligabant. Ast ubi muneribus aditus patuit, defecere leges, Iustitia & Respubl. Ideoque eos, qui ad munera respiciunt, domesticorum furum titulo insignivit *Paris de Puteo Inrist. de Syndic. c. 2. n. 3.* Additque plures publicis in consistoriis esse, quàm communi plebe. Affirmabat *S. Iob c. 12.* Iudicum tribunalia his abundare.

Quidam

Quidam illos sceneratores, alii prædones, alii piratas, nominant, & Lucas de Penna ad *L. Iudices C. de dignit. lib. 12.* his adhuc pejores esse vult, quippe qui publicæ auctoritatis, & servandarum legum titulo, liberius latrocinii indulgent.

Plura audet Demosthenes orat: de fals. Legat. *Quem, inquit, ad munera manus extendere videris, hunc proditorem repata.*

Deus tandem qui reliquis melius illos dignoscit, Infideles, socios Latronum, munerum Receptores, pronuntiat; & quod horribilius, in eos desuper maledictionem vibrat. *Deuter. c. 27. v. 25.*

Regius Psalter spiritu prævidens divinam in eos vindictam, Domino supplex ait: *Ne perdas cum impiis Deus animam meam, & cum viris sanguinum vitam meam, in quorum manibus iniquitates sunt, dextera eorum repleta est muneribus.* Psal. 25.

Succinctè Iustin. (*In novell. ut Jndic. sine quoque suffr.*) Est, ait hoc sacrorum eloquiorum mirabile & verum, quod avaritia omnium sit malorum mater, maxime quando non privatorum, sed Iudicum inhaeret animabus: *Quis enim sine periculo non furetur, quis non Latrocinabitur sine reatu, ad administratorem respiciens, illum namque videns omnia auro vendentem, & præsumens quia quidquid egerit illicitum, hoc pecunias dando redimens hinc homicidium & adulterium, invasio- nes & vulnera, raptus virginum, & commerciorum confusio, & contemptus legum & Iudicum, omnibus hæc venalia proposita esse putantibus, tanquam aliquod optimorum mancipiorum.*

Idcirco rectè à Iethro *Exod. 18.* non tantum Iudices non avari requiruntur, sed qui oderunt avaritiam, *Quamvis enim sufficiat homini non esse avarum, ait Cajetanus, non sufficit tamen Principi aut Iudici, sed oportet esse tam alienam ab avaritia, ut oderit ipsam, quoniam avaritia ius omne fasque pervertit, est enim insatiabilis lupo, Bald. conf. 301. n. 12.*

Exulare ergo à pectore Iudicis debet omnino cupiditas. nam si id semel invaserit, in aureum furorem vertet. Præclare S. Ambrosius *C. 8. d. 77.* *Sicut ii qui per insaniam mente translati sunt, non iam res ipsas, sed passionis suæ Phantasias vident: Ita etiam mens avari semel vinculis cupiditatis adstricta, semper aurum, semper argen-*

*argentum videt, semper reditus computat, gravior aurum intuetur, quam Solem, ipsa eius oratio & supplicatio ad Dominum aurum quarit.*

*Si quis, (ait Cicero ad Q. Fratrem. valde prudenter) Est, qui tibi numquam in suspicionem avaritia venerit, nihil est quod non ei & committi & credi rectissime puto: sed si quis est, in quo iam offenderis, de quo aliquid senseris; huic nihil credideris nullam partem existimationis tua commiseris: Zyp. lib. 1. c. 16.*

*Desistant, inquit Imp. Constantinus, A latrociniis manus fur-tiva; si desistere renuant, præcisæ, & furca affixæ appareant.*

*Cincius legem tulit muneralem, quâ gravissimis pœnis affectit eos, qui à quovis candidato, munus, suffragii causâ, donum que acciperent. Alex. ab Alex. lib. 3. c. 17.*

Alii plurimi, tum antiqui, tum moderni legibus ac decretis sanxerunt, ne muneribus ac corruptelæ locus esset, varias ac gravissimas pœnas iis, qui se corrumpi muneribus paterentur, præfigentes; ut erat redditio tripli, Iudicaturæ, aliorum que officio-rum privatio, bonorum confiscatio, exilium, atque infamia, de quibus adhuc supra facta est mentio: Adjecit & Iustinianus vir-garum cæssionem; aliqui & flammæ adjunxerunt.

Romani lege XII. Tabularum Iudicem suscipientem munera morte mulctabant: sed hodie quidam ex Iudicibus sordes suas non minus impudenter quam imprudenter teneri volunt: jactant enim non ided se à Iuris tenore recedere, quod ab alterutro liti-gantium aliquid receperint. sed profectò illi & divinæ legi & sibi ipsis illudunt, *Quia munera excæcant oculos sapientum & mutant verba Iustorum.* Deut. 16. Quid mirum si negent se muneribus excæcari, cum cæcitas multo minus seipsam quam aliud quip-piam cernat. Non desunt quoque quibus corruptelæ hoc blan-diuntur Lenocinio, quod accipere se dicant tantùm ab iis quos æquitas causæ justè sibi conciliat. Lex enim divina accipientem munera, utique ut percutiat animam innocentis, damnavit Deut. 27. sed cum Seneca his respondeatur, nullum vitium esse sine pa-trono: *Nulli non vitium est verecundum & exorabile, sed ab hoc latius funditur: Senec. Epist. 106.* Ita-

Itaque qui permisit sibi capere donum ab eo qui bono Iure nititur, permittit sibi ut eum bono Iure niti existimet, qui plurimum donaverit: magisque argentum utrumque datum quam argumentum utriusque ponderabit. Neque desunt qui corruptelas prætextu humanitatis & beneficentiæ velent: sed inspicite definitionem beneficii: Beneficium est actio benevola, gaudium tribuens, capiensque tribuendo, in id quod agit sponte sua prona & parata benevolentia: At quæ est benevolentia in corruptela? eadem scilicet quæ in aucupe aut piscatore adversus volucres piscellæque, quas illecebra quadam captant: pari enim voto clientes muneribus insidiantur, animos Iudicis impellendo in vota ipsorum, per fas nefasque.

Maneat igitur illud, non magis *Turpe sceleratum ac nefarium esse* (ut Cicer. lib. offic.) *quæstus habere Rempub. quam Iustitiam & Astream prostituere ad quæstum.*

Porro præter alios, etiam adversus corruptelam in pecuniaria causa edixit Constantinus *L. 2. c. de pæn. Jud. De eo qui pretio depravatus aut gratia perperam Iudicaverit, ei vindicta quem laeserit non solum astimationis dispendii, sed etiam litis discriminis præbeatur:* nam non tantum qui pecunia, sed & qui gratia ad malè iudicandum ducitur, dolum committit, ideoque in totius litis æstimationem condemnatur, & infamiam subit, non tantum qua dolo, sed qua perjurio obnoxius, & quia infamiâ maculosus est, utique à dignitatis luce repellendus est, imò ab officio removendus cuius religionem scelere læsit. Sed ne ex hac lege existimemus inultas linqui corruptelas nisi iniqua sententia probatas, constituit Iustinianus, ut liceat unicuique Litigatori ultro profiteri & prodere siquid Iudici dedit aut promisit. qui convictus in pecuniaria causa accepti triplum, promissi duplum fisco inferet, multandus præterea dignitatis jactura; in criminali verò causa exilio & confiscatione bonorum punietur. Et quamvis aliàs ex sinu rei non sit petenda probatio, hoc tamen casu permittitur ut Iudex possit adigi ad iusiurandum non accepti muneris: quod si recusaverit, Iudex pro convicto habebitur; si præstiterit, Iudicis calumnia compescetur.

tur: Imò & à litigatoribus exigere licet Iusiurandū dati aut promissi Iudici doni alicujus sive emolumenti, ita ut recusans jactura causæ plectatur perinde ac si convictus esset: namque Imper. Antoninus jam ante constituerat in hæc verba. *Constitit in quacumque causa, sive privata, sive publica, sive fiscali ut cuicumque data fuerit pecunia vel Iudici vel Adversario (nempe Advocato diversæ partis) amittat actionem is qui diffidentia iustæ sententiæ, in pecunia corruptelam spem negotii reposuerit.* L. 1. C. de pœn. Iud. l. 2. §. 2. ff. de Cond. ob turp. caus.

Præterea lex Julia repetundarum etiam locum habet adversus Iudicem, etiamsi pecunia accepta est à ministris ejus: ipse enim eorum culpam meritò præstat, cuius consortem se fecit vel eligendo infidos, vel non observando ambiguos, vel denique non coërcendo aut fugando corruptos. Tuld. lib. 3. de Corr. Iud. c. 5. & 7.

Tanta etiam fuit sollicitudo Imperatorum adversus fraudes, & Iudicum corruptelas, ut adversarium qui muneribus sententiam obtinuit, etiam citra appellationem fructu sententiæ privandum decernant Diocletianus & Maximinus, dum dicunt: *Venales sententias quæ in mercedem à corruptis Iudicibus proferuntur, etiam citra interpositæ provocationis auxilium iam pridem à divinis Principibus infirmas esse. decretum est:* L. 7. C. quando provocare &c.

Protinus ergo à Iudicandi potestate arcendi sunt avari & corruptibiles; etenim Iustitia suum cuique tribuere jubet; Avaritia alienas copias ad usus suos transferte desiderat, illa honestatem lucro: hæc utile honesto anteponit: illa ad alios spectat, hæc ad se omnia refert: illa publicis utilitatibus addicta est, hæc suas preferat. Iustitia à dolo abhorret, Avaritia fraudi familiaris est, illa nihil sanctius fide confert, hæc fidem, amicitiam, denique omne officium quæstu metitur: illa contenta suo, hæc insatiabilis: hæc leges respicit, veretur & obtemperat, *Avaritia omnia venalia habere docuit.* Idem c. 4. lib. 3.

Iaponix Imperator, qui anno Domini 1617. regnabat, ultimâ pœnâ affecisse legitur eum, qui à secretis erat cuidam è procribus suis



fuis, quodd muneribus se corrumpi permisisset: ei autem qui munera largitus erat (licet integro regno dominaretur) cervicem præcidi mandavit.

Platoni indubitata res erat, munerum receptorem iisdem periturum. Quod confirmatur 2. Pet. 2. *In corruptione sua peribunt percipientes mercedem iniustitia.*

Verum nec mortis timor, nec extremi Iudicii, nec ipse horror Inferni, iniquos Iudices à muneribus aut pecuniarum appetentia valent avertere.

Disputante *Paulo* de Iudicio, tremefactus est *Felix* (Act. 24.) *Cæsarea Præses*, nec efficax satis esse potuit horreni timor iudicii, ut inextinguibilem pecuniarum sitim sedaret. Tremebant omnia corporis membra, nec tamen à dandis sibi ab Apostolo, ut sperabar, pecuniis oculos avertebat.

O quam hodie multi inveniuntur *Felices*, sed *Infelices*, quorum concupiscentiam nummorum nullus metus reprimere potest; illa enim torrentis instar, ubi aggere rupto, sibi viam fecerit, non est qui eam sistere queat.

Ita quondam perversus Propheta *Balaam*, Num. 12. Dei populo maledictionem imprecaturus, ut promissis hanc ob causam nummis potiretur, adstante & obstanti, quin & viam præcludente licet Angelo, alio perrexit itinere, nec ultra progressus est. Tantum poterat apud eum auri sacra fames:

*Josephus* Antiq. lib. 4. c. 6. ait *Balaam* tanto pecuniarum amore exarsisse, ut, omni periculo postposito, maluerit ob leve lucrum, terreno, quam Cælorum Regi placere.

Pœnz & legum minz huic vitio extirpando non suffieunt, ita ut perversa consuetudo, seu potius abusus, plus valeat quam optimz leges & edicta. Illa enim atramento chartz, hic verd inauratis litteris cordi inscribitur. Aspera leges intentant supplicia; ast nummi blanditiis sese inferunt. Nummus tyrannus est, qui universa suz subdit ditioni, nec vis ulla huic assimulari potest.

Aliena tamen non recipiet, qui libertate suâ privari nolet: dans enim recipientem sua in vincula conjicit.

*Cave*

*Cave igitur (inquit Iustinianus Anth. ut Iudices sint &c. S. 1.) ne manum extendas ad munera: illa enim libertatem tollunt, intellectui tenebras offundunt, voluntatem inclinant, ac honore privatos infamiam afficiunt.*

*Demosthenes*, qui hæcenus Ciceroni nequaquam cesserat, ubi eloquentiæ suæ libertatem infami lucro subjecerat, auri vase, ac viginti talentis ab *Harpalo* acceptis, primùm *Areopagi*, deinde vulgi, ac tandem tam sublimis artis fabula effectus est: carceri enim mancipatus est, donec 50. talentorum multam solvisset. *Plut. in Demosth.*

*Alexander Severus Imp.* tanto odio hoc vitium insectabatur, ut cum quempiam Iustitiæ ministrum, qui malè hoc in negotio audiebat, obviam haberet, irâ excandesceret, totoque corpore tremefacto stomachum ad vomitum provocaret, veluti si fœtidum aut putridum quid vidisset: aiebatque, *Semper sibi paratos digitos, ut eis oculos erueret.*

Quin & *Vetronium Thurinum* familiarem, quòd his, qui petebant aliquid à Cæsare, vendidisset patrocinium, mentiens interim multa, & divitum rapinis iniquæque Iustitiæ administratione favendo, vincendum curavit, & convictum condemnatumque stipiti ac palo alligari iussit, supposito igni ex humida materia, *Præcone clamante, Fumo punitur, qui fumos vendidit.* Lampr. lib. 3.

Idem in ipsa via, quæ ejus servi à palatio in villam migrare solebant, unum ex ipsis cruci iussit affigi, quia centum aureos nummos, propter navatam cuidam in aula sua operam, acceperat. Palamque edici iussit, Ne ullus, qui in Magistratu munus acciperet, aut aliter aliena raperet, coram eo appareret: convictos enim hujus sceleris capite multaturum se, nullâ hominis alicujus habitâ ratione, denunciavit.

Quàm longè ab hujus temporis moribus Princeps hic! Permultum inveniuntur operam dare, ut per hujusmodi largitiones & rapinas, ministri opes congerant, *Quia lucri partem ab eis accipiunt. Quis ergo erit custos custodis?* Fulg. lib. 6. c. 3.

Narrat Petrus Damianus in statu suo de quodam infirmato ad mortem & clamante & ululante, quod quia sex nummos à paupercula vidua acceperat, verberabatur de manibus S. Andrea & S. Gregorii, ut sibi videbatur, & quot passus inquit illa fecit in laborando ut illos à me requireret, tot ictus à Sanctorum manibus perfulit. isti non cogitant quod erit eis durum iudicium, quia contra eos multi clamabunt & conquerentur, & quasi multi Advocati advocabunt, & Iudex eis erit severus. quot enim bona injustè abstulerunt, tot contra eos clamabunt; quot lachrymæ pauperum, quot suspiria, quasi tot legistæ contra eos advocabunt: *Lachrymæ enim viduæ ad maxillas descendunt, & sequitur, à maxilla ascendunt ad Cælum.* Eccles. 35.

Si monita & exempla præcedentia vos non movent, terreant ergò verba Prophetæ Isaia 5. *Va qui iustificatis impium pro muneribus; & iustitiam Iusti aufertis ab eo: propter hoc, sicut devorat stipulam lingua ignis, & calor flammæ exurit; sic radix eorum quasi favilla erit, & germen eorum ut pulvis adscedet.*

*Maledictus qui accipit munera ut percutiat animam sanguinis innocentis, & dicet omnis populus, Amen.* Deuter. 27.

*Munera accipiunt filii Heli, Iudices Israël, & malè iudicant.* 1. Salom. 8.

*Munera accipiens Giezi, Leprosus fit.* 3. Reg. 5.

In dante munera Salomon notam esse injustitiæ demonstrat Iudicibus & Magistratibus, Proverb. 17. *Munera de sinu impius accipit ut pervertat semitas Iudicii:* depromit enim de sinu suo impius munera, ut ea clam Iudici in manus det, iisque eum in sui amorem inflectat, ut sibi causam iniquè, contra vel præter leges Iustitiæ adjudicet, qui quod jure non possunt, muneribus obtinere & expugnare satagunt; in signum quoddam iniquam vel minus æquam causam foveant. Quantum verò ad *Accipientem Iudicem vel Consiliarium*, qui de sinu dantis clam accipit munera, hic impius est; quia ea accipit cum pacto, vel certè eum periculo pervertendi semitas Iudicii, id est leges juxta quas judicandum est. *Alius Iurisc.* apud Alciatum leges *viæ* appellat *Regias & Imperatorias:* & illic

ilicò subjiçit; *Ab his quidem Judices vi aut pretio declinantes alias vias vel potius diverticula extriverunt.* Hæ sunt, inquit, Alciatus corruptæ & adulteratæ legum interpretationes, quas dum alii atque alii deinceps secuti sunt, pro viis tritis, hoc est, pro legibus, haberi cœperunt.

Sic videmus hodie avaros, sed subtiles Advocatos, tot subtilitatibus Iura dividere ac leges interpretari, imò distorquere & evertere, ut nihil penè sit tam iniquum, & contra leges, quod non æquum & legibus conforme in speciem efficiant.

Docet quoque Sapiens hoc proverbio, magnam esse vim munerum, sed occultam, quæ fallat etiam homines æquos, & recti aliàs tenaces: tacitè enim affectum illa accipiens eliciunt, cum quæ danti devinciunt. *Quis enim amantem se, imò munera dantem non redamet? quis verò tam duræ frontis, ut danti se adversarium ostendat, Imò eum condemnet?* A Lapide. 7. proverb. c. 17.

*Argenteis basis pugna, & omnia vinces.* Plutarch. vincita est etiam Sapiencia Lucto. Interrogatus *Secundus* Philosophus ab Adriano Imperatore, quid est quod hominem lassum fieri non sinit? scribens respondit: *Lucrum:* Aurum lapide, aut homines judicantur auro. aurum ignis coquit, exprimit, efficit quæ purum; auro coquitur, soluitur, impurus homo fit.

Fuit in Ruscia vir quidam opulētus: hic caniculum sibi charum, cum mortuus esset, sepelivit in cœmiterio: sensit hoc Iudex seu Officiatus, & in eius pecuniam animum intendens, virum hunc velut maximi criminis reum, ad se puniendum vocat: vir animum Officiati satis noverat, quinquaginta aureos secum ferens ad officiatum devenit. *Qui* sepulturam canis graviter accusans, iussit reum ad carcerem duci. hic vir sagax: O Iudex inquit, si nosceres qua prudentia caniculus hic fuit, non mirareris quod sepulturam inter homines meruerit; fuit enim plusquam ingenio humano, eum in vita, tum præcipuè in morte. quidnam hoc est, ait Iudex, Testamentum, inquit vir, in fine vitæ condens, sciens quæ egestatem tuam, tibi quinquaginta aureos ex Testamento reliquit quos mecum detuli. tum Officiatus testamentum & sepulturam comprobans:

probans, accepta pecunia, virum absoluit.

S. Greg. Nazianz. in distichis:

*Auro loquente, iners est omnis oratio;*

*Persuadet enim illud, etiamsi nullam vocem edat.*

*Auro capiuntur homines ut laqueis aves.*

*Aurum permovet mentes, mutumque ad loquendum excitat.*

*Forte vinum, fortis Rex, fortes mulieres; sed fortissima veritas.*  
His omnibus fortius ait esse aurum, sic canens.

*Vinum assererat quispiam omnia vincere,*

*At feminam alter: tertius palmam dabat vero:*

*Dedissem ast ego robur quam maximum*

*Auro, arbitrato cuncta quod vertit suo.*

Pulchrè B. Petr. Damianus *Lib. 2. Epist. 2.* Filii, ait, Samuëlis nullum aliud crimen habuisse leguntur, nisi quia munera dilexerunt, & quia paternæ munditiæ non sequebantur exemplum. Irrecuperabiliter amiserunt plebis Israëlitiæ principatum. Et notandum, quia cùm de illis Scriptura dicit: *Declinaverunt post avaritiam, acceperunt munera;* protinus intulit, *Perverterunt Iudicium.* Vicinum quippe atque contiguum, ut post munus acceptum pervertatur etiam corrupto censore Iudicium. Et post aliqua interjecta dicit: *Acceperatis muneribus, si contra datorem quid agere volumus, mox in ore nostro verba mollescunt, locutionis acumen obtunditur, lingua quadam pudoris erubescentiâ præpeditur. Mens quippe percepti muneris conscia debilitat Iudicialis censuræ vigorem, reprimat eloquentiæ libertatem: nam etsi Iudicii restitudo funditus non adimitur, judicandi tamen auctoritas enervatur.*

Cùm Martinus Cardinalis Presbyter legatione functus in Dacia de legatione contra morem pauper rediens ab Episcopo Florentino equum socio necessarium accepisset, eundem restituit donatori, ex quo cum ab initio dati muneris causam in Romana curia ventilandam habuisse cognovit. *Bern. lib. 4. de Consideratione.*

Iustinianus etiam Imp. (§ oportet de mandatis Princip. Auth. collat. 3. & novella 25. omne *Judici* vetat munus.) *Oportet te, inquit,*  
*purè*

*pure sumentem administrationem, & sine omni suffragio, & præ omnibus aliis mundas servare manus Deo nobisque & legibus, & nullum contingere lucrum neque maius neque minus. Ita ut sententia lata per Iudicem pecuniâ corruptum ipso Iure sit nulla ( L. venales C. quando provoco non est necesse. )*

Et Eccles. c. 20. *Xenia & dona excæcant oculos Iudicum, & quasi mutus in ore avertit correptionem eorum.* Vnde S. Chryostomus hom. 64. in Ioan. Gravis, ait, morbus est avaritia, oculos excæcat, & aures obstruit. *Munus idem quoque assimilatur ranæ: si enim ranæ officulus in vas aquâ fervens injiciatur, defervescet aqua, nec ampliùs bulliet: ita quantumcumque ferveat amore Iustitiæ justæque vindictæ Iudex, si aurum capiat, defervescit omnis ejus amor & zelus, ac instar calamitæ seu ranæ obmutescet.*

Vnde & *Patricius* inquit: Iudices dona accipientes, sunt sicut equus & mulus, quorum maxillas munera velut chamo & freno constringunt.

Fabulantur Poëtæ Herculem cerbero offam medicatam in os injecisse; itaque illud clausisse, ne latraret: sic qui offam auri Iudicibus in os injiciunt, illud claudunt, ut obmutescant, nec pro paupere & justitia judicare audeant.

Terribile est, quod Angelus Domini dixit *Fratri Vgetineo*, quosdam Comitum regentium, id est Iudicum, non vindices criminum esse, ( malunt enim ut subditi delinquant, & bursas suas impleant emendis vel amendis, quàm ut benè agant, & ipsi suas non adimpleant bursas pauperum sudore ) sed vice diaboli persecutores hominum, justos damnando & reos justificando furibus & sceleratis communicando. Munerum, inquit, præventionem creati, pro mercede futurorum nihil agunt; sed cum mundani leges prohibenda mali audacia administrant; damna legalia, quæ debitoribus infligunt, absque ulla misericordia, quasi jure sibi debita, suæ audaciæ reponunt, hæc, id est in Inferno, iterum punienda. Iustitiam verò ipse futurorum numquam agunt, sed cum eam gratis offerre omnibus pro æternitatis mercede debeant, *Semper venalem sicut & animâ suam portant.* In lib. trium virtut. & trium virg. Spir. Hinc

Hinc fit, ut ut ubi jam amplas divitias, itatus, & familiam consecuti sunt, magnaque cum sollicitudine *Phibacteria sua dilatarunt, & magnificarunt fimbrias suas*, multaque annis opibus occupati sunt, satiati numquam. *Ecce in pace amaritudo illorum amarissima.*

Quid proderit lucrum auri cum damno innocentiz & integritatis: dum enim perperam acquiris pecuniam, perdis innocentiam. Evigilet potius cor tuum, qui volebas congerere pecuniam & perdis innocentiam, quia Deus diriget te. *Noli amulari in eo, qui prosperatur in via sua, in homine faciente iniustitias.* Prosperatur in via sua; iustus laborat in via Dei. Illi prosperitas in via est, in perventione infelicitas: *iusto labor in via, in perventione felicitas.* *Novit Dominus vias iustorum, PL. I. & iter impiorum peribit.* has vias ambula, quas novit Dominus, & si ambulas in eis, non te fallunt: Via verò impiorum, felicitas transitoria; finita via, peracta est felicitas. Quare? quia via illa lata est, finis eius in profundum Inferni perducit. Delectetur hinc impius in multitudine auri, in multitudine argenti, in multitudine opum diversarum, violentiz, latissimorum & luxuriosorum conviviorum: *Melius est modicum iusto super divitias peccatorum multas.* Ne eligas hinc florere, ut ex arbore fœnum fias: etenim *Vidi impium superexaltatum, & elevatum super cedros libani, & transivi, & ecce non erat: quæ fuit eum, & non est inventus locus eius.* Horum vox erit, *quid nobis profuit superbia, alta iudicia, aut quid divitiarum iactatio contulit nobis.* Transierunt omnia illa tamquam umbra. quippe *Iniusti punientur, & semen impiorum peribit: Iusti autem hæreditabunt terram, & inhabitabunt in sæculum sæculi.* Non hinc subrepat avaritia, nec tibi aliquam villam magnam promittat, nec, quod hic juberis contemnere, ibi speres. *Illæ est terra viventium; hæc est autem terra morientium, receptura mortuos, quos nutrit vivos.* Qualis ergo illa terra, talis & ipsa vita: si æterna vita, æterna terra, & quomodo æterna terra, *& inhabitabunt in sæculum sæculi.* Alia erit terra ubi inhabitabimus in sæculum sæculi. *S. August. de Civit. Dei c. 18. lib. 5.*

Cum

Cùm videris in sublime quempiam elatum, splendidis gloriantem opibus, supercilioque supra sortem suam fastuosum, illius ce-lerem divinitus expecta brevi vindictam.

*Socrates Alcibiadem* intuitus ob divitias inflatum & superbientem opibus prædiisque, in quendam civitatis locum duxit ipsum, in quo suspensa erat tabula terræ circuitum complexa: jussit igitur *Alcibiadem*, *Atticam* in ea requirere; quam ut invenit, sua etiam prædia inspicere præcepit: quæ cùm *Alcibiades* nusquam esse picta diceret, *Cur igitur* inquit *Socrates*, *ob illa superbis qua circa nullam terræ partem existunt.*

*Philippus Macedo* à victoria Chætonense nonnihil inflator, litteras accepit ab Archidamo Spartanorum, in quibus & hoc monitum. *Mesure umbram tuam, nihilo reperies auctiorem:* comiter *Rex Philippus* hanc moniti libertatem admisit, cùmque in palæstra toto corpore in arenam esset prolapsus, ubi surgens corporis sui mensuram in arena vidit. *Pro*, inquit, *quàm parvam terræ partem sortiti, orbem appetimus?*

Meminerint Iudices admonitionis Mœnandri, dicentis, *Quod nullus continud iuste vivens ditatus est:* justus enim paulatim sibi colligit parsimonia, hinc tam pauci Iudices non divites. De uno refert *S. Augustinus*. *Quomodo se audebit extollere de voluntaria paupertate Christianus, ut in huius vitæ peregrinatione expeditior ambulet, cùm audiat vel legat Lucinum Valerium, qui in suo defunctus est consularatu, usque aded fuisse pauperem, ut nummis à populo collatis eius sepultura curaretur?*

O misera divitis conditio? felicior pauperis, si sua sorte contentus vivat; nec difficile hoc erit si itineris brevitatem animo suo metiatur, si fugientis vitæ annos cum æternitate componat, si divites Dei sponsones paupertati colligatas tacitus secum serid perpendat, si utrorumque exempla felicesque ac infelices exitus animo volvat & altè demittat: exiguum natura desiderat; unde si ad naturam vivas, numquam eris pauper; si ad opinionem, numquam dives: opinio immensum vult, nam calcare aurum liceat & mar-mora, accedat quicquid ars luxuriæ laboravit, maiora cupere ex his



disces: visne opes & Deum? negat Deus posse: *Non potestis Deo servire & mammona*: aut mentiri potest Deus? non magis opes & Deum unum capit pectus, quàm cœlum & inferos anima tua: si verò optimis quibusque divitiarum obvenirent, esset quod allicerent: nunc stolidissimum propè opulentissimum videmus, quasi præter fortunæ decorem sit prudentem esse & divitem. verumque nimis illud est: *Pecunia fit in quosdam homines, quemadmodum denarius in cloacam cadit*. Scribanus lib. 2. polit. c. 19. & 20.

Falluntur qui existimant lusum esse vitam nostram, & conversationem vitæ compositam ad lucrum, & oportere undecumque, etiam ex malo acquirere. *Cum tamen maledictus sit qui accipit munera*, Sap. 15. & è contra, *Qui excutit manus ab omni munere, iste in excelsis habitabit, & regem in decore suo videbit*. Isa. 53. *Qui querit locupletari avertit oculum suum, qui odit munera vivet*. Eccles. 17.

Proinde ne sciat non tantum munera manus tua, sed & coniugis aut cuiusquam domestici tui dextera; nam sive in manum tuam sive in alterius, à quacumque nube aurum tibi impluitur, vis eadem est. quid? quòd levius malum quia unum tantum cum in manum tuam aureus hic imber cadit: cum in uxoris, duplex est; & cum sine alieno adminiculo plurimum aurum possit, quid non poterit tam potentibus auxiliaribus muliebribus copiis, quæ vel solæ ferrea virorum emollire pectora consueverunt. Deinde crescunt crimina, cum per noxam coniugis infunduntur: nam & maritus, & uxor in pari sunt scelere, cum unum tantum crimen sit, si solus maritus, nulla uxore administra, nulla iniquitate famulante admittit dona: & qua fronte negabit pro donatoribus ferre sententiam, qui admisit dona? pulset licet animum iustitia & fortiter moneat, fortius tamen aurum ad se trahit: allicit quandoque æquitatis decorem, nec minus auri fulgor, utrimque premit fixis iustitiæ & auri: sed per pauci ex hac aurea lucta victoriam retulerunt, jugum passî plerique, & duram servitutem, & inglorium terris cœlique nomen: *Quid mirum? Excitant oculos sapientum & mutant verba iustorum*.

Dei sunt verba, nec plebeios tantum oculos, sed *sapientum*, quid faciet

faciet in aliis: quid potentius quàm Iustos in fraudem & injustitiam impellere, exoculari *sapientes*? Illabuntur suaviter munera, at quis nesciat dulcibus fere aconita misceri: nemo absinthio miscuit: unde fuge stillicidia hæc mollia de poculo venenato, nec tanti munera facias, quanti periculum nominis, & famæ. Nam munera admittere, nec in munerum partem flecti, cogitari & dici potest, 'credi non potest: & nonne hunc qui hæc faciat, bis injustum dixeris? pretium accipere & rem non exhibere, fidemque fallere, privatum verbis adjudicare, in ferenda sententia abjudicare: ibi laudare, hic damnare, quid est, si non bis circumvenire, bis injustum esse? *Scribam. in polit. lib. 2. c. 9.*

*Judicis est recti nec munere nec prece flecti,*

*Sede sedens ista Iudex inflexibilis sta:*

*A manibus referens munera, ab aure preces.*

*Latronemque puta, qui pravus accipe, dicit,*

*Iustitia spoliium quarit habere tua.*

O curias, ô aulas, ô prætoria & Tribunalia, non *Spiritu sancto*, sed Philargyria plena, in quibus nummi potius perorant quam ulli Cicerones & Hortensii; nil sanctum est, ubi venalis est Iustitia, præsidetque Iudices dorographi.

Pro Coronide serviant verba *Ieremia Prophetæ* conquerentis & describentis Iudicum quorundam corruptiones aliosque defectus, dum dicit: *Magnificati sunt & ditati, incrassati sunt & impinguiti: causam viduæ non iudicarunt, causam viduæ non iudicarunt, causam pupilli non direxerunt, & iudicium pauperum non iudicarunt, numquid super his non visitabo, dicit Dominus, aut super gentem huiusmodi non ulciscetur anima mea?* & apud *Isa*: *omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non iudicant: va qui corrupti estis per argentum & preces, per odium vel amorem, & dicitis malum bonum & bonum malum, ponentes lucem tenebras & tenebras lucem.*

Sicut Luna non patitur eclipsim nisi cùm plena est; sic homo tunc maximè obscuratur, cùm plenus est divitiis: & sicut Luna in plenilunio magis distat à sole, à quo lumen accipit, ita homo tùm demum longissimè ab illuminatore Deo separatur quando divi-

tiatum luxu & super-abundantia tumet. *Staples. Dominica sexagesima.*

Deinde sicut Echinus terrenus, quem vulgò ericium vocant, postquam ex arboribus poma discussit, illis se expansis spinis suis involuit, & ita pomis illis adhaerentibus oneratus redit ad angustum antrum suum, qui quia ob molem pomorum illud intrare non potest, iterum poma deponere & illis se exonerare cogitur: Ita & divites ante ingressum æternitatis omnia quæ & dignitatum & Tribunalium arbores ascendendo accumularunt, hic deponere & illis se exuere debent: Ac sicut Athenis *Echini* nomine intelligebatur *Scrinium forense*, in quo totius litis acta conjiciebantur & in echinum conjicere dicebant, pro eo quod est acta in Iudicio proferre: ita tum temporis omnia munera & thesauri per *Scrinium forense* congregati, in Iudicio extremo proferentur & dijudicabuntur.

Se pone ergo hanc munerum spem, omnis æquitatis amans, & cui virtus altè sedet animo: si enim accepisti, periisti? sperasti, promagnitudine spei Iustitiam exuisti: mutant justorum verba, mores, animum, accepta & sperata etiam munera: Scriptura monet ut supra dictum est; mentiri hæc nescit, nescit fallere; crede & digna terris cæloque dabis. *Drexel. in Solom.*

## C A P U T X V.

### *De Procuratoribus.*

**Q**uoniam illa, quæ de integritate, virtutibus & vitiis *Judicum* & *Advocatorum*, aliorumque *Iuris Iustitiæque ministrorum* dicta sunt, aut adhuc dicentur, etiam in suo genere & respectu *Procuratoribus* applicari possunt, qui etiam quandoque appellantur *Advocati*, ut patet in l. 1. §. *Advocati ff. de var. extraord. cognit. 1. & 3. 4. 8. c. 1.* pauca speciatim de officio illorum hinc proferemus.

Est

Est enim per se laudabile, & *Cuius usus perquam necessarius, ut qui rebus suis ipsi præesse vel nolunt vel non possunt, per alios tamen agere valent, l. 1. ff. de Procurat.*

Ille autem uti peritus cautor atque formularis, & versutus ac solers pragmaticus, usu & disciplinâ fori pollens, institutorum forensium peritissimus, Iuris formularii consultissimus, Ludiq̄ue forensis magisterio præditus est, qui omnia præcepta tenet actionum civilium, formulâs cautionum, persecutionumq̄ue Iudicialium conceptiones; ille, inquam, clientes suos etiam cum *Institia* defendere debet, dolum non faciendo; fraudem excludere, ab omni fallacia & machinatione ad circumveniendum, cavillationibusq̄ue inutilibus abstinere: quia omnis qui defenditur, boni viri arbitrato fideliter in causa recta & iusta defendendus est.

Affinitatem porrò quandam Procuratores cum Advocatis habere videntur, & proximum Advocato officium est Procuratoris. Uterq̄ue alienam causam agit in Iudicio: Advocatus postulando, hic instar Domini curando: ille oratione & vivâ voce; hic sollicitudine, sollicitatione, omniq̄ue actione, quæ litigatori in qualibet Iudicii parte incumbit, § *pen. Instit. De iis per quos ag. possu- mus.* Sunt tamen horum officia multis modis distincta. etenim: filius. fam. quidquid patrocínio quærit, sibi quærit, non patri tamquam peculium quasi castrense, *L. fin. C. de in offic. Testam.* Quod autem quærit ex procuratione, id non est quasi peculium castrense, quia non est auctoramentum alicuius doctrinæ vel ingenii. Procurator tantum communes operas in tractanda seu sollicitanda causa præstat: patronus autem navat operam singularis doctrinæ atque honestissimæ artis in causa aliena ex iure defendenda. Procurator velut minister administrat Domino: Patronus meritis causæ. Ille agit nomine litigatori: Advocatus ex suo officio agit causam, & Ius eius ostendit ac defendit, velut *Antistes Institiæ Iurisq̄ue tutor ac vindex.* Ideo Procuratoris officium ut privatum, non est tam honorabile, ita ut à Decurionibus & Nobilibus exerceri non possit, *L. ibid. C. 34. C. de Decur. lib. 10.* At Advocatorum officium publicum est, plerumq̄ue dignitatis ac  
railitiæ

militiæ privilegii honestatum, qui & inter *Clarissimos* recensentur, *L. 1. C. de Advocat. divers. Ind. W esemb. ff. de Procur. Denique Procuratoris officium dignitatis non est, sed onus, ut Gloss. in §. fin. C. de Dignit. lib. 12.*

Est autem Procurator, *auctore I. C. in l. 1. ff. de Procur. qui aliena negotia mandatu Domini administrat. Hic post litis contestationem, litis Dominus appellatur, & in causa sibi mandata factum eius Domino nocet & prodest, C. 1. & 2. de Confess. in 6. non etiam si quid extra fines mandati gerat vel committat, nec enim alienare vel innovare aut transigere sine speciali mandato potest. hæc autem obligatio, quæ inter Dominum & Procuratorem consistit mandati actionem parit, quam Dominus in procuratorem ex variis causis intentare potest: ut si procurator susceptum negotium exequi nolit, si in officio aliquid detrimenti per dolum aut negligentiam intulit, si per iniuriam aut collusionem adversarium obsolvi passus sit: item ut rationem omnium; quæ ex mandato & gestu consecutus est, sive iustè consecutus sit, sive iniustè, *L. qui proprio 40. §. Procurator ff. de Procurat. reddat. è contrario procuratori datur in Dominum ex mandato actio, non quidem directa, quia non est par eius causa Domino, sed contraria, ut si quid præstitit ex mandato nomine Domini, id consequatur: æquum est enim impendia restitui, si quidem bonâ fide expendit: sed si quid inutiliter, profusè, & non necessariò consumpsit, vel à Iudice propter delictum mulctatus sit; eius sumptus in hoc contrario iudicio non habetur ratio, d. l. qui proprio 46. §. Procurator ff. de Procurat.**

Si quid tamen extra mandatum impendat in utilitatem Domini quod etiam ipse Dominus verisimiliter impensurus fuisset, potest id repetere, actione negotiorum gestorum: æquum est enim, nusquam illi officium esse damnosum, *L. sed si quis ff. quemad. testam. aperia: Quod autem de impendiis dictum est, idem & in salario obtinet, iis videlicet casibus, quibus debetur. W esemb. in parat. ff. de Procur. n. 8.*

Causæ etiam custodes, pragmatici, ac sollicitatores, dicuntur  
Procura-

**Procuratores**, qui & intitores causæ & tamquam *Argi* quidam dici possunt, si strenuè munere suo fungantur.

Etenim quemadmodum reperiuntur, qui uti diligentes & fideles practici litium facta fideliter & congruè regunt: ita quandoque perversi aliqui iura conantur confundere, lites suscitare, transactiones rescindere, dilaciones innectere, suppressere veritatem, fovere mendacium, quæstum sequi, æquitatem vendere, inhiare actionibus, versutias concipere. *Bleser.*

Et dum omni jure lapsi sunt, omni Iuris præsidio destituti, & in procinctu ultimæ dimicationis, adversario suo impingunt commentitiam aliquam supplicationem, aut diploma, tamquam processus jam ad portum tendentis remoram, & causæ cursum ad calcem accedentis aliquo novo litis instrumento, aut alio forensi suffamine obiceque processus futiliter exquisito, sistunt. Vindictes se causæ quandoque offerunt, eventumque Judici præstituros, ac litis defensionem proponunt recipere, atque hoc modo norunt homines pellicere ad *Alea forensis* consortium, & Iuris experiendi societate illigare. Incidunt postulata; rejectanea & argumento litis non affinia poscunt; in iejuno exilique Iure nitentibus causis, Catholicum aliquod theorema aut axiomaticum proferunt, ut inermem suam litem, quæ litteris & auctoritatibus, testimoniis aliisque Iuris documentis caret, in genere probationis suffulciant; ac dum intestinas sacculorum *copias* adversæ partis percensuerunt, & dum litigantes jam in caratam forensis compati sunt, erumpere frustra conantur, & sæpè profugi, emanfores, & litis etiam jam adultæ desertores fiunt, ac vadimonium suum relinquunt, diem ab illis condictum non obeuntes, non sine magno dispendio sumptibusque, ita ut quidam in Curia potius *Frustratores* & *resistatores*, deberent appellari, quàm *Procuratores*.

Alii ut litium diversarum, lacerarumque sarcinatores renodatoresque, ostia perlucet Decuriarum, vel ora Consilii aut pectora persfluunt, tamen obsignata iurejurando: vultum, vocum, nutuumque aucupes, solertiâ prædiri, nonnulli ut Coriczi homines sunt auscultatores, & arcanorum captatores, veluti emissarii partium

tium ad exploranda consilia litigantium & arcana litium, postea eadem adversariis prodeuntium: circumforanei homines & nationa aliena patrimonia securè augendis suis luculenter negotiari solita in foro Iudiciali. (*Bud. in forens.*) Vnde quidam dixit, avaritiam circumforaneorum improborum, sic aurum rapere, ut ignem naphtha rapit; monitum contra tales erit, ne des operam ut ex æquo alloquaris eum, & ne credas pluribus verbis eius, nam multa locutione probaturus est te, & tamquam arridens perquisiturus res tuas occultas: si opus te habuerit, seducet te, arridens tibi & faciens tibi spem: blanda erunt & butyrina verba dum lis insidet animo eius, molliora quidem oleo; sed stricti sunt gladii. unde conscientias hominum pervertunt & iudiciorum sanctitatem in cautelas, technas atque perjuria permutant, dilationibus & actis inutilibus litis definitionem prolongant, comperendinationibus iudicia differunt, ut hoc modo litigantes expilent & ipsorum patrimonia abliguriant. quorum patrociniū est latrocinium (*Columella.*) & votum est litium numerus (*Senec.*) ad tribunalia properant tamquam ad auream messem, quorum si nares, ut ait Sidonius Apollinaris, afflaverit uspiam rubiginosi aura Marsupii, cōfestim videns illic & oculos Argi, & manus Briarei, & Sphyngarum ungues: sed nihil hæc aut sequentia ad bonos & fideles, quibus nil nisi honor & laus deberur.

Bern. de Bultis in Rosario suo serm. 29. p. 2. refert sequentia: Nondum sunt multi anni, quòd in una civitate Longobardorum, duo Procuratores loquebantur ad invicem, *Decipe tu tuum, & ego decipiam meum.* Quod audiens unus clientulus, intimavit adversario suo, dicens: isti deceptores habent inter se intelligentiam, & quærunť litem nostram prorogare, in multis terminis, ut nostras evacuent bursas: eamus ergò nos ad tabernam, & ibi expendamus in uno bono convivio, quod volebamus dare istis Procuratoribus, in termino proximo; quod facientes ad concordiam simul devenerunt.

His & similibus posset applicari quod scribitur de Æsopica gallina, quæ sicuti dum ægrotaret ad falem interrogantem eam tamquam

ex benevolentia, quomodo valeret? *Respōdē*, inquit, *si tu discedas*: sic ad eiusmodi homines, qui super partium dissentione quæstum quærunt, sermonem vovent, & secreta suffundunt, dicendum est: *Atque ego nihil desidero, nisi ut nec ego procuratore indigeam, nec adversarius.*

Sichardus in l. non novam C. de Iud. n. 8. adfert pulchram glossam l. fin. in verbo moriantur C. mandati, quâ dicitur, quod hi, qui circa lites versantur, omnia mala, id est, fraudes noverunt: utinam tantùm noscerent?

Scire enim cautelas reprobatas, vafriasque captiosas, ut ea ratione ac via, adversarium istiusmodi decipulis utentem atque à cliente damnum avertere possit, malum esse quis dicet? nam ut medico non solum salubrium herbarum est notitia necessaria, sed & noxiorum pharmacorum ac venenorum, ut malum arcere ac fugare possit; ita practico in foro versanti cui Ulpianus, *Iusti iniusti-que scientiam tribuit* cautelarum reprobatarum notitia convenit, ne per illarum ignorantiam in captionem incidat, & perdat quos patrocinio suo defendendos suscepit: cavere tamē debet à praxi, unde Plinius 2. l. 2. Ep. *Nos qui in foro versamur, verisquē libus terimur, multum malitia quamvis nolimus, addiscimus*: non tamen dicit *fascimus*: proximo enim nocere ac damnum dare artibus illis reprobatis, & lege charitatis, à Christo vetamur, non ergo mala scire debet Iurisperitus ut illa faciat, aut sequatur: sed ut cognita vitet, & detestetur: ut enim venenatorum cognitio hoc commodi præbet, ut ne ignari ab illis lædamur, non mirum si I. C. malarum cautionum notitia permessa sit, dum illas sibi retinet, & non evibrat, illas quæ ejaculetur: sicut enim si Scorpionis venenum malum esset, prius scorpionem perimeret, at contra si ei aliquo modo detraha- tur sine dubitatione interiret: ergo illius corpori malum est amittere, quod nostro malum est recipere: & illi bonum est habere, id quo nobis bonum est carere: *August. lib. de morib. monach. c. 8.* adeoque Iurisperitus, malum quod scit, callidasque machinationes & tricas quibus partes sæpè solent circumscribi, dum sibi retinet & in praxim non deducit, sibi nec adversario nocebit, sed si

Quod

quod



quod malè fieri videt in adversario, & ipse sequi velit, incurrit periculum proprii interitus: *Sciat ergò eligere bonum & reprobare malum.* Licet autem scienti bonum & non facienti peccatum sit, *Scienti tamen malum & non facienti, peccatum non est; sed scienti & facienti peccatum est.*



IURIS IUSTITIÆQUE  
VSVS ET ABVSVS  
LIBER SECVNDVS.

CAPUT PRIMUM.

*De Scribis & Secretariis, & eorum dignitatibus  
ac præminentis.*



**N**TER munera & officia Reipubl. necessa-  
ria, est & illud quod *Scribarum* dicitur; unde  
extat Rubrica Cod. de *Tabulariis, Scribis, &  
Logographis lib. 10.* Comprehendit autem  
hoc generale nomen *Scribarum* Tabelliones  
sive Tabularios. Item *Exceptores*, qui acta  
Iudiciorum scribebant, & minutabant sub  
Iudice expeditiones judicarias, quia notis  
scribebant acta præsidum, *L. inter eos §. 1. ff. ex quibus causis  
maiores.* *Regendarios*, qui notulas tales exscribebant & registra-  
bant juxta *Novell. 15. in princ.* Regerere enim iterum gerere est,  
& inde Regestum iterum gestum seu scriptum; unde Vopiscus in  
Aureliano dicit se suam historiam collegisse *ex regestis scri-  
barum.*

Continentur etiam *Notarii*, qui à notis dicebantur, quarum  
usus veteribus perquam familiaris fuit, & apud eosdem communi-  
ter receptus.

Sicut autem *Notarii* vel *Greffarii* solebant esse Iudicum dome-  
stici, & illorum Clerici; ac postmodum in officia erecti, Clerica-  
tum

tum ipsi per se ampliùs exercere noluerunt, nec per se personaliter obire volebant: incœperunt sub se suos habere Clericos, unde nomen istud Clericorum, quod per antè solebat multis nobilibus officiiatis, Secretariis Regiis, Auditoribus Cameræ & Computuum, attribui, relictum tanquam vile solis famulis, quos & *à manu servos* seu *Amanuenses* vocant. Summa autem requiritur in his fidelitas; refert enim *Lamprid. in Alexandro Severo*, illum, qui falsum causæ libellum in consilio Imperatoris retulisset, incisus digitorum nexibus, ita ut numquam posset scribere rejectum.

Vox verò Notarii, dum latè capitur, & in genere, etiam quibuscumque Actuariis, Secretariis ac scribis attribuitur; dum autè in strictiori sumitur significato, inducat personâ publicâ auctoritate Pontificis, vel Imperatoris, aliorûque, quibus hoc jus competit, ad id constitutâ, ut contractus, ultimas voluntates, variaque hominum negotia in scripturam publicam & authenticam redigat; ut plenam fidem illa tam ad præsentium, quàm posterorum memoriam faciant, *L. Orphanotrophis 32. C. de Episc. & Cleric.*

Qui Notarius per supremum Principem admissus, ubique Notariatum exercere potest, saltem inter subditos ejusdem Provinciæ; *Kinschor: Resp. 49.* & instrumentum factum in loco subiecto creanti Notarium ubique probat. *Felinus in repert. plures citans DD.* Cavendum autem Notario est, ut non conscribat instrumenta super negotiis illicitis: namque infamiam incurrit, & officio Notariatus privandus est, qui in fraudem usurarum de contractu aliquo se rogari patitur. *Bald: inc. 1. §. scriba, in fine de prohib. feud. alienat.*

Maxima Notario adhibetur fides, & major quàm testi, etiamsi is juratus dicat se aliter deposuisse quàm Notarius scripsit. Qualitas Notarii in instrumentis antiquis non est probanda; est enim tum præsumptio pro Notario ex quasi possessione officii. Debet autem Notarius in *Caterato*, qui aliàs vocatur, liber *Rogationum*, *bastardellus*, *Broliardellus*, *Originale*, *Abbreviatura*, *Imbreviatura*, *Nota compendiosa*,  *scheda originalis*, *Matrix*, *Regestum*, *Adversaria*, *minuta*,

*minuta, & Iactum*, actus coram se celebratos describere; & non nisi rogatus de negotio, cui debet interesse, & præsens contrahentes audire, ac videre, ut de visis & auditis postea in instrumento testari debeat. Intentionem partium probè auscultet, & si actus sibi videtur illicitus, vel frustratorius, de eo partes fideliter admoneat: quibus peractis Imbreviaturam scribat, in ea nomina tam contrahentium quàm testium, item negotium ipsum, locum & tempus exprimat, Imbreviaturam suam de verbo ad verbum, antequam partes discedant in præsentia testium prælegat, clausulas obscuriores interpretetur, & de iis partes diligenter admoneat, & tandem, stipulatione factâ, etiam propriâ manu subscribat, simul cum contrahentibus & testibus, ubi id de consuetudine loci aut statuti est requisitum & necessarium. (Brinckmannus posit. 20. & 28. Item 4. 74. citans ibidem Matth. de Afflict. Covarr. in Pract. quæst. c. 20. n. 4. & alios, qui aliàs necessariam subscriptionem negant. Dicitur autem in L. Contractus C. de fide instrument.) quòd sit locus pœnitentiæ, donec contractus sit in mundum redactus & subscriptione partium confirmatus, quod Iustinianus vocat *Completionem accipere & esse absolutum*. Instit. de emp. & vend. §. 1. si autem fiat donatio apud acta, testium subscriptione non indiget, l. in donationibus C. de donat.

*Invocatio etiam nominis divini facienda in instrumento*, apponendus annus Domini, mensis, dies, locus, & locus contractus. fides talis Instrumenti ritè perfecti, maxima est, pro se præsumptiones habet, & plenè probat, & aded potens dicitur, ut habeat vim definitionis sive sententiæ, & appelletur, *Noli me tangere*, atque probatam probationem habere censeatur. Non parum tamen instrumentorum fidei derogant obscuritas & ambiguitas verborum, error, rasuræ, interlineaturæ, cancellationes, apostillæ sive additiones in margine scripturæ vel instrumenti repertæ, maxime, si aliquid magni præjudicii contineant, positæ in loco suspecto, adversâ manu, & si constet ex intervallo adjectas fuisse, licet in dubio eodem tempore cum instrumento & de consensu partium factæ præsumantur: & ad tollendam suspicionem, Notarius poterit

poterit addere Apostillas & rasuras &c. tempore celebrati instrumenti & de consensu partium intervenisse. Quæ omnia latius videri possunt apud *Farinac. p. 8, q. 153. p. 1.* Ceteraque hoc notariale officium concernentia in Iustiniani Imp. Novella Constitutione *De officio Tabellionum, & divi Imp. Maximiliani super Notariatus exercitio* constitutione data in civitate Colonienfi anno 1512. Mensis Octob. die octava.

Doctrina etiam in Notariis requiritur; *Nimia enim imperitia Tabellionum destruit mundum, & ponit conscientias bonorum virorum in magno discrimine.* ait Barr. & Ioson in l. filius ff. de lib. & posth.

Quantum verò ad Notariorum munus, & cetera, etiam si videatur accedere ad notas Romanorum, qui abbreviationibus & notis multis uti solebant, est tamen aliud, & nihil comprehendit, nisi quod est styli ordinarii contractuum, & quæ assidua sunt in contractibus, quæque etsi expressa non sint, inesse videntur, l. quod si nolit. §. quia assidua ff. de Edilitio edicto. sed non se extendit ad clausulam particularem & insolitam.

Neque hic omittendum, expediens & necessarium fore, ut in quaque civitate constitueretur Tabularium, quod hodie vocatur *Archivium*, in quo defunctorum Notariorum Acta & Prothocola custodirentur, de quo ait Iustinianus in Novell. 15. *Cum nullum sit Archivium, in quo acta reponantur, deperit quod conficitur, & nequaquam invenies plurium annorum monumenta: sed qui his egent, apud hæredes scribarum vel alios successores ea querunt, & sæpe quæ inveniuntur nullâ fide digna sunt, multa verò pereunt, vel in tantum cadunt, ut in similitudine actorum non sint.* Vnde ordinat c. 5. ut in singulis civitatibus sit domus publica, in qua monumenta recondantur, utque eligatur, qui horum habeat custodiam, quo magis ea incorrupta maneant, & celerius quaesita inveniantur, sitque apud ipsos aliquod *Archivium*, & quod hactenus in civitatibus peccatum est, modò ad pristinum statum reducatur: quod ubi fieret & post obitum Notarii ab Archivii custode extrahendæ essent copiae, illarum salarium dividi deberet, ut custos lucraretur medietatem, & hæredes Notarii alteram. *Armarium Scribae*, ait Cassiodorus, *fortuna cunctorum est.*

Secre-

*Secretarii etiam Scribae sunt, sed hi in officio sunt, & in longè magis honorabili & eminenti ordine ac gradu: quorum diversæ sunt species, secundùm Magistratus, Dominos, Duces, Reges, ac Imperatores, quibus inserviunt, atque hac ratione in minori ac majori dignitate constituti censentur.*

Dicuntur etiam *à Secretis*, quia Principes illis sua secreta confidunt, unde pluribus immunitatibus & privilegiis honorantur, & ut ait Cassiodorus lib. 1. Epist. 4. *Honor hîc datur egregiis, dum ad Imperiale secretum tales constat eligi, in quibus reprehensionis vitium non potest inveniri &c. Ornat subiectos Principis secretum, dum nullis asstantur necessaria posse committi, nisi qui fuerint fide magnâ solidati.* Publicum est omne, quod agit Princeps, sed multa non sunt antè faciendâ, quàm fuerint, Deo auxiliante, perfecta: tantoque plus debent oculi, quanto ampliùs desiderantur agnosci.

*Regis consilium solos decet scire gravissimos: imitari debent arma, quæ continent monumenta chartarum, ut quando ab ipsis aliqua instructio queritur, tunc loquantur: totum autem dissimulare debent quasi nesciant scientes.*

*Nobiles & spectabiles* vocat Iustinianus lib. 12. C. de primicerio & Notariis, in his verbis. *Præclaram Nobilemque militiam spectabilem Tribunorum Notariorum, qui gloriosis obsequiis nonnihil Reipub. commoditatis adferunt & decoris, diversis beneficiorum titulis muniendam credimus & augendam.*

Advertendum hîc, quod sint & *Spectabiles*: erant enim secundâ dignitate, & immediatè sequentes *Illustres*, qui numerantur supremi in dignitatum ordine. *Spectabilis* autem etiam est *Clarissimus*, juxta l. fin. lib. 12. C. de Princ. agen. in re, & qui *Clarissimi sunt Nobilissimi probantur.* Tiraquel. c. 2. de Nobilit. In hac lege etiam nominantur *Tribuni*, quod significat Capitaneos: habebant enim *Fus gladium gerendi, & cingulum*; ut testis est *Suidas*; qui refert de quodam *Auxentio* Notario Imp. *Licinii*, cui Imperator mādabat amputaret insignem ramum multis refertum uvis, offerretque Idolo Bacchi; quod quia recusabat facere, ex quo esset Christianus, ejectus fuit ex curia, & cingulo exutus est.

Appel-

Appellabantur etiam *Candidati*, juxta Cassiod. *lib. 4. Epist. 3.* ubi dicit, *Pater meus, candidati Tribuni & Notarii laudabiliter gessit dignitatem.*

Cumque Palatinis stant candida turba Tribuni: idè taliter nominati, quia adstabant Imperatori, destinati ad magna munera, candidoque induti habitu pro insigni illorum dignitatis: & Tertull. *lib. de Idolat. Qui familiaritate Regum utebantur, purpurati Regum vocabantur, sicut apud nos, à toga Candida Candidati.*

In antiquo Imperio erant tres *Secretariorum* ordines, qui & distinguuntur *Cod. de primicerio & Notar.* ex quibus primi intitulantur *Tribuni Prætoriani & Notarii*, qui habebant dignitatem *Comitum*: secundi simpliciter *Tribuni & Notarii*, & isti gaudebant dignitate *Vicariatus*: tertii nominabantur *Notarii Familiares*, sive domestici, qui fruebantur ordine & dignitate *Consulariatus*: dicanus autem, sive Notariorum senior, dictus, *Primicerius Notariorum*, habebat dignitatem *Proconsularem*, & post exercitium biennale fiebat *Illustris* & consequabatur *Magisterlam dignitatem* vacantem.

Hiscè temporibus diversa sunt *Secretariorum* genera, diversa privilegia, & immunitates. Imò in aliquibus locis & *Secretarii*, & *Consiliarii*, & alii eminentiores officii & Iustitiæ administratores à Regibus ac supremis Principibus provisi ad ratam & respectum ordinis & dignitatis, hoc ipso sunt *Nobiles perfectâ Nobilitate*, ac si forent ex quarta generatione completa, imò *capaces ordinis militaris*, & illorum proles tam masculæ quam femellæ, si illarum pater mortuus sit in officio Secretariatus, aut filio vel genero suo resignaverit, juxta *text. in l. eam legem C. de Excus. lib. 10.* ubi dicitur, *Illi, in quos munera nostra redundarunt, beneficiis eorum, non solùm quamdiu militarint, sed etiam quamdiu vixerint perfruentur.* Guido Papa Decis. 877.

Ad hoc propositum, quod & sequenti Capitulo poterit servire, videamus quid sit, & unde procedat vera Nobilitas, quæ in personis prædictis & in subsequentiibus, *Advocatis ac Iurisconsultis*, locum poterit habere. hanc definit Cicero, Epistola ad Hirrium, dum

dum ait: *Nobilitas nihil aliud est, quàm cognita virtus; adeoque causa ejus una est, virtus; maximè autem illa, quæ procedit è vigore & fortitudine militari; virtutem enim latini dicunt à viro seu viribus.*

Sicut autem *fortitudo* requiritur in bello, ita & *Iustitia* tam in bello quàm in pace. In pace ad impediendum bella: in bello, ad impetrandam pacem: estque tam necessaria in bello, ut nec ipsa fortitudo sine Iustitia sit virtus, sed violentia. Vnde pulcherrimè Imp. Iustinianus *Novel. 69.* in terminis dicit: *Vna omnium perfectissima inter homines virtus censenda est, quæ ius suum cuique tribuit, & ex re ipsa nomen trahit appellaturque Iustitia. Nisi enim ceteras omnes virtutes, huius bona concomitentur, fieri non potest, ut rectè aliquid geratur, & ex officio. Inde aded neque fortitudinem Iustitia non coniunctam laudabimus; quamvis patria lingua robur & virilitatem solummodò, quæ in armis consistit, virtutem nominet: cui si quis Iustitiam detrahit, improbitatis duentaxat, non etiam boni alicuius ansam præbiturus sit.*

Et quoniam Aristoteles *Jurisprudentiam* probat esse *Primam* super omnes scientias, cur ergò & *Nobilitas* non potest procedere tam ex Iustitia quàm à fortitudine militari?

Quantum ad aliam Nobilitatis causam, quæ est, ut sit *Cognita virtus*: hæc publica virtutis approbatio fieri debet apud illos apud quos residet dispositio publica, & qui ad illam dispensandam à Deo sunt constituti. Neque etiam cognitio illa apud omnes innotesceret, neque apud omnes vim & auctoritatem fortiretur, nisi facta foret per illum, qui omnibus imperat & dominatur.

Insignis autem & singularis recognitio, quam Princeps aliquis supremus de virtute facere potest, est illa, quæ fit per collationem & admissionem eminentiorum officiorum ac dignitatum, qui illas nec illa conferunt, nisi his, qui in virtute & meritis excellunt & propalantur. &, ut docet Cassiodorus, *Non est maius meritum, quàm gratiam invenisse Regnantium; nam quibus fas est de cunctis optimos querere, videntur semper optimos elegisse:* Et Iustinianus *Novell. 8.* *Quis non putet magno honore compleri eum, qui Principis de-*



*creio Iudiciòque ad cingulum venit? Plura videri possunt apud Carol. Loyseau de offic.*

Dicuntur etiam *Magistri sacrorum scriniorum*, seu *scrinarii*, qui cuiuscumque Præsidis vel Iudicis acta servabant: & hi vocantur *Spectabiles ac Clarissimi*, & sunt ab omni gravamine tam publico quàm privato immunes, unà cùm suis filis etiam post depositum officium. qui autem longo tempore probè militaverunt in sacris scriniis, finito officio, cingulo Comitivæ sacri Palatii dum vivunt potiuntur, pluribusque aliis gaudent privilegiis quæ habentur *L. unica C. de Magistr. scrin. & toto titulo C. de prox. sacr. Scrin. lib. 12.*

*Sub Scribis etiam referuntur Cancellarii*, de quibus variis in locis fit mentio in *Cod. & signanter Tit. C. De Assessoribus, Domesticis, & Cancellariis Iudicum*. Hi in formam redigebant & subsignabant actus & sententias, partibusque distribuebant; sic dicti, non à Cancellando, sed potiùs à Cancellis; quia nimirum *Cancellos agebant*, &, ut ait *Cassiod.* Cancellis præerant. prout id ipsum magis describit *Epist. 1. lib. 11.* ubi *Theodoricus* scribit ad suum Cancellarium: *Respice quo nomine nuncuperis, latere non potest quod intra Cancellos egeris: tenes quippe lucidas fores, claustra patentia, fenestras, ianuas: & quamvis studiosè claudas, necesse est ut te cunctis aperias. Nam si foris steteris, meis emendaris obrutibus; si intus ingrediaris, observantium non potes declinare conspectus. Vide quo te antiquitas voluerit collocari: undique conspiceris, qui in illa claritate versaris.* Cancelli autem erant ferramenta lignavè reticulato textu conseptra: & in hoc loco omnes scribæ, quæ habebant scribenda expediebant, ut nihil agerent in abscondito. Et licet ab initio Cancellarii essent ultimi in ordine scribarum, ut habetur in *Rubr. Cod. de Assessoribus, Domesticis & Cancellariis*, attamen illo solo partes indigebant, & multo plus quàm *Exceptore* aut *Regerendario*, unde postmodum in majorem evehctus auctoritatem. Hinc *Cassiod. d. loco.* *Quamvis statutis gradibus omnis militia peragatur, tuus honor cognoscitur solemnî ordine non teneri, qui suis primatibus meruit anteponi. Tibi enim reddunt obsequia, qui te præire noscuntur, & reflexa condi-*

*conditione iustitia, illis reverendus aspiceris, quos subsequi posse mon-  
straris. Inssa nostra sine studio venalitatis expedias, omniâque sic  
geras, ut nostram possis commendare iustitiam: Actus enim tui, Judi-  
cis opinio est: & sicut penetrare domus de foribus potest congruenter intel-  
ligi, sic mens Praesulis de te probatur agnoscere &c. Et quamvis Glossa  
dicat, quoddam Cancellarius sit, qui habet officium scripta responsaque  
Principis, atque mandata inspicere, & malè scripta cancellare, &  
benè scripta signare: tamen Carol. Loysseau in tract. de ordin. off. lib.  
4. c. 2. n. 23. majorem vult habere apparentiam, ethymologiam  
magis à Cancellis derivari, quibus ejus residentia erat circumcincta  
ut coram omnibus quæcumque agerentur apparent. Tradebat-  
que, ut suprâ dictum est, expeditiones Magistratum Provincia-  
rum, dicebaturque Provinciarum Cancellarius, & qui custodiebat  
acta & expeditiones Regis, Regius & Supremus Cancellarius, qui  
tum vocabatur Secretarius Regis. Vnde Hincmarus Archiepisc.  
Remensis, in quadam Epistola scribit: Summus Cancellarius, à se-  
cretis tum appellabatur, erantque illi subiecti prudentes ac fideles viri,  
qui præcepta Regis absque immoderata cupiditate scriberent, & secreta  
illius fideliter custodirent.*

Cancellarius præter diversas prærogativas, quarum hîc seriem  
enucleare non est instituti mei, Symmachus brevibus verbis com-  
plectitur:

*Quæstor es, Legum conditor, Regalis  
Consilii particeps, Iustitiæ arbiter.*

*Cancellarii vigilantia, omnium somnia; labor, omnium otium;  
omnium delicias, industria; omnium vocationem occupatio defen-  
dit.*

*Hic est, qui Regum leges cancellat iniquas,  
Et mandata pii Principis æqua facit.  
Si quid obest populo, vel legibus est inimicum,  
Quidquid obest, per eum desinit esse nocens.*

Ceterum hoc nomen Scriba notum etiam est in sacris paginis,  
quorum diversa erant officia: unum eorum, qui Regibus appare-

bant, quodcumque tandem eorum minus fuerit. 2. *Sam.* 8. & 9. & 20. *cap.* 2. *Reg.* c. 12. & 22. Alterum qui privatorum contractus & instrumenta videntur descripsisse, quorum contractuum quis fuerit mos, colligi potest ex textu *Ierem.* 32. c. *Et emi agrum ab Hanameel filio patru mei, qui est in Anatoth. & appendi ei argentum septem stateres & decem argenteos, & scripsi in libro & signavi, & adhibui testes: & appendi argentum in statera. & accepi librum possessionis signatum, & stipulationes & rata & signa forinsecus, &c.*

Ex *Scribarum* numero etiam aliqui selecti erant, qui *Scribæ* populi vocabantur, quorum fit mentio *Matth.* 2. c. *Et congregans omnes Principes Sacerdotum, & scribas populi.* Scribas sic dictos, ex eo, quòd legi scribendæ & interpretandæ vacarent, quasi *Sacrarum tabularum custodes.*

David in suo *Pfal.* 44. scribit, *Lingua mea calamus scribæ velociter scribentis.* Quid habet simile lingua Dei cum calamo Scribæ? humilem similitudinem calami hujus, nec comparemus illi excellentiæ, nec tamen respuamus, ait *S. August. d. loco.*

Quod autem sæpiùs fiat mentio de Scribis simul & de Pharisæis, sciendum, quòd aliqui Pharisæi erant sapientes, & aliqui non: erant Pharisæi, qui erant scribæ, & alii non. Pharisæi habebantur inter Iudæos, ut viri Religiosi, sed non ut sapientes, nisi accederet simul esse scribas. Unde cum de quæstionibus difficilibus, ut erat, *Quomodo dicunt Scribæ Christum esse filium David?* *Marci* 12. debebat quæri à viris peritis, non debuit Christus quære à Pharisæis, nisi simul illi essent sapientes; inde quæsit à Scribis. Et ita ubicumque agitur de sapientia, *Scribæ* ponuntur; ubi autem de Religione & zelo legis, nominantur Pharisæi solùm. *Tostat. super Matth.* 22. *cap.* q. 32.

Etenim *Scribæ* dicuntur, non qui simpliciter scribebant, sed erant homines, qui consulti ex Prophetarum libris respondebant: hos *Lucas* vocat *Legisperitos.* Non enim dicebantur *Scribæ* à scribendo, sed à literis aut libris, ab evoluendis enarrandisque libris sacris; unde & *litterati* vocantur sapientes viri docti. Hos Græci vocant *Grammateos, Philosophos,* Hebræi ac Iudæi *Scribas;* Persæ

*Perfæ autem Magos. Cùm esset scriba & ingeniosus in Lege Moyfi, qua data est à Domino Deo Israël, docere & facere.* 3. Esd. c. 8.

Talis erat Esdras, qui vocatur *Scriba velox in lege Domini*, id est legum peritissimus. Cùm autem Deus *Scribis* sapientiam suam in-  
dit & communicat, ut à Discipulis & populo quasi sapientes hono-  
rentur, & præ aliis Deus honorem imponit *Scribæ*, quia propria  
dos honor & gloria Dei consistit in sapientia practica. hinc dicitur  
Eccles. c. 10. *In manu Dei potestas hominis, & super faciem scribæ  
imponet honorem suum.* A lapid. d. 1.

Deus quippe sapientes evehit ad Principatus & alta regimina,  
ita ut sint Principes, vel certè Principum præfides, consiliarii, Le-  
gis-Latores, assessores, & rerum publicarum gubernatores: hinc  
*Scriba erat nomen dignitatis.* Scribæ enim vocabantur, qui nunc  
*Cancellarii*, qui erant proximi à Rege, quorum erat, nomine Regis  
decreta concipere, scribere, reservare, & promulgare, eademque,  
si posceretur, lectitare. sic *Saraias* fuit *Scriba*, id est Cancellarius  
Davidis, 2. Reg. c. 8. *Sobna Ezechia*, 4. Reg. 18. *Baruch* fuit *Scri-  
ba*, Jerem. 36. & *Jonathan*, Jerem. 37. & *Eleazarus*, unus de pri-  
moribus *Scribarum*, vir ætate provectus & vultu decorus, 2. Ma-  
chab. 6. Ita Deus, *Christo Domino*, puta verbo Incarnato, qui est  
*Scribarum* & *Doctorum* Princeps, suum dedit honorem, cùm  
sua divinitatem, auctoritatem, & imperium, cum Sapientia ei  
communicavit: ipse est Legis novæ *Doctor*, & *SCRIBA doctus:  
in Regno celorum, ac de thesauro sapientia sua proferens nova & ve-  
tera.* Matth. 13.

*Legatos etiam suos esse Scribas* testatur *Salvator* noster apud *Scri-  
bam* suum S. Matthæum c. 23. dum scribit, *Ecce ego mitto ad  
vos sapientes & Scribas*, & quos *Scribas* S. Ieronimus. *Lib. 4. com-  
ment. in c. 23. Matth.* interpretatur esse in lege peritissimos: sed  
dices, erant periti in Lege divina? sit ita: an non erant idcirco in  
humana? numquid nostri moderni *Legisprudentes*, periti sunt in  
Iure civili & Canonico? nonne canones Legem continent divi-  
nam? nonne *Juris-prudentia*, quam profitentur, in lege peritissi-  
mi, est divinarum atque humanarum rerum notitia, iusti atque  
injusti scientia.

*Scri-*

*Scriptoris arte laudabiliter utebatur & excellebat S. Fulgentius. S. Antonius de Padua, & ex illo P. Roberti proferunt in civitate Podiensi fuisse Jurisconsultum, cujus nomen non proditur, professione notarium & pro fide Christi, Dei Martyrem. Bolland. in vita ejus.*

Referunt flores Seraphici P. P. Capuccinorum in vita fratris *Anthonii* de Monte Sicardo, Magistri Novitiorum, quod in nocte quadam dum d. fr. Antonius post matutinas sub auroræ crepusculum oraret, & formosissimorum hominum supplicatione Ecclesiam ingredi Dei filium in throno sedentem conspiceret, idem Dei filius dictum fratrem in angulo extremo Ecclesiæ orantem ad se accersiri jussit (prætereundo alios discursus) & conversus ad Angelos dixerit, *Afferre ad me librum vitæ: quo statim oblato, alteroque Angelo Domino calamus ministrante, cum ipse atramentarium geltaret Dominum ipsius nomen in libro vitæ scribentem, propriis oculis viderit.*

Ceterum sicut Deus super veros & proprios Domini nostri Iesu Christi *Secretarios, Sanctos Matthæum, Marcum, Lucam & Joannem* honorem suum imposuit, nunc & in perpetuum; sic & indubiè imponet super omnes *Præsides, Cancellarios, Consiliarios, Secretarios & Scribas*, si illorum monita & exempla secuti fuerint, hinc in laude, & postea in gloria futuri sæculi; experienturque, quod, *Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, & qui ad Justitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates: Daniel. 12.*

CAPUT II.

De Advocatorum Industria; honore  
& prerogativis.

**L**audabile, vitæque hominum necessarium, ( ut à Juris scripti ver-  
bis veròque textu incipiam ) est Advocacionis officium, quod  
maximè principalibus præmiis oportet remunerari; est enim res quædam  
sanctissima Civilis sapientia, quæ prætio nummario non est aestimanda.  
Quapropter Advocati, qui dirimunt ambigua facta causarum, suæque  
defensionis viribus in rebus sæpè publicis ac privatis lapsa erigunt, fati-  
gata reparant, non minùs provident humano generi, quàm si præliis at-  
que vulneribus patriam paréntesque salvarent. Nec enim solus nostro  
Imperio militare credimus illos, qui gladiis, qui clypeis, & thoracibus  
viuntur, sed etiam Advocatos; Militant namque causarum Patroni,  
qui gloriosæ vocis confisi munimine, laborantium spem, vitam & po-  
steros defendunt.

Fubemus itaque post depositum ( ut dictum est ) præfatum officium  
unumquemque eorum, qui in præsentis sunt, vel postea matriculis eorum  
pro tempore fuerint inserti, Clarissimi primi ordinis Comitibus perfrui dig-  
nitate, quatenus & tempore quietis fructum præteritorum laborum com-  
sequantur, præque fide atque industria erga Clientes suos comprobata pri-  
vata conditionis hominum multitudine segregati, Clarissimis meritis  
connumerentur.

Digni omnibus honoribus habeantur, qui Advocati esse meruerint:  
quo enim honore impares esse credimus eos, qui vitæ & eloquentiâ Reipub.  
& privatorum commodis deserviunt. L. laudabile, & l. 1. C. de  
Advocat. divers. Judic. l. Advocati 14. C. de Advocatis divers.  
Judic. l. 1. ff. de var. & extraord. cognit. Nov. de postul. Quippe  
Justitia procul dubio periret, si deesset qui iustitiam allegaret.

Sacra etiam res est, & prope divina, afflicto clienti patrocinium  
præ-

præstare, lapsum prudenti consilio erigere, fatigatum & oppres-  
sum recreare & juvare, adeo ut Hostienlis in sua summa *Antepo-  
nat vitam boni Advocati, vitæ multorum Religiosorum.* Quoniam  
vero *Iurisconsulti* seu *Advocati*, non tantum Iuris privati, sed pu-  
blici quoque pars est, merito & *Sacerdotes* appellantur; offerunt enim  
Deo sacrificium, quod Propheta regius, illis, commendat: *Sacri-  
ficate sacrificium iustitiæ, & sperate in Domino.* Minutius Felix idem  
asserit in suo Octavio: *Qui iustitiam colit, Deo libat, id est, sacri-  
ficat.*

Et *Ius*, ait textus in l. 1. ff. de Iustit. & Iure, *est ars boni & æqui,*  
*cuius quis nos SACERDOTES appellet:* Iustitiam namque, à qua  
Ius appellatur, uti effectus à sua causa efficiente, colunt, *Æquum*  
*ab iniquo separantes, licitum ab illicito discernentes, bonos non solum*  
*metu pœnarum, verum etiam præmiorum exhortatione efficere cupientes.*  
De lib. 1.

Neque tantum scientia est, quæ est Iuris, sed & Sapientia; ete-  
nim seipsum regere est summa sapientia; sed hæc nedum docet se-  
ipsum regere, sed etiam Civitates, Provincias & omnem Orbem  
terrarum, sine ea nihil factum est, & aliarum præcipua, cum per  
eam regantur omnia. *Text. in Auth. ut omnes obed. Jud. provinc.*  
sanctissimamque rem esse civilem Sapientiam vocat text. in l. 1. §.  
proinde. ff. de var. & extrord.

Hæc Scientia professores suos facit in Orbem terrarum solemniter  
principari. *Azo in præf. Iust.* & refert Angelus de perusio *L.*  
*cum salutatus C. de sententia past.* quod læcèt Papa recipiat omnes  
ad osculum pedis: tamen Urbanus Papa recepit eum ad osculum  
Pacis.

Nobilissima est, cum ex ea fiant nobilissimi *L. 2. ff. de excus. tut.*  
& nemo dat quod non habet, præterea Iurisperiti dicuntur Philo-  
sophi & viri profundioris scientiæ & doctrinæ.

Vnde Iuris civilis scientia semper etiam in summo honore habi-  
ta est, & quæ nihil unquam boni optabilius, nihil præstantius mor-  
taliu generi, Dei munere vel datum fuit, vel dari potuit. *Zaxius*  
*apud de Verdier f. 508.* ac proinde discedi à legibus indignum  
Cicero

Cicero putat (*In orat. pro Cluent.*) quòd hoc sit vinculum civitatis hoc fundamentum libertatis, hic fons æquitatis, mens & animus, consilium & sententia civitatis posita in legibus. Ut enim corpora nostra sine mente, sic Rempub. sine legibus, suis partibus & nervis ac sanguine & membris uti non posse; & in summa, legum idcirco omnes nos servos esse, ut liberi esse possimus; quòd omnia commoda nostra, jura, libertatem, salutem denique à legibus obtineamus. *A feris non discrepant homines soluti legibus.*

Inter omnes tamen præcipuo Imperator prosequitur favore, *Divinarum humanarumque legum peritos*, quos Ulpianus, ut adhuc dictum est, non impertinenter *Boni & aequi vocat Sacerdotes*. Quis enim legi non faveat? quæ teste *Salom. Prover. c. 6.* lumè vitæ est: & Aristoteles in ea Repub. quæ scripto Iure regitur, *Deos Imptare* affirmat.

*Illam neminem in paupertate vivere, neque in anxietate mori permittunt.* Auth. de hæred. & falc. circa finem.

*Archidamus* Zeuxidami filius roganti, quinam essent Spartanz civitatis Præfeti, *Leges, inquit, ac legitimi Magistratus*. Graviter censuit in Repub. benè instituta supremam auctoritatem esse legibus deferendam, nec ulli Magistratui fas esse quidquam contra leges publicas tentare. *Lib. I. Apoph.*

Et à sacris incipiendo, videamus, quibus legibus & consilio usus fuerit Regius Psaltes: *Consilium meum iustificationis tuæ*, 118. legit alia versio, *Viri consilii mei iustificationis tuæ*. Tanquam si diceret, *Advocati mei*, virique docti, quos Consiliares adhibeo tua sunt præcepta, tuæ sunt justificationes, illi sunt optimi Iudicum Consiliarii: nec illos dirigit Amor, Cupiditas, Ambitio, Avaritia, Affectus, lucrum & passiones. *La Nuxa.*

*Acceptus est Regi minister intelligens.* Prover. 14. ubi Corn. Intelligens Regis minister est, qui in consiliis est prudens, in inveniendo solers, in conversando versatilis, in tractando dexter, in exequendo efficax, in maturando celer, denique in omni actione sapiens & fortis, æquè ac fidus & probus, itaque utilis est regi, ad omnia ejus negotia sapienter ac feliciter conficienda. Hic ergo

Sf

accep-



acceptus est Regi, immò est quasi os, manus & anima Regis, quocirca Sixtus in sent. n. 80. *Cole inquit virum Sapientem ianquam Imaginem Dei viventis.* Hic sapiens Arcadii minister, imò magister fuit Arsenius Iustiniano Belisarius: Henrico VIII. Angliæ Regi Thomas Morus, cui quamdiu se credidit Henricus, tamdiu sapuit: ast ubi libidine abreptus ejus sana consilia respuit, desipuit, ideoque Thomam occidit, in cujus nece non tam Thomæ, quam sibi ipsi, toti que Angliæ caput amputavit.

*Domitium Vlpianum, ac Iulium Paulum* Iuris-consultos præstantissimos, *Prætorii sui Præfectos* Alexander habuit: ipsum *Vlpianum* autem tantopere veneratus est, ut sine illo majus aliquid vix decreverit? Cœnis etiam ac conviviis suis testem ubique adhibuit, denique majoribus tractandis rebus, sive publicis sive privatis, doctos semper viros adesse voluit, eos qui aberant per epistolam consulabat: dictum præterea; *Vlpianum præfectum prætorio* Mammez præfecit, omnium que ejus consiliorum participem suâ prudentiâ Principem, atque aded totum imperium regentem.

Nec tantùm *Præfectum prætorio* fecit, sed & parentem suum appellabat in l. 4. C. locati, & alibi l. 4. C. de Contrab. & commit. stipulatione. rescriptum suum sic orditur *Secundum responsum Dom. Vlpiani præfecti Annona Iurisconsulti Amici mei ea quæ stipulata est.*

Propterea quærenti *Constantino Magno*, quo pacto *Alexander* & adolescens & *Syrus*, in talem evasisset Principem? cùm *Tiberii, Caligulæ, Nerones, Domitiani, Commodi, Iuliani* ante illum Principes Romani sanguinis, Imperatorum nomen dignitatemque fœdarint? Responsum fuit: Id potissimum moribus ac probitati eorum acceptò esse ferendum, quos ille Princeps in consilio habuerat, *Vlpiano, Iulio Paulo, Pomponio, Sabino* Iurisconsultis præstantissimis. *Rutil. in vita Vlpiani.*

*Spartianus* in vita *Adriani Imp.* dicit quod cùm judicaret, in consilio habuit non amicos solum aut comites, sed *Iurisconsultos*, præcipuè *Iulium Celsum Salvium Iulianum, Neratium Priscum* aliosque quos tamen Senatus omnis approbasset. *Antoninus* cognominatus *Philosophus* semper sua negocia tam civilia quam Bellica

bellica cum cōsiliariis suis conferebat, & in ore habebat: *Aquius* est ut ergo tot & salium amicorum consilium sequar, quàm ut tot & tales amici meam unius voluntatem sequantur: sciebat enim quod suum quisque habeat iudicium, variaque esse horum iudicia, varias voluntates. unde natura mortalium, hoc quoque nomine praeva & sinistra dici potest, quòd in suo quisque negotio hebetior est quàm in alieno. *Curt.* Oportet prouide detestari Philauthiam istam & proprium amorem, qui nos reddit tanquam Idololatræ nostrorum conceptum, & nos subiicere plurium & bonorum iudicio si felicem nostrarum rerum consequi velimus effectum; fortuna enim consiliorum adiutrix bonorum. unde

Melius est in Repub. habere malum Principem, qui bonos habeat Consiliarios, quàm bonum, qui malos haberet, quibus rerum administrationem committat: credendum enim facilius fore, ut à multis bonis unus malus ad saniora ducatur, quàm ab uno bono multi à malitia avertantur. *Fulg. lib. 7 c. 2.*

*Alexander Severus* tantâ fuit æquitate, ut nullas umquam sanciret lèges, nullam constitutionem, *Sine viginti Iurisperitis & doctissimis ac sapientissimis viris*: nec ulla in re iudicium ferret, quin prius iret per sententias singulorum, & scriberetur, quid quisque dixisset, ac cùm de Iure ac negotiis tractaret, solos adhibebat doctos. *Lamprid.*

*Traianus Imp.* omnium felicissimus, nihil sine *Neratio Prisco* J. C. (de quo meminit *Pomponius*) attentavit. Quin etiam frequens fuit apud Romanos opinio, *Traiano* id animi fuisse ut *Neratum Priscum*, non *Adrianum* successorem relinqueret, multis in hoc consentientibus amicis: usque eo, ut *Prisco* aliquando dixerit, *Commendo tibi Provincias, si quid mihi fatale contigerit.* Singularis omninò scientiæ virum esse oportuit, quem tantus Princeps in Imperii Romani moderatorem designaret. *Gribaldus.*

*Antoninus Pius*, omnium certè Principum optimus, quo imperante nihil Romanis adversum contigit, nulla major in toto orbe tranquillitas; his (teste *Capitolino*) usus est *Iurisperitis Vendio Vero*, *Salvio Puliano*, *Eburnio Valente*, *Volsio Metiano* & *Prisco*

Laboleno : optimi quidem fuerunt , & talem Principem reddiderunt.

*Hadrianus Imp.* quodam tempore, dum videret, servum suum inter duos *Senatores* ambulans, misit qui illi Colaphū impingeret diceret quæ, *Noli inter senatores ambulare, quorum potes adhuc esse servus : simul senatoriæ dignitati consulens & servi castigans insolentiam.*

*Sigismondus Imperator Romanus*, cùm à Principibus, qui litteras oderant reprehenderetur, quod homines obscuro nomine natos, ob litterarum commendationem foveret? *Quid ni, inquit, Amemus eos, quos natura ceteris antecellere voluit?* Alii tribuunt plurimum generis nobilitati : at *Cæsar* vir prudens intellexit in eruditis esse quiddam stemmatibus præstantius ; illi habent ædium parietes, Clypeis & Imaginibus depictos, hi animum optimis disciplinis exornatum : Porro ut natura animus præstantior est Corpore : *Ita ornamenta ingenii longe pulchriora sunt externis bonis.* *Jacob. Spierg.* in *Æneam Sylvium.*

*Georgius Fiscellius Iure-Consultus à Sigismundo Cæsare*, equestris militiæ Insignia suscepit : exin cùm *Basiliensem Synodum* adisset, consultante de rebus arduis *Sigismundo*, dubius erat *Legumne Doctoribus* in unum locum junctis, an equitibus item in alium separatis, sese jungeret? Cumque tandem ad equites inclinaret : *Stultè agis, inquit Sigismundus*, qui litteris militiam præfers, nam ego milites mille una die fecerim, doctorem unum, mille annis non fecerim.

Doctrinam militiæ prætulit Imperator, quod ut ipse linguarum ac litterarum peritiam amavit, ita viros eruditione præstantes semper evehere studuit. *Æneas Sylv. lib. 4. Comment. in res gestas Alph.*

*Alphonsus Rex* tantopere amavit studia, ut persanctè affirmaret, se malle perdere quæ possidebat omnia, quàm ut tantillum eruditioni discederet suæ.

Idem cùm audisset nonnullos *Europæ Reges* ad *Basiliense Concilium* destinasse *Oratores potentes, & progenie illustres,* magna

cum

cum equorum & comitantium pompa; *Haud decere aiebat, cum de Iure humano & Divino disceptandum esset, nobilitatem potentiamve iactare, sed doctrinam & scientiam.* Panormit.

*Scientiam* Cynus *Nobilitati* præponit, & *scientia filiam* dicit *Salicetus*, esse *Nobilitatem*. Vnde etiam hodie ad *Licentia Lauream*, *Doctoratusque* apicem in celebri *Vniversitate* & non per saltum erecti, sibi *Arma insigniaque nobilium more*, jure assumunt: opinione enim virtutis omnium maximæ, quæ est *Iustitia*, maximi quoque debentur honores, qui justissimi esse censentur.

*Præfecti Prætorio* officium maximum fuit, &, teste *Zosimo*, proximum post *sceptrum*. *Vlpiani*, *Papiniani*, aliorumque *Iuriconsultorum* operâ factum est, sicut & suprâ diximus, ut hoc munus rogatâ potiùs quàm bellica arte administraretur. Vnde & *Pomponius Iurisc.* appellat *Principes viros*, & *Spartianus* in *Juliano*, *Nobilem nobiliorem fieri Iurisprudentiâ*.

*Cato Maior* sextum & *Octogesimum* annum agens, quamvis eloquentiæ gloria *Illustris* esset, attamen se *illustriorem* volens reddere, sciens ad *Reipub. administrationem*, *Legum cognitionem* opidò necessariam & nobilissimam, id egit ut *Iuris civilis* quoniam esset *peritissimus* *O* præclaram (ait *Chokier*) & *Laudabilem* caritatem, quam ab otio senili potuit abripere pelagus. *Iurisprudentiæ* ? sed quis miretur, cum res sanctissima sit *Civilis Sapiencia*, necessaria, laudabilisque honoris plena, sacra *Philosophia*; vera, non simulata, cujus finis utilitas publica, & *Reipub. procuratio*; unde *Advocatis* olim tantùm præconiî ab *Imp.* tributum, ut dicerent eos, non minus *providere humano generi*, quàm si *præliis atque vulneribus Patriam*, parentesque servarent. *Aph. lib. 3. c. 8. l. 14.* *C. de Advoc. divers. Iud.*

Scitur etiam *Augustum Casarem* *Trebario* *Iuriconsulto* usum esse, *Cassio Vespasianû*, *Neratio Traianû*, *Juliano Hadrianum*, *Scævola Antonium*, *Papiniano Septimum Severum*: qui quidem omnes ut *Iurisprudentiæ* laude floruerunt, ita *Principibus* jam dictis, decori & ornamento, rei verò publicæ, præsidio summo fuerunt.

*Chok. d. h.*

Licet

Licet autem præclarum sit, etiam per fortunam inter Illustrissimos admirationi esse, & connumerari, multò tamen præstantius est, *Industria sua* quidquid *gloriosum* ac *illustre* sit, adeptum esse. Illa enim sceleratis etiam interdum se objicit aut agnoscitur: hujus autem societas & communicatio nemini adest, nisi qui generoso fortique studio excellat. *Demost. orat. Amat.*

Romani primitus approbabant *advocatos* qui sua sola præsentia adhibebant partibus, postquam illorum causa esset ventilata, per illos quos vocabant *Patronos causarum*: unde *Asconius* notat, qui defendit alterum in judicio aut *Patronus* dicitur, si orator est; aut *Jure-consultus* si jus suggerit; aut *Advocatus*, si præsentiam suam amico accommodat; aut *Procurator*, si negotium suscipit; aut *cognitor*, si præsentis causam novit, & sic tuetur ut suam. Sed hodie his nominibus abutimur, & *Advocamus Patronum*, *invocamus Iudicem*, *provocamus Adversarium*, *evocamus testem*.

Postmodum *Advocatos* appellarunt omni nomine qui causis agendis quoquo studio operantur.

Tres autem præcipuas habebant *Jurisprudentes* functiones: scilicet *Cavere*; id est *consulere partibus*, quod unicum erat officium antiquorum practitorum.

2. De *Jure respondere*, jus suggerendo Iudicibus, quando lites erant definiendæ.

3. *Judicare seu adsedere Magistratibus*, adsedendo illis, instruendo aut etiam judicando, aut sine Magistratu aut cum eo: unde Auctoritate Imperiali eoque devenerunt, *Vt censeantur esse in perpetuo Magistratu*, aut ut *Manilius* qualificat *Iurisconsultum*.

*Perpetuus populi privato in lumine Prætor.*

Anonymus quidam autor in quodam ad Apologiam responso dedicato Regis Catholici Legato Domino de Brun, scribit quod character *Advocationis* est pro ministris *togatis*; ut prima Tonsura Prælati Ecclesiæ sine qua nullus reperitur Episcopus nec Cardinalis; ut & nullus præses, custos sigilli, vel Cæcellarius, qui non sit *Licentiatius* fueritque in numero *Advocatorum* receptus: quare etiam Imperatores *Theodosius* & *Valentinianus* illos insigni honorant  
elogio,

elogio, dum statuunt in verbis, *Ut digni omnibus honoribus habeantur, qui Advocati esse meruerunt.* & ut addit Aulus Gellius, *illius scientia cultores, quæ est omnium virtutum disciplina, quæ in publicis simul & privatis officiis excellit, & Rempub. fortiter & peritè tuetur;*

Præterea Iudices debent Advocatos in consistorio & auditorio recipere, & reverentiam cum salutatione referre & sedendi locum tribuere, juxta textum *In L. fin. C. de offic. divers. iud.* meritumque Iuris civilis scientiæ ipso jure reddit peritum, nobilissimum *Text. l. providendum, C. de postul.* unde Ulpianus dictus est *Nobilis L. 2. §. fiat. in fine ff. de excus. trit. & nobilissimus. L. diximus eod. tit. Item & clarissimus. L. Custodias ff. de publ. judic.*

Et refert Chassanzus. *In Catal. glor. mund. p. 10. conf. 17. in fin.* Proposuit dicere quod Ioannes Stud. in C. 1. de consan. & aff. dicat, *Quod in beneficiis conferendis præferendus sit Canonista Theologo, nisi beneficiū esset ubi hæreses pullularent.* secundum etiam Gem. in c. Episcopos 17. distin.

Nec mirum, dicit enim idem Chassanzus *P. 10. conf. 19.* quod scientia Iuris civilis excellat omnes alias scientias ( ego excipio Theologiam ) debeatque inter omnes dici nobilior, & dignior, tum ex origine & institutione, tum ex effectu aliisque rationibus, prout ibidem latè deducit: licet autem dici possit omnem scientiam à Deo ortam fuisse; tamen magis particulariter considerando, origo juris est à Deo immortali, & ab eodem leges processerunt: quod non ignoravit Propheta *Pf. 88. dicēs, Veritas de terra orta est, & Justitia de caelo prospexit.* & *Isa. 33. Dominus Iudex noster, Dominus Legisfer noster:* ille fuit qui dedit leges Moyli ut traderet Hæbreis *Exod. 31. c.* & quamvis reperiantur olim fuisse plures legislatores diversarum gentium, tamen eo semper tulerunt animo, ut cognoscerent homines suis legibus nihil fidei habituros, nisi alicujus numinis auctoritate fulcirentur: hinc suarum legum originem commentitio facta ad Deos retulisse, exemplis patet: *Nam Zoroaster ad Gromaium, Trismegistus ad Mercurium, Charondas ad Saturnum, Draco, & Solon ad Minervam, Zomolxis ad Vestam, Plato ad Iovem & Apollinem; Numa ad Egeriam nymphiam retulerunt.*

Nec

Nectantùm origine, & institutione scientia juris laudabilis, sed etiam ex affectu ceteris præponendam asserit idem Chassanæus p. 10. *conf.* 20. ex quo effectus ejus sit major, & nobilior, ut majoris utilitatis, quàm effectus omnium aliarum scientiarum: nam quis alta dabit consilia, publica suadebit commoda, quis terras & maria conservabit, quis pauperi, peregrino civi suū cuique jus reddet, si legem aut jus civile per quod Iustitia administratur sustuleris: ex raptò sine lege viveretur, non esset Hospes ab Hospite tutus: unde nihil in civitate diligentius retinendum inquit *Cecero*, quàm jus civile, quo sublato exploratum esse nemini posse quid suum quid alienum, quid à patre accepturus, quid liberis porro relicturus foret, nihil denique inter mortales æquabile, nihil cõcors, & erunt regna non nisi latrocinia Iustitiã remorã. *S. August. de civi. Dei lib. 4. c. 4.*

Videmus etiam quod Iuris consulti & advocati ad omnium dignitatum apices promoveantur: *Aspius Claudius cæcus numquid ex advocato factus censor, & Tribunus populi, Sempronius largus Consul, Cornucanus Pontifex maximus, Fabius Pamphilius Legatus, Aelius Poëtus Prætor Trebatius, Aelius Tubero &c. Consules, Nerva Sabinus Proconsules Iabolenus, Celsus Marcellus, Martianus, Scævola, Papinianus, Ulpianus, Paulus, Pomponius Modestus, Tribonianus, primi ministri, & in summo honore, a stimulatione ac favore apud Imperatores Anthonium Pium Traianum, Adrianum Severum, Anthonium Philosophum, Maximinum & Iustinianum.*

Nec immeritò *S. Hieronimus* in numero virorum illustrium ponit Minutium Advocatum. *Lib. de script. Eccl. & de vendit. c. 9. lib. 6.*

*Sulpitius Galba* I. C. filium habuit postea Imperatorem qui inter liberales disciplinas etiam attendit Iuri. *Rubius. in vita.*

*Wur Hbain* in sua relatione Historica P. 8. fol. 241. præter diversos Episcopos, & Imperii Principes, scilicet, Wormatienses, Spirenses, Eistadienses, Augustanos, Cõstantienses, Hildesimenses, Verdenses, Osnabrugenses qui omnes fuerunt Iurisconsulti, Iurisque Doctores ac Licentiati, nominat & Mauritium Comitem Olden-

Oldenburgensem, Matthæum Marschalçū de Pappenheim, *Friedem de Gemmingen, Sebastianum de Henssenstein, & Danielem Brendel*, tres Archi-Episcopos Moguntinos, atque Imperii Electores: *Chapruville* reproducit tres filios Ducis Burgundiæ & Legislatores Canonicos Sancti Lamberti, Carolum Præpositum Sancti Dionysii, Petrum Præpositum Sancti Petri, & Hugonem Præpositum Sancti Bartholomæi. Sed cur præteribimus illustrissimum Archiepiscopum Iacobum Boonen primatem Belgii? Cur tot Consiliarios, Regios, tot provinciarum Cancellarios, tot consiliorum præsides. Neque omittenda ætas anni 196. qua nulla alia Iurisperitorum dicitur fuisse sæcundior, quæ Papinum, Cassium, Vlpianum, Paulum, compluresque alios præter *Julianum Cæsarem* effudit. scribitur quoque de *Salvio Juliano Imp.* quod vir fuerit nobilis extractionis, & *Magnus Iuris-consultus*. Dupleix in suis mem. Gallicis lib. 6. c. 3. §. fin.

Advocati officium etiam obiverunt *Germanicus Cæsar & Vespasianus*, postquam Romæ triumphassent, & Titus Vespasiani filius bello sæliciter confecto. *Plinius* quoque *magnus* causas egit: refertque Blesensis *Anthoninum Episcopum* Lincolviensem Regis Angliæ filium, Parisiis causas egisse. De *Anthonino pio Imperatore* sic refert *Horatius Turfelinus in chron. l. 4.* Iustitiæ ejus fama *Barthianos, Hyrcanos, Indos*, aliasque Barbaras nationes compulit ut depositis armis eum arbitrum sumerēt: hujus illa vox Imperatore digna, *Malo unum civem servare quàm mille hostes perdere.* qui & legem tulit, *Ut si quis hoc solo nomine quod Christianus esset postularetur, in accusatorem supplicium verteretur.* Neque adhuc superse- dendum, sed & Iuris-consultorum Catalogo adscribendi veniunt diversi etiam summi Pontifices Romani, ex quibus aliqui tantum brevitas causa hic denominabuntur; scilicet, *Clemens quartus* Iurisconsultus fuit totius Galliz sine contentione primarius, in Curia regia causas integerrimè agens, uxorem & liberos habuit, qua mortua primo Podicensis, deinde Narbonensis Episcopus, postea Cardinalis, & consequenter, Pontificatum est adeptus.

Et licet videatur esse extra nostram materiam, tamen quia no-



tatu dignum est, interferere licere existimavi, nimirum quod in summo hoc omnium dignitatum apice constitutus sanctissimus hic Papa providit duabus suis filiabus, & nepoti suo: sed quomodo unam monasterio destinavit, alteram marito trecentas illi pro dote libras assignando, nepotem verò qui tribus gaudebat beneficiis duobus privavit: Ecce quomodo plus pro salute animarum filiarum, & nepotis sollicitus fuit, summus hic Prælati, quam pro illis quæ erant corporis: plus pro spiritualibus, quam pro temporalibus: magis pro cælestibus, quam terrestribus. *Platina, & P. Jacobus Pecard; in lib. Stromatum.*

*Gregorius dicimus tertius* ante Pontificatum doctoratus titulum in Iure Bononiæ adeptus, & ejusdem professor in eadem universitate multis annis post obitum Pii quinti, Pontifex maximus est denuntiatus. *Platina in vit.*

*Urbanus Septimus* in Iure Canonico & civili vix habuit se doctiorem, & in Academia Bononiens. doctoratus titulo fuit insignitus.

*Innocentius dicimus*, qui modò sedet ad gubernacula Ecclesiæ (cui Deus concedat unà cum grege sibi concredito ad vitam pervenire sempiternam) ex Auditore Rotæ factus Cardinalis est, & Pontifex.

Proinde non est mirum quod *Jura quoque Casarea* caufidicos & advocatos variis exornent favoribus, privilegiis & præeminentiis, ut est *Nobilitas*, in dignitate constitutio; *potestas*, *decurionatus*, *aqui* & *boni sacerdotium*: quod nec de Iure nec de consuetudine torqueri possint.

Dignitas autem habet multa privilegia quæ ponit Cœpolla in Tract. de Imperatore eligendo, in verbo *Dignitas*, ubi ponit 30. privilegia: & duo alia ponit Lucas de Penna in l. obsistere C. de annōnis & tributis lib. 10. unum quod facit hominem gloria decorari, l. nullus C. de decurio. lib. 10. Lætitiā gaudiumque in eo generat l. 3. §. his addimus C. de scientia lib. 12.

Iura præcipiunt etiam & volunt expressè, *Ut doctores legum, cum uxoribus & filiis necnō rebus quas in civitatibus possidēt ab omni functione & omnibus muneribus civilibus & publicis sint Immunes, adeo-*

que

que etiam liberi à recipiendis hospitio militibus. Text. in l. medicos C. de profess. lib. 10. quod bene est notandum & observandum: quod autem textus loquitur de doctoribus, etiam intelligendum est de Licentiatis; sunt enim per hunc gradum etiam ad doctoratum electi ac auctorisati, licet eundem necdum actu susceperint, & in materia favorabili ipsi pro doctoribus habentur, argumento Legis s. de verb. signif. & idem expressè tenet Alciatus.

Habent præterea multa alia privilegia de quibus per Alexand. In l. Centurio ff. de vid. & pup. subst. & per Lud. Bolognium in Auth. habita C. ne filius pro patre qui dicit quod habeant centum triginta privilegia, ut ibi videre potes. Chass. p. 10. cons. 20.

Paulus à Castro dicit, quod Doctor (idem sit de licentiate Juris) postquam legit per 20. annos sit comes Palatinus, possitque creare Norarios, & legitimare Spurius (licet non servetur) ut in vim textus & glossæ C. de profess. in urbe constantin. lib. 10.

Sicut autem Iurisconsulti multis accumuliantur honoribus & prærogativis, ita & excellere solent & debent in virtutibus, vitiisque carere; deinde requiritur Eruditio, Facundia, Ingenium, Judicium, Natales, Catholica religio. <sup>a</sup> ut omni diligentia, studio & dexterritate causas litigantium tractent: defendant quod iustum est verumque: necessarium & utile prævideant in singulis causæ partibus: semperent iniuria: ratione, non probris certent: Fure ac legibus clientem causamque tueantur, non dolo ac fraudibus: agant quod causa bona desiderat, & litium postulat utilitas, ab omni abstineant cupiditate, passionisque, plures non suscipiant causas quàm peragere commodè queant: causas ne protelent, nec instruant testes. <sup>b</sup> de quibus omnibus particularius inferius agetur.

Denique observare quisque debet Causidicus juris præcepta, scilicet, Honestè vivere, lædere neminem, suum cuique tribuere: pauca sunt verba sed multæ substantiæ. Fidelis sit in patrocínio, iustus in Iudicio, cautus in consilio.

In consilio autem dando advigilandum, ut non erga aliorum judicia contumacia consilia adferant, quæ & emendare velint meliore

T t 2 liore

<sup>a</sup> L. ult. C. de postul. L. nemini C. de Advoc. <sup>b</sup> vide Guid. Papæ Decis. 388. Spec. Ludovic. de Colog. tit. de Advoc. VVesem. C. de Advoc. divers. Jud. & Tirag. de Nobil. c. 29.

liore ratione allata: neque enim obstinati debent esse senatores ac Consiliarii, qui consiliis licet egregiis, quæ ipsi non attulerunt sunt inimici, quia aliis plus sapere volunt: *Constantia, non pertinacia laudatur, nec est nisi summa sapientia, quod dictum malè, mutare eum satius sit è medio cursu recurrere quàm malè currere: sed eum bona prudensque sententia dicta est, nec alia melior apparet, figere gradum, & constanti animo stare oportet, nec à sententia vel latum unguem recedere.* *Vernul. instit. polit. lib. 2. c. 4.*

Adeste etiam debet suadendi libertas: quia detestandi sunt consiliarii illi, qui veri copiam non faciunt, sed suspensa, & quò ducantur inclinatura respondent. *Tacit lib. 11. Annal.*

Maturitas quoque desideratur: quemadmodum enim in omni stirpium genere, ac fructibus, observamus serotina diutius asservari, quæ verò festinantius maturescunt flaccida fieri & putredine obnoxia. Celerius siquidem occidit maturitas festinata: sic actiones & consilia præcocia non absque dispendio parum diuturna, ut plurimum pernitiōsa esse cernimus: aversemur ergo eos, *Quorum consilia velocius quàm Asparagi cocta sunt.*

*Sallustius Fugurtinus* dicere solebat, *difficillimum esse & prælio strenuum, & bonum consilio, quorum unum ex prudentia timorem, alterum ex audacia temeritatem adferre plerumque solet.* & licet consilia calida & audacia prima specie læta sint, tractatu dura fiunt, & eventu tristia: omniaque inconsulti impetus cœpta initiis valida spatio languescunt.

Et quamquàm in consiliario congruenti apprimè tum scientia, rerum experientia, alacre iudicium, intelligentia, Reipub. studium, liberalitas, aliæque variz qualitates, tum etiam bonus & iustus esse debet, cujus cognitio tali capieretur experientia: Dicta hominis iusti gravia sunt, virtute nituntur, veritati consonant: idem ipse absens, qui præsens est: in dictis ac factis æquè apertus est, malefacta aliorum cum benignitate reprehendit: plus merito nec vult, nec exigit: bonis favet, malos castigat, & ubique virtutem colit, idem calumnias averfatur, nugas & mēdacia fugit: cum singulis in pace ac quiete vivit: suo contentus, honoribus vel divitiis non inhiat;

nec justus censendus est, qui sua sorte contentus non vivit, sed vel arte, vel vi, vel favore honores atque divitias amplificare conatur. In summa, iustitiæ laude carent, qui virtutis viâ neglectâ divitiis atque honoribus comparandis student: & qui cum virtutem colunt, eius præmium atque testimonium petere negligunt: Nec minima Consilarii est qualitas, ut sit mansuetus, benignus & beneficus: talis namque summos & infimos, divites ac pauperes eadem facilitate audit: illos hilari fronte excipit, attentè & diligenter ipsorum desideria animadvertit: in respondendo benevolus, in officiorum pollicitatione gravis, iis denegandis minimè superciliosus, in reprehendendo neutiquam iniurius, in hominibus dimittendis minimè asper, vel se effrensus: virtus autem illa beneficentia non in largitione pecuniarum aut aliarum rerum consistit, ut liberalitas; sed in promovendis commodis Reipub. & partibus eius, in admonendo, suadendo, reprehendendo, consolando, defendendo, non solum consilium ac benevolentiam expetentes, sed & ea ob virtutem commerentes inquirendo de vita, qualitate, virtute, moribus, & actionibus cuiusque: quo præmium virtuti non rogantium decernatur, id verò postulantibus digna remuneratione obringat: huius quippe defectu, virtutis rationem non haberi videmus, sed pleraque vel favore, vel largitionibus atque corruptelis geri: vir virtute ornatus non respicitur; aut repellitur, aut tardè virtutis testimonium consequitur: è converso adulator indoctus & indignus favore ac gratia valet & amplissima quæque præmia reportat.

Videamus modò quomodo consiliarius se gerere debeat *Ante consultationem*? ante hanc bonus cōsiliarius sive senator omnes affectus deponere debet: huc emphaticum & memorabile referri potest dictum, quod in Curia Ratisponensi tabulæ marmoreæ est inscriptum his verbis. *Quisquis senator curiam officii causa ingrederis, ante hoc ostium privatos affectus omnes abiicito: iram, vim, odium, amicitiam, adulationes: Reipub. personam ac curam subiicito: nam ut aliis æquus vel iniquus fueris: ita quoque Dei Iudicium expectabis & sustinebis.*

In

*In consultatione* videat ut non tantum recte consulat sed etiam ut bene consulat, ut autem id ipsum prestare possit, ad tria illum respicere oportet.

1. Ad obiectum, ut res de qua consulat sit bona & honesta.
2. Ad finem, hoc est ad Dei gloriam & communem Reipub. salutem omnia sua consilia dirigat: *Si quidem salus populi suprema lex esto.*
3. Ad media, ut mediis honestis & legitimis per quæ finem assequi intendit, consilium instituat.

*Post consultationem* requiritur ut tam in consultante quam consulente consilium maneat secretum: qui revelat arcana amittit fidem. *Cuniculi bene obstructi mirabiles dabunt effectus, ventosi autem in nihilum evanescent.* Camus lib. 1. des diversitez. similiter consilium si celeretur mirabilia operabitur: si propaletur, annihilabitur, viribusque destituetur. est enim instar medicamenti quod in opaco per aërem evaporatur & consumitur: unde Romani altare cuius Deus erat *Consus* abscelebant in terris, quia consilium debet manere secretum & absconditum.

In *Balearibus insulis* hæc consuetudo fuit, ut quoties de arcano aliquo vellent deliberare senatores, in campos exirent, ibique foveam effoderent, versus quam inclinabant ora & vota invicem, & consilia loquebantur: & ubi fiebatur deliberatio, foveam illam terra implebant, atque reliquo campo complanabant. *Sepelienda esse consilia innuebant.*

Timebant nimirum, ne venti voces raperent, deferrentque consilia late per campos: quod circa *Mydam Regem Phrygia* contigisse fabulæ memorant: habuit hic Rex asininas aures, & dum semel à Chyrurgo tonderetur, habere animadversus est. rogavit igitur, & apud hominem silentium emit Rex; sed hic dum diu secretum tenuisset, semel in campis vagus, impatiens arcani, inclinat ad arundinem ore, *Arundo* inquit, *audi, Mydas habet aures asininas*: res mira, statim hæc verba ab arundine ad arundinem meare, & cum vel minimus spiraret ventus, clarissime omnes campi resonare; *Mydas habet Asininas aures.*

*Gothias*

*Gorbias* in Apologo suo ait, *In quadam parte India tanta esse frigora, ut verba loquentium priusquam ad aures audientium pervenerent congelentur, in terramque ruant, aut in aëre suspensa hæreant: terno autem tempore, cum resolutio incipit, flantibus Zephyris resolvantur etiam verba, & tunc prius tonare per aëra & audiri incipiunt.*

Quare dum nobis negocia communicantur ad habendum consilium & opinionem nostram, simus secreti, demusque in omni sinceritate, & eadem mensura mensuremus proximum, qua nobis mensurari peteremus, atque ita nemo fidelius dare consilium poterit, quam is qui id alteri suadet quod ipse, si in eodem loco vel casu esset, faceret. *Tit. Livius lib. 37.* Ast dolendum quod hodie habeamus malam consuetudinem, dum consilia æstimamus bona vel mala, si benè vel malè successerint, quod & deplorat *Plinius, Lib. 5. Ep. 21.* dum dicit, *Est omnino iniquum, sed usu (vel potius abusu) receptum, quod honesta consilia vel turpia prout malè vel prosperè cedunt, ita vel probantur vel reprehenduntur.*

Cùm tamen nemo prudens consulum accusare debeat: nam quis consulat, si consuluisse dâmno sit? gratias magis aget & eriget etiam moerentem, si quo forte dolore pressum viderit. Nam quid habes quod accuses? consuluisti? consilium ex fide dedit, erravit? non dixit errare se non posse, sed & major error tuus est qui secutus es consulentem: nam quæ te vis coëgit sequi? liberè consilium postulasti, liberè secutus es; poteras non sequi: jam cum quisque ferè in re sua affectu à vero abducatur certus alieno innititur consilio, cum nullus hunc amor trahat in amata, sed affectu omni audatus, clarius rem intueatur; nulla enim hunc nebula aut affectuum nubes obtenebravit diem quem ademit: etenim consiliarius vacuus debet esse affectibus, ut nec odio, nec ira, nec amicitia, nec misericordia ducatur: In omni verò deliberatione potiorem semper rationem habeat communis quam privati bonis: neque enim diu stare Respub. potest, in qua posthabitis publicis, singuli honoribus commodisque suis student. *Scrib. lib. polit.*

2. cap. 22.

Ter-

*Persarum* consuetudo erat, ut si quis de rebus obscuris ambiguifque consilium Regi daret, super aureo latere staret, atque si bona salubriaque consuluisse videretur, latere aureo in consilii præmiū accepto discederet; si contrarium Regi dixisset, flagris cederetur.

*Abian. lib. 12.*

Proinde probum adfit in consiliatio Iudicium & sagax, etiam si non ad rigorem *Alphonsi Magni*, qui aiebat, *consiliarios Regum aut Reges esse oportere, aut Regum animos* (& per parenthesis hic liceat addere de viro doctissimo, qui Rempubliam tunc fortunatam factis aiebat, *Si vel Reges saperent, vel regnarent sapientes*) habere. Zyp. de Iud. lib. 4. sapē enim mediocritas subtilitati ingenii præferenda: quippe prægrandia ista, acria & acuta ingenia minimē expediti consilii, & novandis rebus aptiora quàm gerendis sunt; varias habent ac multiplices inventiones, & rationum copiam, ideoque fluctuant semper, & aliquid ægrè expediunt, deinde subtili sua mente omnia metiuntur: & cū ad rerum attendere deberent circumstantias, & etiam sibi proponunt, quæ nec sunt nec unquam erunt. *Vernul. lib. 2. tit. 4. §. 4. inst. polit.*

In summa rationes, cur præacuta ingenia, minus admittenda, sunt, ut dictum est. Quia expediti non sunt consilii; nam præmultiplici inventione plerumque natant, vixque uni insistent.

2. Quòd eiusmodi ingenia obsequii sæpissimè ignara sunt.

3. Quòd semper perturbationibus agitantur, movent semper aliquid, neque quieta sunt.

4. Quòd mentem consiliaque adversarii æstiment à subtili sua mente.

5. Quòd in consilio aliorum sententiis haud libenter acquiescunt; unde pervicacia optimorum consiliorum inimica.

Ideò *Cleon Atheniensium* dux dicebat, *imperitiores homines situm peritioribus conferantur, Rempub. plerumque melius administrare: nam isti quidem & legibus sapientiores videri & in publicis consultationibus sententiam semper obtinere volunt, quasi in aliis maioribus rebus ingenii sui vim ostentare non possint, atque propterea plerumque se & Rempub. evertunt.* Quod patet exemplo *Achitophel*, qui cū

con-

consiliarius esset *Absolonis*, plurimumque apud ipsum, ipsiusque consiliarios valeret auctoritate, aded ægrè tulit consilio suo reliquos *Senatores* non assensisse, sibi que alium prælatum fuisse, ut statim relicto *Absolone*, se in patriam contulerit, sibi que ipsi turpiter mortem consciverit. 2. *Reg.* 17. ut autem sæpè dictum est, non convenire officia pretio vendere, sic non minus etiam consiliarium: nec enim aliud hoc faciendo fit, nisi ambitionem ita nutrire, ut qui plus pecuniæ habet, præcedat; qui plus virtutis, sequatur. *Numquam ea dignitas iuste pecunia potest acquiri, qua virtuti debetur*: qui acquirunt, id agunt ut pecuniam datam primò reciperent, tum ut lucrum faciant; boni publici cura nulla est, vel postrema: & sicut vendi consiliarius non debent, ita nec consiliarii debent esse venales aut ab aliis pensiones accipere.

¶ Mandi illi qui plus Deum quàm Principem timent aut superiorè. nam qui solius superioris ducuntur respectu, *Idololatrae* sunt; qui solius regni vel Reipub. *Athei & Marchiavellista*; qui sui ipsius, *Epicurei*, & *Voluptarii*; qui pietatis & Iustitiæ, veri sunt Regni ac Reipub. *Conservatores*. Vernul. Instit. polit. lib. 2. tit. 4.

Hi sunt *Ornamentum Orbis, splendor civium, Asylum mundi, Principes salutis mentisque publica, sanctissimus ordo & morum lumina*. hi sunt publici civium patroni, communia civitatis oracula, divinz mentis & voluntatis interpretes: ac sicut justitia quantum in cælo, patria sua, robusta est; tantùm extra patriam in terris evadit infirma, ut continuo indigeat sustentaculo: solus autem justus *Patronus ac Consiliarius* potest ac vult matrem suam sustinere Iustitiam. (*Marsil. Ep. lib. 1.*) unde non tantùm in vivis, sed etiam post mortem *Iurisconsultorum, Advocatorum ac consiliariorum* præmia non cessant. Atheniensis populus non tantùm *Aristidem* insignem justitia virum maximo in pretio habuit, sed post ejus mortem *Lymacho* ejus filio argenti centum minas totidemque argenti censuri jugura dedit; adjectis etiam quatuor drachmis, quæ de publico diebus singulis penderentur. *Pontanus de leber al. c. 33.*

Præterea dicit textus in o. bonæ. 12. q. 2. *Bonæ rei dans consilium & præsentis habebit vitæ subsidium, & aterna remunerationis expectabit præmium.*



Sed pro fine desideras, arbitror, legitimi Iurisconsulti effigiem & indolem intueri. O quàm pulchrum spectaculum, quàm mirabile!

Hujus anima est DEI cultus.

*Spiritus*, Patriæ legis cura.

*Cerebrum*, iudicium perspicax.

*Oculi linguæque*, doctrina.

*Pectus*, memoria tenax.

*Cor*, recta voluntas.

*Manus*, rectæ voluntatis effectus.

*Pedes*, perseverantia.

*Totus*, æquitas atque gravitas. *Marsil. Ep. lib. 1.*

Quoniam verò ad pedem seu finem hujus capitis pervenimus, aliquid pro coronide dicendum restat, de *Pede* cui insistit totum corpus boni Iurisconsulti qui est *Perseverantia* & *virtus Constantia*, quæ illum facit firmiter persistere in bono contra difficultatem, quæ provenit à quibuscumque impedimentis exterioribus, neque quid aliud de illo malè loquatur calumniaentur, & minentur, curat: non enim quid dicant aut non dicant nostri est arbitrii; ac proinde etiamsi apud varios plerumque dictoria & odia etiam ex trivio desumpta contra consiliarios, Advocatos, procuratores, & Iustitiæ ministros audiantur, mirari, multo minus debet Iurisc. turbari: hæc enim inde provenire aliquando existimo, ex eo quòd sicut in utraque causa quæque pars suum habet consiliarium, advocatum & procuratorem, qui pro se consulat, patrocinetur & agat: sic & adversa pars quoque suos habet & contraria molientes: dum ergo una pars triumphat, despicit & odio habet advocatum & procuratorem qui suæ parti opponenti auxilium dederant.

Si condemnetur, tum etiam eisdem versutis; proprios autem ac suos negligentis, corruptelæ, vel imperitiæ insinuat ac redarguit: & sic semper advocati & procuratoris nomen apud tales manet odiosum, sed

*Non vulneratur improbis verbis, probus, maledicta, insula ridet conscientia.*

Et

Et sicuti vir bonus instituto laudabili innixus ab honesto nullatenus decedere debet, ita & causam bene cœptam ( ut etiam adhuc dictum est ) justam & honestâ Causidicus ac Consiliarius deserere non debet, sed præmium laudis ac Iustitiæ *Constantia* persequi: per hanc etenim stabiles animi in proposito nulla in parte titubant, hæc mediocritatem servat inter *Levitatem* & *iniustam pertinaciam*: neque enim hic locum ullum dare volumus *pernacitæ* quæ perseverat in falsis opinionibus aut injustis ac inutilibus actionibus, etiamsi de errore, turpitudine, ac inutilitate convincatur.

Licet quoque oporteat ipsam actionem esse justam honestamque, debet etiam consilium, quo inducimur eam suscipere, constans esse ac immobile, & non *leve*: agendumque est cum delectu, ne quemadmodum belluones summo appetitu cum appetât cibos gulæ satiandæ idoneos, iis repleti statim satietate molestantur; ita nos quoque re incepta langueamus emarcescente propter imbecillitatem animo. *leve* quippe est cedere oneri & luctari cum officio quod semel recepisti: non est vir fortis ac strenuus, qui laborem fugit, nec crescit illi animus ipsa rerum difficultate: consurgamus ergo contra fortunam ( ait Seneca ) & quicquid inciderit, sciamus non esse tam magnum quàm rumore jaçetur. *Chilo* dicere solebat, *Tardè quidem aggredienda esse omnia; verùm cum semel iam cœperis, constantissimè in agendo perseverandum est.* Neque obloquia aut contumeliæ ab honesto detertere debent, sed in ratione ac consilio bene instituto permanere.

*Thomas Morus* suam gravitatem tot Reipub. muneribus comprobata ita suavi urbanitate constantiam suam condivit, ut nescias an fuerit Senator gravis, an amicus jucundior. *Cardinalis Wolseus*, in concilio expedire Reipub. eligeretur aliquis qui regis absentis personam repræsenteret: seque pro eo declarandum insinuabat. Annuunt omnes uno *Moro* excepto, quem ita commotus *Cardinalis* compellans; *Ostendis*, ait, *Moro*, te stultum consiliarium, qui solus resistas: cui *Morus* è vestigio: *Magnæ ergo gratiæ*

*Deo agenda, quod Maiestas Regia in hoc suo Senatu unicum tantum stultum habeat.* Gunterus.

Neque etiam per vultum potentis fidelitas Consiliarii turbatur ac vacillat, uti impetertitus ostendit *Dercillidas*, qui missus à Spartanis ad Pyrrhum regem Legatus, cùm Pyrrhus eum urgeret ut Lacedemonum Cleonymum Regem, quem perpulerant, in regem reciperent; nulla dignitatis regis ratione habita respondit. *Si Deus es Pyrrhe nobis minime timendum à te ducimus; nam cùm iustam habebimus causam, Deus qui iustus est, nihil adversus nos movetur: quod si non Deus es, sed homo; melior profectò non es, & propterea tantopere nobis formidandum non est.* Fulgos. lib. 6.

Zeno dicere solebat, *facilius esse utrem inflatum mergi, quàm quemvis probum virum invitum ad aliquid agendum cogere.* nam invictus animus rationis rectæ placitis confirmatus, cedit nemini.

Quadratus lapis sex æqualia habet latera, inquit *S. Ambrosius*, in *Similit. c. 173.* in quod horum ceciderit firmiter jacebit: sic providendum est viro iusto, ut in suo persistat proposito: hujus autem latera sex hæc sunt, *Prosperitas, adversitas, sui libertas, subiectio, in secreto esse, & in publico*, in quibus singulis si à diabolo impulsetur, stet, nec à proposito moveatur.

Sed tu *Thales*, ubi manes, qui nec mortem abhorres: sed non minus mortem quàm vitam æstimas: quod cùm auditum esset à quodam, rogavit eum, Cur igitur non moreris? *Ob hoc ipsum respondit quia nihil refert, potius enim habetur quod accersitur.* Læcrt. lib. 1. c. 1.

*Anaxarchus* cùm à Nicocreonte Cypri Tyranno in saxo concavo tunderetur, Philosophus animo infractus, *Tunde, tunde, Anaxarchi vasculum*, ait, *Anaxarchi constantiam non teris.* Ex *Plurarch.*

Nec prætereundum magni roboris & constantiæ, *Aristidis Lorensis* factum, qui unus de Platonis amicis fuit: hic *Dionysio* seniori filiam ipsius in matrimonium petenti respondit, *Mortuam se quàm Tyranni uxorem videre filiam suam malle:* paulò post Dionysius liberos ejus necavit, interrogavitque per contumeliam, *An adhuc*

is

*in sententia de elocandis filiabus persisteret? respondit: factum quidem sibi dolere, disti non panitere.* Plut. in Phimolœn.

*Esto firmus in via Domini, & in veritate sensus tui & scientia, & persequatur te verbum pacis & Justitia.*

Deinde odium & simulatio venenum est boni consilii.

*Fridericus Imperator tunc demum salvam fore Rempublicam, dicebat, si senatores de rebus consultaturi, in vestibulo Curiz simulationem ac diffimulationem deponerent.* Aneàs Sylvius.

*Aristides undè cum Themistocle admodum sibi inimico, in Reipub. negotio ad legationem missus: Visne, ô Themistocles, dixit ut in his montibus paulisper inimicitiam deponamus, recepturi eam cum redierimus? innuebat deponenda esse odia iis qui Reipub. negotia curant.*

*Maturum etiam est consilium, cui adfederint timor & cunctatio:* Herodot.

*Alexander severus rem primo die Consiliariis suis tantùm proponere solebat, & spatium dare ut disquirerent, cogitarentque dicturi postea sententias ne incogitantes consilia funderent.*

*Lamprid.*

*In Consilio sis Testudo, in factis Aquila. Puteolis Respublica in Campania, post multa feliciter gesta bella & triumphos, extruxit Servio Duci suo palatium ingenti sumptu, in quo diversa conclavia ea arte fornicata, ut ex uno in aliud transitus esset, & quod in uno dicebatur, hoc in singulis & omnibus echo distinctissimè reddebat & audiebatur. cùm ergo Dux cum suis centurionibus consilium habebat in certo conclavi, milites alij per alia sparsim conclavia sedebant: & cùm finire deliberationem veller, clariori voce hæc solum verba pronuntiabat; Ita decernimus; & confestim echo undique resonabat, imus; statimque miles ad obsequia Ducis exiit.*

## CAPUT III.

*De necessaria Advocatorum & Causidicorum  
Iurisprudencia, Indole, Virtute, & Gradis.*

**S**I eos, qui Oratores deligebantur, ut sæpissimè nefarios perditosque cives, quasi de reis eximerent, & de manibus Iudicum iniquas sententias extorquerent, orando, *bonos esse debere* Catò exultimavit; sanè id multò rectius in *Jurisconsulto Advocato* desideres, quo legum descriptio, & totius civitatis moderatio tutelaque continetur, & in cujus præsidio jura omnia confidunt. Et sicut omnibus qui ad vitam ingrediuntur, *Iustitia, temperantia, fortitudinis*, & virtutum reliquarum partes à natura tributz sunt, ut diligenter videant, ne qua vitæ suæ pars officio vacet. Ita tanto magis *Jurisconsulto* homini, qui præter summa illa totius honesti officia sibi velut naturæ lege delata, hoc tam præclarum *Consiliarii*, ac *Advocati* munus recepit, erit videndum, ut, omnibus partibus suis τοῦ καλοῦ sanctè & piè servatis, apto decoroque modo scientiæ respondeat. *Costal. in Parerg.* Et quia *Iurisperiti* nomine vocatus est, videndum est illi, ut actu nomen hoc in ipso honoretur; quia sicut Iuris & Iustitiæ fama nominis tanti respondet ad gloriam, ita malè applicantis ac utentis infamia ad ejusdem nominis redundat injuriam. *Ex Pet. Chryf. serm. 69.*

Est enim justa causarum in judicio tutela, ut bene impensa, bona & salutaris laudabilisque ac necessaria, ut autem neglecta & contra regulam probatatis usurpata ac propriæ imperitiæ lordibus imbuta, portentosa & prorsus inepta, ac in magnum animarum detrimentum redundans.

Præterea Causidicus ordinator litis, & causæ agitandæ architectus, non tantùm Iuris prudentissimus, sed etiam formularum ac forensis usus callentissimus, qui omnes causarum cardines, articulos, perfu-

perfidia, subsidiaque novit, temporumque momenta, advigilans causam, quam suscipit, diligenter examinet, ut sciat colligere, in quo articulo positum sit robur & quasi fatum controversiæ. Szpe enim in causa facili & explicata, intentionis ratio, aut defensionis, aut perplexa aut lubrica suscipitur Advocatorum aut errore aut neglectu; & qui Iuris rerumque forensium est imperitus, facile quandoque ac nimis temerè se in Curia cancellos coniecit, ac inconsultè se curiali controversia implicat, aut partem suam, quibus quæ seipsum imprudenter circumdedit, difficulter egredi potest, dum qui causæ cardinem in eo temerè ponit, cujus probatio difficilis est, vel in aliquo Iuris articulo, qui inter Iurisconsultos valde ambigitur. Cui enim licet in causa agitanda latè exspariari, vel multiplici Iuris præsidio uti, & tamen vel intentionis suæ copias & robur, vel defensionis subsidia & firmamenta circumscriptiùs, aut latiùs, quàm opus est, concludit & adstringit, is cancellis necessitatis circumseptus, inferiorem quandoque causam è superiore facit. *Bud. in Forens.*

Si verò per negligentiam vel imprudentiam amittit causam, tenetur Advocatus ultra amissionem salarii de damno quod cliens incurrit. *Ita Hostien. Busef. serm. 29. p. 2.*

Nec tantùm pro forma ( seu veriùs pro fuco ) titulum *Licentia* alicubi in *Vniversitate titulari sub camino*, ut aiunt, sibi pecuniis conquirere licet, nullo habito respectu ad scientiã, sed solã nûmi probatione, in pondere, numero vel mensura; materia & format ut sunt quàm plurimi, qui vix à limine sacrarum legum sanctiones salutarerunt: tantùm abest, ut primis, ut dicitur, labiis gustaverint, qui ridiculosè se submitunt, quacumque munerum corruptione, examinibus, ut apicem *Doctoratus* ( non enim sufficit ipsis *Licentia*, licet tam ad unum quàm ad alterum gradum, quæ sint idonei ) adipiscantur, & in plerisque locis non à Doctoribus, sed *Nummorum aucupatoribus*, non in scientia quinquennio, aut diuturniore tempore parata, sed in *Marsupio*, quid possint examinantur. Qui *Sillabarii Doctorculi*, omnis solidioris eruditionis expectes, distenta tantummodò diplomata & titulos vulgò ostentantes,

teme-

temerario tandem usu in Iudicialia fora irruere non verentur. Licet nondum forensis disciplinæ incunabula & rudimenta noverint, &, uti dicam, in ludo litigatorio *Analphabeti*, infantes, segnes & improvidi. Hi sunt, qui apparatus tenent vestium, & multitudinem aliquam librorum, ad ostentationem sui, ut docti videantur & plurimæ lectionis viri. Et forsitan codices suos habent magis ornatos quàm emendatos, quæ omnes factiones sunt litteraturæ & sapientiæ.

*Sunt qui scire volūt tantum ut sciant, & turpis est curiositas: sunt qui scire volunt ut scientiam suam vendant, & turpis est questus: sunt qui scire volunt, ut scientur ipsi & turpis vanitas est: sunt qui scire volunt ut ædificent, & charitas est. sunt qui scire volunt ut ædificentur, & prudentia est.* Bern. in Cantic. serm. 35.

Huc accedit S. August. qui scientiam omnem ad Deum dirigendam docet; dum ait, *Infelix homo qui ista scit omnia, te autem nescit: Beatus autem qui te scit, etiam si illa nesciat: qui verò te & illa novit, non propter illa beator sed propter te solum beatus.* st. S. August. 1. confess. c. 4.

Ludovicus Rex Galliarum II. audiens indoctum quendam instructissimam habere Bibliothecam, dixit eum esse similem gibboso, qui molem de dorso partaret, eam numquam aspiceret.

Nec alia fecundior seges corruptelæ judiciorum, quàm publicæ indulgentiæ facultas in largiendis hisce titulis, ne dicam dividendis, quibus freta juvenrus, *Cruda adhuc studia in forum propellat.* jam olim recepto more Testimonia doctorum de suorum profectu & doctrina, apud Magistratus & Tribunalia hanc indepra auctoritatē, valēt ad adoptandū ut sic dicam in familiam Iurisconsultorū & Athrææ mysterium. sed illi si Iurisprudentiæ antiquitates, quàm institores audire malunt moderatè utentur jure suo, nec justitiam professi urbes populosque decipient, plus apud eos Astreæ religio quàm vilis lucri auctoramentum valebit: quod si illòs verecundia non refrænât, etiam lege & insaniz metu coërcendi sunt: frustra quoque de minuendo numero pragmaticorum deliberatur, & quæ inde proficiscitur multitudo ac diuturnitate litium, si sine do-  
lectu

Teſtu dignis & indignis illa de jure reſpondendi diſſerendiſque ve-  
rè licentia conceditur: ego ſanè nullos de Republica pejus mereri  
exiſtimo, quàm qui eam licentiam concedendi jure tam licentio-  
ſè utuntur: traducunt non tantùm, ut dixi, & jurisprudentiæ &  
ſuam exiſtimationem, ſed & omnium qui vera induſtria eos titu-  
los meruerunt aut merebuntur ut præjudicio venalium vulga-  
riumſque titulorum sæpè veri doctores & Licentiati quoque deſpi-  
ciuntur: tantùm abeſt *Quod indigni titula gloriam illuſtrent digno-  
rum*, quin imo hæc titulorũ prodigalitas ipſos decipit quos ornati  
initiatos enim ſe credunt, & tantùm in veſtibus Jurisprudentiæ  
herent. *Senec. l. 7. natur. c. 30.*

Hæc quoque facilitas ſtudentium induſtriæ nervos diſſolvit,  
quibus intendendis unicum ſubſidium eſſet à ſevera promotio-  
nũ ratione, neque tantùm Theſis diſputatione tentanda indu-  
ſtria foret, ſed etiam conſultatione, propoſita ſcilicet quæſtione  
aliqua finita ex iis quæ quotidie in foro occurrunt; nam niſi huic  
operæ aliquatenus ſufficiunt, cum fraude clientum & Reipublicæ  
in forum & curiam tanquam civilibus negotiis maturè ablegantur.  
ſunt ergo in uſu & pretio Advocati, ſed qui juſtas cauſas non niſi  
ex juſtitie forma ſuſcipere velint & tueri poſſint, in quibus pu-  
blicè recipiendis non tantùm eorum expendenda peritia eſt, ſed  
in animi quoque indolem, mores vitæ famamſque inquirendum;  
quomodo enim Juſtitie vindex fuerit, qui ipſe iniuſtus eſt, *Neque  
famofis & notatis & quos ſcelus aut turpitudò vitæ inquinat, &  
quos infamia ab honeſtorum cætu ſegregat dignitatis portæ patebunt.*  
Conſtantineſ lib. 2. C. de dignit.

Tales quippe corrupti, & uſum juris in civium noxam detor-  
quent, & generoſior eſt Jurisprudentia quàm ut cum iis ſocietur:  
tur etenim miremur, ſi ars æqui boniſque bonos & æquos faciat?

*ſcilicet ingenium placida mollitur ab arte,*

*Et ſtudio mores convenienter eunt.*

Proinde quæ Fabius de Oratore ſuo in hanc ſententiam ſcribit,  
huc aptari poſſunt, nam in Oratoris munus Jurisprudentia tandem  
ſucceſſit, cujus ſunt verba: *Neque enim tantùm id dico, cum qui ſit*



Orator virum bonum esse oportere, sed ne futurum quidem Oratorem, nisi virum bonum. nam neque intelligentiam concesserit iis qui proposita honestorum ac turpium via peiorem sequi malunt, neque prudentiam, qui in gravissimas frequenter legum, semper verò mala conscientia penas à semetipso improviso rerum exitu induuntur: veramque Iurisprudentiam nemini plenam contingere sine virtute, ut & superius adhuc dictum est, Seneca hac sententia confirmat dum ait. *Non potest alius esse ingenio, alius animo color; si illo sanus est si compositus, gravis, temperans, ingenium quòque siccum & Iobrium est; illo vitiatò, hoc quoque affatur: non vides si animus languet trahi membra, & pigrè moveri pedes; si ille effœminatus est, in ipso incessu apparere mollietiam? si ille acer est & velox concitari gradum; si furit aut (quod furori simile) irascitur, turbatum esse corporis motum, nec ire sed ferri: quanto hoc magis accidere ingenio putas, quod totum animæ permixtum est, ab illo fingitur, illi paret, inde legem petit.*

Nunquid ergo mirandum est ex honestissimo studio tot prodire rabulas, litium incitabula, & turbamenta concordia ac quietis, qui non modò sævitate motum pervertunt Iurisprudentia usum, sed ab ea ultrò ad fraudes crudiri aut certè armari videantur. Ast hujus tantæ & tam latè pervagatæ luis non aliam dixerò causam, quàm quod sine ullo delectu, etiam perversissima ingenia ad disciplinam æqui boni admittuntur, quæ necesse est quicquid acceperunt in similitudinem sui vertant: nimirum (ut Seneca ait) *Quemadmodum stomachus morbo vitiatus, & colligens bilem, quoscumque accepit cibos mutat, & omne alimentum in causam doloris trahit: ita animus cæcus quidquid illi commiseris, id onus suum, & perniciem, & occasionem miseria facit: unde etiam in illis frugalitas exigitur, quia nihil tam mortiferum ingenis quàm luxuria, ait Annæus. intellige autem non modò insanam illam potandi commessandique dulcedinem, sed & libidinem atque amores, sic enim Tullius fieri non posse scribit, ut digna industria eloquentiam (Et quanto minus iurisprudentiam tanto illa maiorem?) colat. Cicer. pro Cæli.*

Animus libidini deditus, amore, desiderio, cupiditate, copia, inopia quoque nunnonquam est impeditus: & sanior Seneca in  
has,

*bas, inquit, nec dii tantum mali permittunt ut cadat eloquentia: quam non mirarer, nisi animos in quos se conferret, eligeret.*

Tales interim titulis professionis ad dignitatem perveniunt Consultissimorum & Clarissimorum: quamvis si vita censeantur, nihil ipsis fordidius; si ingeniis, nihil obscurius; si iudiciis, nihil magis plebeium; si origine, nihil ignobilius; si fama, nihil ignotius; si scientia, nihil ignorantius? *Ita Tuld. lib. I. corrup. Iud. c. 16. & 15. & lib. 4. c. 4. & 5.*

Adeoquæ nullo prætextu, deprecari *Stellionatus* crimen possunt, qui tot nudos ineptosque, titulis Doctorum prudentiumque, Iudiciis populisque obtrudunt, quibus subnixi immaturos profectus in forum protrudunt, nec jam ultrò solliciti, de scientiæ incrementis, sed tantum de fructu eius & quæstu continuare agendi operam malunt quàm studia perficere, percepta cum experimentis conferendo, tanquam satius sit celeriter & multum agere, quàm accuratè & benè, atque inde admonente Fabio *Lib 12. c. 6.*

*Et contemptus operis innascitur, & fundamenta iaciuntur impudentia, & quod est ubique perniciosissimum, prævenit vires fiducia.*

Meminerunt etiam Imperatores neminem Advocatorum collegio sociari debere *Nisi qui constituto tempore Juris studio operam dederit, & diligenti examine Rectoris Provincia inventus fuerit peritia instructus, circa eam quoque requisito testimonio iurato iureconsultorum à quibus quisque fuit institutus. L. 3. §. 4. C. de Advoc. & l. 11. §. 1. C. de Advoc. 1.*

Sed, quod dolendum est, præceptum Iustiniani multis in locis negligitur: Terreor quoties cogito P. Adamum Contzen Doctorem famosum in Rhenana & superiore Germanica provincia docere in Politicis suis, *Eos Academicos peccare Mortaliter qui gradibus & Titulis insigniunt indignos, adeoque velut publico testimonio Tribunalibus ac Dei Ecclesiis imponunt.*

Relatum habeo, in partibus Franciæ, Iuvenem, quem eius pater ad Officium evehere intendebat, requirens Licentiæ vel Doctoratus in Iure Gradum, promotum fuisse, solo præmissis examine, super prius (adinstar psittaci) edoctis responsionibus, ad interro-

gata, *Quid est Ius? Quotuplex? quid Canonicum & quid Civile?* eundemque post ita adeptum, in utroque (seu potius nullo) Iure Doctoratum, venisse Duacum, ut ibidem humanioribus se applicaret studiis (latinam enim ignorabat) ac tum nonnisi ad Grammaticam idoneum repertum fuisse.

Quid dicendum de illis, qui e mentito nomine promoventur?

Quid de iis qui universitatem, in qua Gradum profitentur accipisse, numquam viderunt personaliter, sed dumtaxat Bursaliter?

Historia nota est de eo qui existens eques, & expertus facilitatem ad Doctoratum, quem etiam ipse, non argutis disputationibus & repetitionibus, sed argenteis Ducatonibus & Patagonibus, non etiam scientiæ Laureatis coronis, sed aureis Franciæ Coronatis acquisierat, interrogabat Professores, an non etiam equum suum ad eundem gradum admittere vellent, mediantebus Iuribus consuetis, illosque respondisse, quod sic: *nam cum creaverimus Asinum in Doctorem, cur & non equum?*

Et hinc fit (quod dolendum est) tam sinistra vulgi iudicia passim audiri de Iureconsultis & Advocatis, *Qui dirimunt, ambigua fata causarum, suaque defensionis viribus in rebus sæpe publicis ac privatis lapsa erigunt, fatigata reparant, quique non minus providens humanogenere, quàm si præliis atque vulneribus patriam parentisque salvarent.* Miseri illi plebeculi aut inficitia aut invidia, impingunt Advocatis, id quod rabularum est proprium. de quibus canitur *Hinc uni solent studio se dedere & arti verba dare, ut caute possint pugnare, dolose blanditiâ certare bonos simulare viros se, insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.* Lucil. apud Lact. lib. 5.

Nunquid de illis dici potest, quod

In *Insituris* magis muti estis brutis.

In *Codice* didicistis modicè.

In *Novellis* similes estis asellis.

In *Digestis* nihil potestis.

Et tamen *Doctor* estis.

Ita vilissima capita, ac rogati vultures *Apul. 10. Met.* audacter cum Cicerone profitentur se tribus mensibus futuros Iurisconsultos:

Neuti-

Neutrquam comparandi sunt cum Advocato legum & morum perito, qui est. *Insigne mastis præsidium reis.*

Vnde inter Advocatos iustos & peritos, & iniustos & imperitos (quos Terentius bonorum extortores & legum contortores appellat *In Phorm. act. 2. Sc. 3.*) est distinctio magna. Advocati enim iusti & petiti principalibus præmiis sunt remunerandi, & per accidens bonum Advocationis officium malum est: per se verò bonum, imò laudabile, vitæ hominum maximè est necessarium. Inter ceteras verò cautiones videant diligentes Advocati, ne malignantium causas defendant.

*Posilius Lanæ* reus capitis M. Tullio Ciceroni defensori suo caput abscidit. *Magneti*us servatori suo Constantio Constantini magni filio mortem intulit: discant autem illorum misereri & illos tueri, quorum virtutes habet cognitas; aliàs poena quam illi propter flagitia meruere in defensorum capita resilit.

Discant etiam se in hoc munere scientia & praxi bona qualificare, ne sint de illis qui in Curia ad podium, humerali pelliculato conspicui, adhuc tamen puræ parmæ Tyrones, & adhuc sunt intra tempus echemytæ, adituque interim Cancelli non arcentur: cum tamen statim ut quisquis in numerum togatorum se dedit, non ita protinus tyrocinium facere causarum deberet, sed echemytiâ verecundâ aliquot annis modestiores acquiescere, & spectatores, antequam Schenici sint, interim dum frontes adolescent & maturæ Curæ ac proscenio fiunt. *Bud.*

Immemores doctrinæ Sapientis, Proverb. 1. *Audiens sapiens sapientior eris, & intelligens gubernacula possidebit.* Sed hi videntur velle antè docere quàm discere, præsumentes sibi multa. Tanquam sterilis arbor non habens fructus, aut praxim, pro pomis spargunt futilia verba; pro foliis autem, cum non adsit adhuc medulla sensuum ac sufficientis doctrinæ, abundant sola spuma verborum. Vnde non est mirum, quòd in tot vortices & fluctus incidat Iustitia. *Advocati* autem *periti* & *consulti* in studio celebri (cujus ex celeberrimis agnosco *Lovaniense*, uti ejusdem alumnus, & in quo gradum, quem immeritus habeo, acquisivi decima sexta

Tulii

Julii 1619.) dum omnia legum Canonumque capita, omnia prudentium responsa, Iuraque formularum in numero, ut creditur, habentes, messem opimam in agris controversis sine controversia faciunt, cum eo quoque (ô felicem vitæ Conditionem) ut gratiam incant ab iis, qui se dominos esse perhibent. Hi litem disceptationum ambage perplexam aut personarum varietate permixtam, rectè atque ordine constituunt, regulantque. Causas in caduco delapsas in gradum reponunt curriculi Iudicialis, perplexas explicant vel scribendo vel agendo, implicatas evolvunt, difficiles enucleant, jus jacens allevant & erigunt æquitatis adminiculis. horum mirificum numen & miseris Mexicanon exanimis causas exsuscitat, actiones emortuas recreat, reos è faucibus fati eripit, & causas primòre conspectu congressuque laborantes, adjuvat ac confirmat.

Præterea docti & arguti solertisque est Advocati, ambiguis dum est controversia, sinuosa, & argumenti perplexi, cum actis & perspicacis commentationis indiget, tum facundè & enucleatè illam exponere Iudicibus ad consilium coactis: quam dicere possis Delio natatore indigere, & taliter enodatae causæ argumentum exponere, constanterque ad extremum sententiæ dicere scribereque, ut nec Iudex magnitudine rerum memoriâ complectendâ obruatur, nec difficultate explicandarum deterreatur.

Assiduitatem quoque causæ curandæ & urgendæ præstare debet is, qui controversiam suscipit, quasi custos Cognitoris, & qui curato fungitur officio, de diligentia nihil remittens, & causæ semper instans, impressiones faciendo quandoque in copias Iuraque adversarii, per Enthymemata; Antaxiomata, rationesque validas & concludentes, jugulumque causæ petendo, & ad vitalia controversiæ firmamentaque adversarii infringenda incumbendo. Nec ea tantùm *Prudens Advocatus* dicit scribitque, quæ in rem sunt, sed quæ abs re sunt intermittit, nec non in scriptionibus faciendis argumenta causæ, capitaque thematica solet concenturiare, ad instruendam litis aciem, quod ad eius fieri potest, artificiosissimè. Sæpè etiam occurrit ultrò exceptionibus, & reo antevertit,

tit, per antipophoram præcipit rei defensiones, & per occupationem prævidet articulum, qui causæ fatum secum trahere posset. Quippe causarum fiducia non magis sæpè jure stat & moribus, quàm Juris experiundi ratione & peritiâ. Neque verò qui certo jure nitens judicium vel intendit vel recusat, continuè securitati intermiscere debet: ut enim pertinet ad summam litis, Juris sui compertam habere firmitudinem, sic ad successum magnopere refert, causæ certò quodam modo instituendæ tractandæque firma diligensque ratio. *Bud. in Forens.* Nihil enim est cautis hominibus & circumspectis adeò formidabile, quin diligentiam præcaveri possit: neque ullum malum est, quin incautis & pigris evenire queat. *Demost.*

Demosthenis Atheniensis perito consilio mirificè cuidam Ancillæ succursum est, quæ pecuniam depositi nomine à duobus hospitibus acceperat, eâ conditione, ut illam simul utrisque redderet: quorum alter interjecto tempore tamquam mortuo socio, decepta ea omnes nummos abstulit: supervenit deinde alter, & depositum petere cœpit. Hærebat misera in maxima pariter & pecuniæ & defensionis penuria. Iamque de laqueo & suspendio cogitabat. sed opportunè Demosthenes ei *Patronus* adfuit, qui ut in Advocationem venit, *Mulier*, inquit, *parata est depositi fidem solvere; sed nisi socium adduxeris, id facere non potest: quoniam, ut ipse vociferaris, hæc dicta est lex, ne pecunia alteri sine altero numeretur.* Val. Max lib. 7. c. 3.

Vtinam sic satis agerent Causidici, quod acturi sunt: elementa causarum animadverterent, institutarum litium rationem, argumenta & firmamenta consultò expendere, copias instrumentaque accuratè percenserent, ac litis utensilia omnia. ita fidem in tyrocinio datam meminissent, religioneque obstrictam. Melius profectò cum iis & feliciter ageretur, qui in foro negotiantur: sed exilius fortasse & angustiùs cum turba ejus fori proxenetria. *Bud.*

*Gerardus Baratenus* Jurisc. tanto in foro nomine erat, ut litigatores acriùs de eo sibi Patrono adeptando, quàm de causâ ipsa disceptarent: obiit ferratiæ 1557. ætatis 56. *Ex Chronico Chronic.*

Cùm

Cum autem contingat varios ex variis in Iure casus oriri, & sic etiam inter peritos cadat Iuris anxietas & fundamentum dubium, non debet reformidare, alios Confratres consulere, quia quod à pluribus quaeritur, facilius invenitur, *Et saepe revelatur minori, quod maior ignorat.* C. esto. 95. dist.

*Sententia etenim absque adstipulante molimine proprio facile labitur, atque decerrat, quae verò consultorum cautionibus comprobatur, iud ipsa constituitur.* Straleg. c. 3.

S. Chrysoft. *Lucet, inquit mirum in modum sapiens sis & prospicias ea quae oportet, attamen homo es & consiliario tibi opus est: & saepe evenit ut sapiens non videat quod oportet, & minor & habetior clare & caute ea prospiciat.* De laud. S. Pachom. 9.

*Mens quae sapit nimium non sine damno sapit, & vera scientia, juxta S. Hieronymum, est imperfectum se nosse.* P. in Dialog. advers. Lucif.

Cum Alcibiades adhuc puer, ad Periclem avunculum suum venisset, eumque secretò tristem vidisset, interrogavit; quid ita tantam in vultu confusionem gereret? & illo dicente se non invenire quo pacto ministerii rationem traderet, scilicet Civitati Atheniensi: ergo inquit quaere potius quemadmodum rationem non reddas. Itaque vir Amplissimus suo consilio defectus, puerili usus est, atque id egit, ut Athenienses finitimo implicati bello rationibus exigendis non vacarent. *Plut. in Alcibiade.*

Sed plerumque cum velint haberi consultissimi, si qua in re familiarissimi & benevoli ipsis homines eos dehorrentur, nolunt à confirmato semel intra se proposito recedere; sed ne redarguantur à consilio suo tanquam pravo desistere, permanent in proposito, donec tandem inde profecta incommoda sentiunt: omnium enim maximum quoddam malum in multorum animis innotatum est: cuius quidem cum facile sibi ignoscant, remedia nulla excogitant; est autem hoc quod dicere solent, *Quod natura sibi quisque amicus est: recteque est, ita de se habere; Sed revera nimis in se ipsum amor omnium peccatorum omnibus semper est causa.* occaecatur quippe circa occaecatum qui amat: quapropter qui se amat, cum seipsum magis quam

quam veritatem honorandam putet, quod justum bonum & pulchrum sit, malè judicat. decet sanè eum qui magnus vir futurus est, neque seipsum neque sua diligere, sed justa temper, sive à se ipso sive ab alio quovis gerantur. Ex hoc ipso delicto, accidit omnibus, ut ignorantiam suam, esse sapientiam opinentur; hinc fit, ut quamvis nihil ut ita dicam sciamus, scire tamen omnia arbitremur. Cum verò nec aliis committamus facultatem agendi quæ ipsi facere ignoramus, faciètes ipsi errare compellimur: quamobrem nimium suiipsius amorem fugere quisque debet & meliores sequi nullo rubore verecundiæ impeditus. *Plato lib. 5. legum.*

His applicari potest, quod *Pelagius scriptor Græcus* memorat: Religiosus senex hebdomadas septuaginta jejuniis rigidis traduxit eo profusus sine ut in divina pagina dicti alicujus sensum intelligentia posset assequi: non est assecutus tanto tempore, inedia tam diuturna nec hilum quidem profecit; eadem quæ prior caligo: tandem sibi ipse. *Quid frustra, inquit, me fame macero, quin ad alios mihi vicinos eo & interrogo: submittat se qui vult erudiri; ergo eo, & à quo docear, inquiri:* Dum ostium claudit, adest *Angelus peregrini schemate velatus, & Heus, tu inquit, itineri potes parcere: tot hebdomada ieiuniis aetæ placuerunt Deo; plus tamen placuit submissio, quæ domo te eiecit ut iras & quareres à vicino fratre, quod ignorabas: in eam rem ego missus sum, ut pandam tibi hætenus occulta.* *Thieu- laire in thes. hist.*

Scientia & virtus moderata est & modesta, amatque instrui, nec idè minor esse timet, cum sit instructior: quod si impetu ruimus, & quia scire omnia apprehendimus, detrectemus discere, quid est mirum si in multis fugit veritas cum qui de sua unius sententia omnia gerit? superbum judico magis quàm sapientem. *Tit. Livius 44.*

Meminerint ergo numquam nimis fieri, quod numquam satis est: nondum satis didicit qui adhuc quicquam dubitat: dubitamus autem quamdiu vivimus: tamdiu igitur discendum nobis est quamdiu vivendum. *Marsilius in Epistolis lib. 1.*

Sed hodie multos decipit, quod ante tempus sapientes videri



volunt, ut jam & simulare incipiant quod non sunt, & quod sunt erubescere: & eò longius à sapientia recedunt, quod non esse sapientes se putari putant.

Non ita *Salvius Julianus*: is eximia Iuris cognitione clarus solitus erat dicere, *Etsi alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc addiscere vellem.* quod dictum *Pomponius* interuit legi apud *Iulianum* ff. de fideicommiss. libert. & concordat textus & gloss. in C. nullus Episcopus. dist. 38.

Proinde ab omnibus libenter discere quod tu nescis: quia humilitas commune tibi facere potest, quod natura cuique proprium fecit: sapientior omnibus eris, si ab omnibus discere volueris: audi *Cbrysippum* in proverbiiis: *Quod tu non nosti, fortassis novit asellus.* Hugo. lib. 3. didasc.

*Gorgias Leontius*, Isocratis magister, centum & septem vixit annos: nec tamè tam longævus ab opere & studio cessavit unquã.

*Plato* octogenario major & dormiens & moriens *Sophonis* mimographi numeros sub capite habuisse traditur, vixitque simul & scribendi finem fecit.

*Cato uticensis* ita doctrinæ cupiditate flagravit, ut ne in curia quidem, dum Senatus cogeretur, temperaret sibi quo minus græcos libros legeret. *D. Aurelius Augustinus Hipponensis Episcopus* quamvis nonagenarius, semper tamen aliquid vel legebat vel scribebat. *Gunterus*.

*Tamdiu discendum quamdiu nescias.*

Qui conversatur cum sapientibus sapiens erit. ubi consilio eges utere opera sapientium, & cum prudentibus de tuis rebus consilii te semper adjungito, & eorum utere consilio: qui bono consilio obtemperat, sapiens est. *Proverb. c. 23. v. 24. & c. 28.*

Nemo, ut *Plato* dicit, *solus sapit satis, & magni viri multa ignorant, quæ abiecti scire solent*: unde bene canit *Iardinius*.

*Nec tibi collegas, sociasque adiungere vires*

*Sit pudor: hæc laudis pars erit una tua*

*Quæ nimium, vel sola sapit, prudentia non est:*

*Plus oculi plures, luminæque aucta vident.*

Dii non sunt auxilio his, qui se inconsulto in periculum mittunt. Non viribus, non velocitate aut celeritate corporum res magnæ geruntur, sed consilio, & in suo quisque negotio habetior est, quàm in alieno. *Turbida enim sunt consilia eorum, qui sibi suadent.* Curt. lib. 7. Affectus enim Consiliarius pessimus. Scribitque alibi Baldus quod sæpè caro & sanguis, non spiritus, sit causa malæ resolutionis. *In l. Tutor. ff. qui Tutoribus de excus.*

Idem dicit, quòd nemo debeat in propria causa de Iure scribere, nec de se confidentiam habere, quia sæpè rapitur homo à propria voluntate & carnali desiderio. *Cons. 298. vol. 1.* Nec etiam pudere debet Iurisc. opinionem mutare, dum melius sunt informati & instructi. Socinus Nepos modestè in senectute corrigebat, in quo in juventute erraverat. *Vol. 3. cons. 127.* Idem fecit Bertrand. *Cons. 277. vol. 3.* Item Barbatus *Cons. 1. n. 22. vol. 4. cons. 87. 89.* Neque etiam molestè ferre si eorum scripta ab aliquibus reprehendantur. Scribit enim Decius, sibi molestum non esse, scripta sua à posterioribus argui: nam, inquit, iniquus essem Iudex si nollem ab aliis reprehendi, cum ipse solitus sim antiquorum & modernorum dicta sæpenumerò oppugnare; sed hoc maturè & pro veritate fieri debet, & non studio contradicendi. *Consil. 419.* Vnde nihil profectò magis necessarium in causis arduis quàm consilium petere; licet rursus etiam periculosum sit, ex alterius pendere consilio. Nemini enim est dubium, alieno consilio minùs egerè prudentes, quàm imprudentes, & tamen fructum majorem ex consilio capiendo sapientes percipiunt. Quis enim tantà est præditus sapientiâ, qui per se omnia perspiciat & cognoscat, & in contrariis sententiis atque opinionibus, quæ sit potior dijudicare valeat? Verùm quis alium consulens certò scit, se fidele consilium auditurum, sæpè enim in eum diriget finem suum consilium, qui maximè sibi accommodatus esse videatur, aut impelletur utilitate, aut levitate aliquâ, non nisi prudens sit, consilii infidelitatem animadvertet. *Guicciard. lib. 1. histo.*

Benè autem consulere nequaquam potest, cujus animus aut

dolore tenetur, aut voluptate præsertim nimia. Unde qui de rebus dubiis consulunt, utilitatem privatam & affectionem abiicere debent, & assumere publicam, atque ab odio, amicitia, ira, ac misericordia vacui esse: etenim affectiones istæ, quæ à bono honestoque consulentem detorquent, vel à dolore excitantur, vel à voluptate nimia; pessimis hominum Consiliariis. Omnino ergò bonum qui consilium aut ipse sibi capturus est, aut aliis daturus, oportet eum plurima circumspicere, loca, tempora, personas, rerum præsentium statum examinare, eorumque simul omnium delectum habere, facultates, clientelas, opes expendere, præterita diu multumque in animo vertere, eaque præsentibus conferre & tamquam in trutina componere. Quibus compositis, & quod prudentis est iustique extimatoris, omni è parte examinatis, de agendi, instituendique modo, rationeque præcipue sollicitus erit, totusque in eo versabitur, ut non solum quid sequendum sit, sed qua illud via sequendum, utque & quid deceat, quid etiam oporteat, in scapulo ipso probe perpensum habeat. Nam quia prudens quis sit, bonum quoque eundem virum & iustum esse statuimus, ad finemque usque perfecti negotii sibi undique constantem; nihil prorsus viro bono indignum committet, nihil quod iusto honestoque parum congruens iudicetur, namque; ut firmis eius honestus & iustus, sic & media quoque, per quæ ad finem contenditur, honesta iustaque erunt, qualia & viro bono convenient; & ei quidem viro, *Qui civilium sit legum cæsusque communis maxime studiosus.* Pontan. de prud.

*Domocritus Æpolus nullam rem esse tam inimicam consiliis dicebat, quam celeritatem.* Præcipitata enim consilia, si in transversum agantur, nullam revocari possunt poenitentiam in melius.

Proprium verò Consilarii prudentis ac periti peculiarisque illa ejus comendatio est, ut bene utique consulat: bene autem consulere nemo poterit, nisi omni ex parte res ipsas negotiæque, de quibus consultatio suscepta est, perspecta animo, atque undique animadversa habuerit, probeque considerata: illique periti sunt, quibus ab experto noti sunt, atque ab observatione, ritus Patris, mores, consuetudines, quique memoriâ tenent, qua in causâ, quo-

quoque in negotio, vel ancipiti ac maximè dubio, aut difficili, quod à majoribus vel iudicatum fuit, vel constitutum, vel publicè etiam sancitum. Unde, qui huiusmodi facultati dant operam, *Legum etiam periti ac Juris* dicuntur.

Respublicæ tam diu florent & vigent, quàm diu ibi regnat & floret *Sapientia & Consilium*: & præsagium Principum ac Reipub. ruinæ nullum certius, quàm ubi Deus mentem illis ita imminuit, ut, sapientum & peritorum consiliis repudiatis, provehant homines *novos, stolidos, imperitos, vecordes & adsentatores*, qui omnia ad ipsorum gratiam faciant & loquantur. Nam simul atque hæc eveniunt Principi aut Reipublicæ, ipsi ac Magistratibus Iudicibusque ruinam à Deo & perniciem imminere certò statuere debemus. Ita ut Magistratui providendum ita sit ac Iudicibus de viris qualificatis, doctis & synceris, æquè ac de pane, quo vescendum est, opus ac necesse est.

*Si quis fortè velit Iuris-consultus haberi,  
Continuet studium, velit à quocumque doceri,  
Invigilet, nec vincat eum tortura laboris  
Fortior insurgat cunctisque recentior horis,* Hostiens.

Denique advocatus per præcepta Iuris monetur ut honestè vivat sobriè & continenter, neminemque suo malo exemplo offendat, & sicuti scientia & honore in Repub. præfulget, ità & probata sit vita conspicuus; quæ ipsa quoque efficiet, ut nemo ad injustæ causæ patrociniū ipsum sit advocaturus: solèt enim homines improbi calumniosas injustasque causas iis advocatis committere quos norunt solius lucri, è re qualibet redacti, spem sibi propositam habere, & absque ullo discrimine passim clientibus operam suam locare: illos autem qui vitæ integritate nomen famamque sibi comparant, credunt homines quod nihil inhonestè, nihil injustè, nihil malitiosè facturi sint, quippe qui sciunt & firmiter credunt homines se fallere posse, sed Deum nihil vel dictum vel factum vel cogitatum latere posse. *Bornitius c. 4.*

Legislator existimabat Oratorem ( qui agebat Advocatum ) pulpitem adiurum non orationis prius curam habuisse debere, quàm vitæ suæ. *Stobæus.*

CAPVT

## CAPUT IV.

*In veritate & sinceritate causa instruenda, cavendumq; à Causidico, ab omni dolo fraude, convicio, & calumnia.*

**C**alumnia est, in Iustitia sustinere pro vero & aequo, quod quis scivit esse falsum & iniquum, ac præceptu juris, aliquem litibus per fraudem & frustrationem vexare: aut sicut eam Iura vocant, alium malitiosè & scienter accusare vel deferre de rebus falsis & non probabilibus. Damhoud. tit. Quæ fit non tantùm in criminalibus causis, dum falsa crimina intenduntur sed etiam in pecuniarijs. Calumniari enim dicitur quisquis non debitum sciens ab alio petit, quisquis temerè alteri negotium facit, vel qui pecuniam accipit, aut pactus est, ut alteri per calumniam negotium compararet, & per calumniam litem intentat, ut is se cogatur ab ea calumnia pecunia redimere. PRÆVARICARI autem, est vera crimina abscondere. TERGIVERSARI est, in universam ab accusatione desisti. Vnde Actor & Reus in ipso litis exordio tenentur jurare de calumnia; quo Iure-jurando continetur, utrumque putare se causam habere bonam, se nihil dedisse nec fecisse, nec daturus aut facturos, ut secundùm se judicetur. Poena autem calumniæ est arbitraria, ad discretionem Iudicis, pro qualitate personarum, & enormitate aut levitate calumniæ. Ex simplicitate autem non censetur calumnia, sed conjuncta semper debet esse cum notitia injuriæ alterius. Damh. d. loco.

Calumniæ igitur vitandæ, etiamsi falsæ sunt: plerique enim veritatem ignorantes, æstimationis & opinionis tantùm rationem habent.

*Gladius quidem secat, calumnia autem separat amicos.*

*Non*

*Non facies calumniam proximo tuo. Levit. 19. Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis, contenti estote stipendiis vestris. Lucz. 3. Orbem terræ & multorum Iurisc. calumnia inundavit, hæret & habitat in pessimæ naturæ medullis, nec jam inter culpas censetur, sed mores. Vnde si videris generum & violenta Judicia, & subverti Iustitiam in Provincia, non mireris. Eccles. 5.*

Theocritus interrogatus, quænam essent sævissimæ feræ? dixit in montibus quidem Vrsi & Leones, in urbibus autem Calumniatores.

Neminem unquam vestrûm, dicebat Demosthenes, fortasse vipera momordit, neque phalangium, & absit ut mordeat umquam; sed tamen omnia ejusmodi animalia ubi conspexeritis, mox interficitis. Itidem & cùm calumniatorem, hominem habentem viperinam naturam videritis, ne exspectate donec aliquem vestrûm mordeat, sed cùm primûm occurrerit puniatur. *Exorat. 1. contra Aristog.*

*Domitianus* dum rapinis intendit animum, ita aures calumniatoribus patefecit, ut nihil cuiquam tutum esset, delatorque delatorem timeret, & causidici causarum actionibus posthabitis ad delatores se conferrent.

Non sic *Vespasianus* & *Titus*, qui adè illos insectati fuerunt, & odio persecuti, velut publico exitio destinatos, ut flagellis cæsos per amphitheatri aream spectandos traducerent.

*Pius Antoninus* calumniatores, si non probarent, capitali poenâ affecit; si probarent, oblato præmio dimisit infames.

Alius fiscales calumnias magnâ calumniantium poenâ repressit, ferebaturque vox ejus, *Princeps* (Iudex) *qui delatores non castigat, irritat.*

Sicut autem præmiis affiendi sunt ii qui incorrupta scientia & vita in advocationis munere se approbaverunt, namque ii & Iudicandi officio & Reipub. regendæ maximè idonei sunt: ita & vulgares & sequacioris notæ Advocati, qui non fide, non prudentia maiori alicui negotio pares sunt, & in calumnia, tergiversatione, fraude, & prævaricatione deprehensû, graviter sunt coercendi: unde

unde Ulpianus, *Si ab eo qui innocens fuit, sub specie criminis alicuius, quod in eo probatum non est pecuniam acceptam esse, is cuius ea de re notio est, edoctus fuerit, id quod illicitè extortum est, secundum edicti formam restitui (in quadruplum) iubeat, & ei qui id commisit pro modo delicti pœnam irroget.* L. 1. & 8. ff. de Calum. Tuld. lib. 4. c. 12. de Corrup. Iudic.

Calumniatores similes sunt illis, qui manibus candelam emungunt; hi comburunt manus suas, digitos maculant, & candelam reddunt lucidiorẽ.

Veritas una, mendacium varium, eaque est veritatis vis, ut contra hominum ingenium, calliditatem, solertiam, contraque quascumque fictas hominum insidias facilè se, per se, ipsa defendat.

Licet verò calumnia in clientibus & litigantibus residere videatur; quia tamen, hi persæpè nihil simile attentant, multò minùs prosequuntur, nisi suffulti consilio quandoque causidicorum, & ea, quæ aliorum nomine operaque perficiuntur, nobis meritò imputantur, nostrasque conscientias reas constituunt, cum mali scilicet conscii, quod alii sequuntur, vel sequi possent, ipsi sumus auctores, administri, ac in defendendo patroni. Nec minùs impiè faciunt, qui consilium dant, quàm qui manibus ac voce facinus admittunt: & qui semen præbuit, is est natorum malorum auctor.

*Demost.*

De similibus inquit vir sanctus, *Hi sunt qui instruunt, à quibus fuerant instruendi, adstruunt non comperta, sed sua: struunt de propriis calumnias innocentia, destruunt simplicitatem veritatis, obstruunt Iudicii vias.* & constantiam mentiendi insinuat speciosus officii prætextus: præfertim cum deprehenso, quoque suffragium pateat transferendi culpam in clientem, qui sic instruxerit. *Tuld. lib. 4. cap. 2.*

Multa in Iudiciali Iustitiæque munere studio partium, & consulentium fiunt, quæ injuriæ quàm Iuri propiora sunt, eò capitaliora quòd officii specie & Iuris nomine plerumque fucata sunt. Reperiuntur itaque quidam Advocati imprudentiores, vel impudentiores

dentiores potius, qui contra sanctiones Legum quo jure, quaque injuria clientibus suis morigerantes, litem alienam suam sæpè faciunt, litigatorum animo non causidicorum causas agentes aut scriptum facientes; & si quid in adversarium criminose vel incusabundè dicendum sit, cœcæ vomicæ causæ perscrutantur, ad suppurationem perducunt scalproque pertrudunt, in lucem adducunt, & tamquam nescii vel immemores, quid satis sit, Augiæ, ut dicitur, bibulæ exhauriunt, eiusque quasi plausum à corona captare videntur, nempe quasi hominis accusationem, non causæ suæ actionem susceperint. Nonnulli industriæ aut memoriæ venditores, sæpè supra clepsydram calumniantur cum aliorum injuria, quibus aqua proximè debetur, ac iam fundi videtur; cum interim hi & suam & aliorum perdant, inania verba fundentes, aut circumfluentia, atque aded non modò supra clepsydram, sed etiam loquuntur scribuntve supra crepidam. *Bud. in Forens.*

Cùm tamen *Advocati viri boni* officium sit, consultorem se præbere litigantibus, non etiam litium calumniarumque conflatorum; ac magna cum discretione dirigere clientum causas, vultu maturo, gestu, ac voce; sine illa enim virtutes vitia sunt. Nam si adsit timor, & non discretio, transit in desperationem; si dolor, in amaritudinem; si amor, in adulationem; si spes, in præsumptionem; si ira, in furorem. Cave ergò, ut in alterum non dicas, quæ cùm tibi responsa fuerint erubescas; nihil etenim turpius, quàm qui obiicit alteri sibi obiiciendum. Atque sicut inter honestioris notæ homines abest omnis velitatio probrorum, omnis contumeliarum obiectio: sic animum suum inducant, omni rixâ abstinere, esse suam quietem, & iustueri eum, qui socio concessit semper esse & haberi sapientiorum: & ut nemo familiaris contumeliâ vacare debet; ita nihil est tam deforme, tamque contra decorum, quàm ad civiles illas Iustitiæ contentiones acerbiratem naturæ adiungere. de quo textus est clarissimus in l. quisquis C. de postul. ubi dicitur. *Ante omnia autem universi Advocati ita præbeant patrocinia Iurgantibus, ut non ultra quàm litium possit utilitas in licentiam convitiandi, & maledicendi temeritate prorumpant.*



*agant quod causa desiderat, temperent se ab iniuria: nam qui aded procax fuerit, ut non ratione sed probus putet esse certandum, opinionis sua imminutionem patietur.*

Præstabit ergo Advocatus, ne quemquam vel dicto vel facto lædat: quod futurum est, si caveat ne infida advocacy proximum damno afficiat, propriam conscientiam peccato vulnerans; nam si clienti suo injustam causam foventi, & adversarium Ius suum persequentem dolosis subterfugiis & frustratoriis dilationibus calumniisque impediatur & remoretur, non solum proximum ac Rempub. sed semetipsum ledit, iramque divinam in se provocat: qui enim malum bonum, & bonum malum; lucem tenebras, & tenebras lucem appellat, teste Prophet: *Isa. c. 10. abominabilis apud Deum reputatur.* Illud itaque Advocato semper considerandum est, se iustitiæ sacrosanctæ ministrum esse, imò & Sacerdotem, cui non licet quemquam verbis vel scriptis lædere atque traducere: si enim secus fecerit, contra legem charitatis peccabit, qua veramur alteri facere quod nobis factum volumus. Hanc conviciandi libidinem usque aded à foro Iudiciiisque remotam esse etiam voluit Plato, ut dicat: *Turpe certè esse conviciis se invicem proscindere, maxime in Iudicio, nemo diffitebitur, cum plerumque & ridiculi fiant conviciatores, ridicula per iram & commotionem in adversarium proferentes.* quod si verò causæ quam tractat qualitas talis sit, ut necessitate ad illius defensionem, personæ cum qua cliens lites habet turpitudinem allegare cogatur (ut puta si frater aut soror ab hereditate fratris sororisve, turpi personam instituat, exclusus fuerit, quam, nisi allegata hæredis instituti turpitudine, obtinere nequit) nihil præter boni viri officium fecisse censebitur: si eam objecerit, cum Iure legibusque permittentibus id faciat *L. fratres C. de inoff Test.* neque enim ex libidine conviciandi, sed necessitate officii, talis fit objectio & allegatio. *L. mater 2. C. de Calumniat.* nec tantum Advocatus lædere non debet adversarium suum verbis vel scriptis injuriosis; sed munus ejus est etiam erga Advocatum adversæ partis, ut debitam illi reverentiam & honorem tanquam confratri, tam in curia atque Auditorio, quam in publico & ubique locorum deferat

dēferat : ab omni contumeliā convinciisq̄ue prorsus abstinere : alioquin in constitutionem Imper. l. quisquis C. de postulan. incursum est : neque enim patitur legis dispositio Advocatum eō insolentiz progredi, ut non erubescat Gymnastam, ejusdemq̄ue professionis virum, cōviciis lacerare. Et sanē animi impotentis est signum, affectibus usque ad eō abripi, ut publicz honestatis publicarumq̄ue legum nulla habita ratione, quis non vereatur fratrem in professione contumeliosē excipere jus clientis sui defendentem ; cū tamen ab omni acriori contentione abstinendo de Jure partium, modestē graviterq̄ue & amicē remota omni acerbitate verborumq̄ue amarulentia inter se conferre deberent. *Bornio. c. 13.* Quod autem aliqui tradunt *Sichard. Adl. 3. n. 19. C. quomodo & quando. Iud.* Impunē Advocatum convitari, præsente suo cliente qui non impediatur, id improbandum refert *Tulden.* ad eō ut nec subscriptione illius aut expresso consensu excusari debeat ; nam non est novum injuriam teneri non tantū qui mandavit sed etiam qui mandatum tale implevit. *Lib. 4. c. 9. de Caus. Corr. Iud.*

Quinimō, causam duram, atrocem, & invidiz plenam, molli articulo, citra prævagationem tractare, Causidici est, diversz parti prudenter indulgentis, & tamen integrā fide. *Bud.*

Etenim cū duo tantū sint, quibus ab animantibus ceteris magna cum excellentia differimus, *Animus & oratio*, sitq̄ue oratio index eorum, quæ animo aut conceperimus, aut sentiamus ; omni arte studendum est, talis ut nostra sit oratio & sermo, qui nihil contumeliosum, temerarium, stultum, superbum, leve, invidiū, immite, animo cogitationibusq̄ue inesse indicet nostris ; sed qui præ se ferat in seriis rebus gravitatem, in jocosis leporem urbanitatemq̄ue, in dubiis circumspectionem, veritatem in Iudiciis & severitatem ; in adversis ac tristibus fortitudinem, in lætis prosperisque mansuetudinem, in consiliis facilitatem & humanitatem. *Pont.*

Etiā in defendendo partium jure, Jurisperitus cavere debet ab ambiguis & duplicibus dictis & propositis, quæ in diversis sensus

retorqueri possunt; a quo etiam Notarii & Procuratores profertim abstinere debent, juxta *Can. relatum* 37. *distinft.* dum enim rerum causarumque formæ ambiguar & perplexæ concipiuntur (quod non rarissimè evenit) *non est lites dirimere, sed litium sementem facere.* E verbis etenim ambiguis aut jejunis, sæpè ansa arripitur novæ litis: & versipellis litigator, novis armis adoriendus, aliisque telis petendus venit. Talis farinæ sunt.

*Reginam interficere bonum est, timere nolite.*

*Esti omnes consenserint, ego non contradico.*

Dæmon quidâ, Alberto Scoto Domino urbis Placentiæ sciscitanti de statu suo, respondit in hunc modum. *Domine spes securus, Inimici tui suaviter intrabunt terram, & subiciantur domui tuæ.* qui intellexit verba ut sonant; cum demon ad hunc modum senserit: *Domine spes securus, Inimici tui sua vi ter intrabunt terram, & subiciantur, id est ignem, Domui tuæ:* & ita evenisse testatur Albericus.

Similis etiam fuit responsio diaboli, qui interrogatus à quodam Capitano, utrùm deberet accedere quendam Principem, qui eum vocaverat, & à quo occidi timebat: Respondit diabolus vulgari sermone, dicens, *Ibitis redibitis, non eritis capti.* quibus verbis ille deceptus fuit; nam apprehensus est, & morti traditus.

Numquid etiam Iustitiæ quasi *Matrona aequi & boni consulta,* vis quædam afferri videtur, cum Iuris interpretatione subtiliori & argutâ Ius petitur, & redditur, præsertim ex commentariorum congerie, vel veriùs controversi Iuris Iliade, quibus Iurisprudentia excæcata est? Nam qui explanationem Iuris facibus præluere deberent Iudicibus, hi tenebras offundunt Cimmerias, caliginemque Iudiciis in dies atriores. Et quid etiam tam à Iurisc. munere alienum esse potest, quid tantæ dignitati tam contrarium, quàm eum qui leges tractat, & bonorum omnium consensu universis vitari quasi tutor sit relictus, rebus minutissimis, interpunctionibus (ac ambiguitatibus) occupari? Nam cum omnis Iuris cautio ad civium æqualitatem, & hominum inter ipsos societatem conservandam spectet, numquid furere dicitur, si rem quæ ex naturalibus præceptis ortum habet; conetur reconditâ subtilitate, quasi

quasi quibusdam verbis obtundere? Ex his quippe & similibus oriuntur apices illi, quos sæpissimè contra bonam fidem esse ait *Vlpianus*: quo in genere, plerumque sub auctoritate Juris scientiæ, pernitiosè erratur. *Ex Parerg. Cost.*

Hæ enim & similes causarum labeles, in germano Jure & æquitate, annis melioribus, ignotæ multæ fuerunt, quæ Jurisperitorum perditâ subtilitate natæ, usu invaluerunt in consiliaque receptæ sunt, ambiguis admodum auspiciis. Hinc strophæ & antistrophæ forenses, sophismata & antisophismata, mirifici que ludi eduntur, proponunturque & partibus & Iudicibus: quorum si bitem aded commoverent ad animadversionem, uti splenem exercent ad hilarem urbanitatem; melius cum rebus civilibus ageretur, sed deterius fortasse cum forensibus & jejuniis. Sed videntur ut in campo Iura Martis dolis & insidiis pollentis, sic in foro dolo non degeneri & legitimæ captioni Iura exponi. Rogat enim variè que rogitat astutus & percunctator epagogicus, donec per epagogem adversarium eò deducat, quò providere non potuit, & per hyperbata ac captiosa actionis diverticula longè gentium rem, de qua agitur, abducit ac fallaciter extravagatur.

Quorundam etiam vel imperitia vel culpa est, vel vitium potius ( non tantum causidicorum, sed etiam Iudicum ) ut quòd sentiant rogati, copiosè verba fundere possint, non etiam sententiam dicere, quos *Resolutos parum esse dicunt*.

Budæus autem illos, *Solvendo magis esse homines, quam resolvendo*, dicit. Si enim debitum reposcantur muneris sui officium, habent statim quòd solvant, huc illocque libris circa dis exspatians, non etiam quòd ambiguam quæstionem resolvant.

Qui disputat, verum discernit à falso: quòd qui non possunt per insidiosas interrogaciones, captant incautorum assensiones; ut eorum responsionibus concludant; unde illos vel apertâ falsitate deceptos rideant, vel occultam falsitatem deceptis persuadeant, quam plerumque etiam existimant veritatem. *August. contra Crescent. lib. 1. c. 12.* veritas autem super omnia, omniaque tandem vincit adversa; non querit angulos, & simplicitatis est amica.

qui

*Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.*

Quidam seiplos erigentes, calumnias verbis invenire contentunt, contentiosas comparantes quæstiunculas, distinctiuncularum venatores, pusillarum quarumdam artium æmulatores, litigatores, & jurgiorum consarcinatores, verborum magis discipuli quàm veritatis. Loquacitatem facundiam existimant, impudentiam constantiam deputant, & maledicere singulis officium bonæ conscientiæ judicant. *Tertul.* Sophistica quippe plus ostentationis habent quàm utilitatis, quàm fallacibus conclusiunculis adversarium irretire, atque argutias eas nectere intendunt, quibus quæ falsissima sunt, vera esse videntur: neque ostenditur per se impostura, ne nuda deprehendatur; sed amictu verosimili callidè ornatur, ita ut imperitioribus videatur externa specie se ipsa veritate veriorē exhibere. *Iren.* est ete uim *Sophistica* simulata & non vera sapientia; & *Sophista* est qui ex eà quàm præ se fert, non vera, sed simulata sapientia quæstum facit. *Arist. lib. 1. reprob. sophist.*

A tali simulatione aliena debet esse Jurisprudencia, cùm *Dogma sit omnium sapientum* Text. in l. 2. ff. de leg. & *vera Philosophia non simulata.* ff. de iust. & Jur. l. 1. & legita sunt reales locutores, rebus & non verbis intendentes, & idè ait Baldus (*L. veteres C. de contrab. & Commit. stipul.*) quod *leges sunt vera Philosophia legales & non Dialectica*, & ponderat ad hoc text. l. 2. C. Com. de lega. & concordant verba Io. Ang. *In reg. infamib. de reg. Jur. 7. 6.* qui dicit, *Abse ut per sophisticas verborum naturam immutemus.* & idè *In c. 1. de Confessi. in 6.* ex mente Dydimi ad Alexandrum, secundum eum: *Non artem bene loquendi discimus, nec facundia Oratorum Rbeiorumque operam damus, cuius officium est falsatis sermonibus figmentare mendacia, & innocentia fidem conferre criminibus, ac paricidis reos assignare pessimos, qui dum putant se aliena laudis fructum per iniquam victoriam rapuisse, nesciunt se numimentum sua conscientia perdidisse.*

De his ait Scriptura: *Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam.* Coloss. 2. 8.

*Improbi*

*Improbi homines & impostores procedunt in peius, tum seducentes alios, tum seducti ipsi.* 2. Timoth. 3. 13.

Hodie quoque Causidici in Iudiciis versando, non Ius quærunt sed victoriam, & quocumque modo, adversarium supplantare pulchrum putant. Imò quemadmodum proverbio dicuntur, multa in bello inania esse; sic quoque Iudicia nostra magis in extrema quadam ordinis pompa, quàm in vera causæ cognitione occupantur.

*Ariston* dicere solebat, argutias Dialecticorum similes esse telis atanearum, quod plurimum haberent artificii, minimum utilitatis. Avesquæ quæ se possunt expedire magnis retibus, numquam hærebunt in atanearum telis. Ita qui veram novit artis difficultatem, facile explicabit se nugacibus sophismatibus. *Ranarum* nocturnam & molestantem coaxationem fulgentis lampadis splendore illis repente objecto reprimi, cunctasquæ ilicò, utpote quibus oculos inopinatus fulgor perstrinxit, conticescere experientia ostendit. Ut igitur face noctu accensa obmutescere coguntur; sic sophisticis etiam, detectis ipsorum argutiis & resolutis fallaciarum strophis, irrefragabili veritatis luce tandem ad eò os oculiquæ confunduntur, ut omnibus syncerè judicantibus ludibrio sint pariter & odio.

*Lumine percussa cessant maledicere vana,*

*Et victus veri luce Sophista tacet.*

*Monodemus* percunctanti cuidam *Alexino*, an patrem cædere decessisset, respondit, *Neque cecidi, neque desii*: cum alter subiecisset oportere solvere ambiguitatem, ai vel nega, affirmando vel negando; ridiculum est aut vestras sequi *Leges, cum liceat in portis occurrere*. alter captabat illum insidiosa percunctatione: sive enim respondisset, *desii*. sive *non desii*, agnovisset crimen: ille hoc præsentens exolevit sophisticum cavillum. *Laërt. lib. 2. c. 18.*

Abusus proinde est, dum Jurisprudentiæ institutio sæpè fit magis ad disputandi argutias & inde calumniandi artes, quàm ad æquum iniquiquæ iudicium dirigatur; magisque ad litigandum subtiliter, quàm inde decernendum prudenter: quod ferè accidit cum sine præsidii

præsidii veræ Philosophiæ Iurisprudentiæ tractatur, unde fructus illam ad minutissimos quosdam & pervagatissimos fasciculos, & literalia quædam ad ineptissima prologia revocent: inopia haud dubiè iudicii & liberalioris doctrinæ, quando tot argutiis, tot tamquæ perplexis rerum discriminibus, quas non immeritò *acutis ineptias* Seneca vocat, tot rationum & legum & interpretationum contrariarum pugnis, litigatoribus utrumque nisi tela quædam subministrât, & iudici offendicula objiciunt, quibus cognitionis cursus inhibetur, ubi tamen expedito & directo ad iustitiæ itinere ipsa integræ naturæ vis & incorruptæ mentis liberrima industria Iudicem deduceret si non impedirent tot acuminû spinæ, tot disputationum salebræ, tot ambages distinctionum, tot legum tanquam vadagines, ad captandum Iudicantis decreta dispositæ: etenim videmus eos qui ex juris arte de controversiis respondent, magis fere occupari in confutandis iis quæ ex adverso iurisprudentiæ objicit, quàm in stabiliendo legibus causæ æquitatem: adeò in calumniæ & æquitatem anceps Iurisprudentiæ est, plusquæ ferè negocii facessit Iustitiæ, quàm auxilii ministrat. unde Seneca Epist. 95. *Postquam docti prodierunt, boni desunt; simplex enim illa & aperta virtus in obscuram & solertem scientiam versa est, docemurquæ disputare, non vivere.*

An etiam non verissimum experimur illud Archefilai, *Vbi plurimæ leges sunt, ibi iniustitiæ vigere maxime, perinde atque morbi abundant, ibi multa pharmaca & medici.*

Itaque qui legum paucitatem simplicitatemquæ probant, inter quos & Otrabo, antiquæ simplicitatis candorem eodem voto restituant necesse est: fuit enim illud ævum, cum legislator nequidem de adulterio cavendum putaret, tanquam ultra fraudis humanæ terminos posito: Itaque non Iuris operosa descriptio calumnias sevit ac produxit: sed ex adverso contentionis libido & fraudis ingenium excitavere leges, ut majori se artificio instruerent: id quod accidisse & aliis artibus testatur Seneca. *Fuit inquit sine dubio vetus illa sapientiæ cum maxime nascens rudis, non minus quàm ceteræ artes, quarum in processu subtilitas crevit, sed ne*  
opus

opus quidem adhuc erat remediis diligentibus, nondū in tantum nequitia surrexerat, nec tam latè se sparserat : poterant vitiis simplicibus obstare remedia simplicia : nunc necesse est tanto operosiora esse munimenta, quanto valentiora sunt quibus potimur. Medicina quondam paucarum fuit scientia herbarum, quibus sifteretur fluens sanguis, vulnera coërent paulatim, deinde hanc tam multiplicem ubertatem. *Tuld. lib. 2. de corrupt. Ind. c. 2. & 3.*

Plato leges quàm paucissimas promulgendas esse putavit. Magistratus enim si suo munere fungatur, multitudo supervacanea erit; si non fungatur, molesta est & perniciofa.

Apud *Aeginetas* cautum erat, ut qui novæ condendæ legis causam daret, invisus omnibus & execrabilis foret.

Refert *Zaleucus* legislator Locrensis, quod si quis voluerit leges sancitas movere, aut novam statuere, is collo in laqueum immisso de lege verba faciat : & si per suffragia videatur legem veterem esse tollendam, aut eam quæ nova infertur, bonam esse, indemnis maneat : Contra si prior lex melius habere videatur, aut quæ nova proponitur injusta sit, is qui movet infert que legem, laqueo moriatur.

Confusionem etiam introducit legum mutatio : & homines leges vilipendere incipiunt, cùm vitæ suæ regulam, quæ constans & perpetua esse debet, subindè vident immutari; ipsa enim Legislatoris vilescit auctoritas, quem non tam esse discretum præsumunt homines, ut futuri etiam temporis circumstantias perpendere potuerit. Deinde frequenti, ait *Zypeus de Ind. lib. 3. c. 1.* mutatione etiam optima quæque concutiuntur, & rectissimè constituta invadit novandi cupidò.

*Cunctorum est semper novitas gratissima rerum.*

*Vilia sunt nobis quacumque prioribus annis*

*Vidimus, & sordet quicquid spectavimus olim.*

Cùm tamen legum mutatio multa secum vehere soleat incommoda. Idcirco *in rebus novis constituendis evidens esse utilitas debet, ut recedatur ab eo iure, quod diu æquum visum est.* L. 2. ff. de const. *Evidens, inquit textus, utilitas, non quæ causis problematicis in*



utramque partem disputationem suppeditet: nam veterum legum damna apparent, novarum latent. novitas omnis suspicionem, querelas, commotionem populi producit; facile creduntur, qui veteres abrogant, novas rogant, sibi rogare, non publicæ salutis. *Zyp. lib. 3. c. 2. de Jud.*

Imò melius refert *D. Puteanus In Aphor. Civ. Doct.* ut parva potius aliqua mala sint, quàm inducantur quæ apparent tantùm bona: & in omnibus rebus semper periculosum est innovare, sæpè perniciosum.

Prudenter *Cleon* censuit meliorem esse statum Reipublicæ, quæ deterioribus legibus utitur, sed firmis, eà quæ frequenter eas commutat; nam ipsa mutatio consuetudinis (& legis consultæ) etiam quæ adjuvat, utilitatem novitate perturbat. *S. August. ep. 118. ad Januar. & Zyp. d. l.*

Idemque censuit præter Platonem & Aristotelem, *Cicero* probatque exemplo *Lacedæmoniorum*, qui soli in toto terrarum orbe, septingentis annis unis legibus & numquam mutatis moribus pacatissimè vixerunt.

Quemadmodum verò superius dictum est de paucitate legum, ita illam imitatur brevitatis: legem enim brevem esse oportet, quod facilius ab imperitis teneatur, veluti emissæ divinitus vox jubeat, non disputet. *Senec. ep. 94.*

Proœmium legis naturæ nullum esse, nec XII. tab. habuerūt, ait *Zyp. L. 3. c. 1.* tametsi in Iure nostro secus multas leges cum causa impulsiva & finali explicata aliisquæ rationibus additis latas videmus, maximè Justinianæ, & novellas: moti hîc credi possunt, ut facilius legem persuadeant, non imperent tantùm, ut non voluntatis esse solùm, ut quidam volunt, sed et rationis videantur. *Axor. Inst. Mor. p. 1. l. 5. c. 2.*

Vtinam proinde fata aliquem animarent, qui Ius civile & municipale ad certum modum redigeret, atque ex immensa diffusaque legum copia, optima quæque & necessaria in paucissimos conferret libros: etenim sanctè jurare aûsim (verba sunt *Anonymi*) *Cicero, lib. 2. de leg. ex centum litibus, nonaginta quinque non aliundè*

aliundè nasci quàm ex ipsis legibus, quæ cum nostra ætate anti-  
quatæ sint nec observentur, vel observandæ sint, nec extet con-  
siliũ, cujus auctoritate mutentur vel emendètur: Advocatorum  
& Doctorum ambitioni & avaritiæ materiam ministrant.

Vtiles quoque & honestæ debent esse leges: constat etenim ad  
salutem civium civitatum quæ incolumitatem vitam quæ omnium  
quieram & beatam conditas esse leges, eosque qui primùm ejus-  
modi scita sanxerunt, populis ostendisse ea se scripturos atque la-  
turos, quibus illi adscriptis susceptisque, honestè beateque vive-  
rent; quæ quæ ita composita sanctæque essent, eas leges videlicet  
nominarunt.

Optimæ leges censendæ sunt, quæ non opibus maximè homi-  
nes cumulent, sed quæ morum humanitate, rerum civilium pru-  
dentiâ, quàm instructissimos efficiant; quæ ita publicam tran-  
quillitatem conservent, ut privatim cives omnes virtutis semitam se-  
ctentur. *Diod. sicul. lib. 1. histor.*

Iustas & æquales leges oportet esse, & propter commune bo-  
num impositas: Iuræque non in singulas personas, sed generaliter  
constituuntur: est enim lex commune præceptum ad commu-  
nem utilitatem statutum. *Lib. 1. de Invent.*

Hinc Cicero de Orat. *Ea virtute, inquit, & sapientia  
maiores nostri fuere, ut in legibus scribendis nihil sibi nisi salutem ac uti-  
litatem Reipub. proponerent.*

Laudat inde Æschines Athenienses; nempe, *Quia leges  
à vobis sanciantur habita ratione æquitatis, non iniusti lucri neque odii  
privatorum, sed ipsius iustitiæ, publicæque utilitatis dumtaxat: &  
quia ingenii dexteritate alios omnes populos antecellit, non mirum est  
vos ferre pulcherrimas leges.* De statu. polit. lib. 3. discursu. 6.

Qua ratione etiam Privilegia nisi publicam utilitatem conti-  
neant, injusta sunt: non tantùm quia à lege exorbitant, sed quia  
publicam utilitatem & quietem offendunt, ac seminaria sunt dis-  
cordiarum, tum ex aliorum invidentiâ, tum ex usitato privilegio-  
rum quorundam abusu, qui iis privilegiis advertatur: & quam-  
quam dicat S. *Augustinus. Sermon. 247. de temp. quod Iudicio*

legum Jure obtenta dignitate deiciatur qui privilegio sibi concessio abutitur: tamen non sine populi motu auferri possunt, seditionibus materiam præbent: proinde moderatè & non nisi bene meritis concedenda, tanquam honoraria ad virtutem excitantia, & quæ privilegiatos dum eximunt, alios non gravant; quæ politiam non turbent, sed communiant; quæ ita privatis gratificentur, ut ad Reipublicæ tamen bonum dirigantur: cujusmodi sunt privilegia *Clericalia, Academica, Militaria, Nobilium*, & multa similia: quorum tamen omnium ratio publicam utilitatem respicit. sed tantâ prudentiâ sancienda sunt ut in nullorû injuriam transiliant: ut *Clericus oret, non de altari luxurietur: ut scholaris studeat, non diu noctuque oberret: Miles limites defendat, hosti insidatur non rustico, viatori, hospiti, stipendiis contentus.*

*Nobilitas maiorum legat vestigia, non fastu plebem irriter: & sic de ceteris, prout prosequitur R. D. Zypeus Tractat. de Iud. lib. 3. c. 1. n. 16. & seq.*

Præterea in omni Repub. tum primis curandum est, ut leges & Magistratum aut Principum edicta executionem inveniant, subditi ut sint factores verbi & non auditores tantum: *Neque enim tantum, inquit Iustinianus, leges ferre summo bono est, sed etiam sancita accuratè custodire, & ad effectum deducere, transgressoresque competentibus pœnis subiicere.* In Auth. de provinc. Præf.

*Bene Tertull. Quale est ut præcepta constituat non executurus? ut delicta prohibeat non vindicaturus? permissum tacitè, quod sine ultione prohibetur.* Zyp. lib. 3. c. 1.

Clare etiam debent esse leges, & non ambiguae, edictaque clara & prospicua ac manifesta, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineant.

Lex enim non debet ambages continere, sed veteres abrumpere. *L. fin. C. de interd. & releg.* Adeoque ne vel in syllabis hæsitetur, non sensu tantum legis scribi eam oportet extensè sine notis seu breviaturis. *L. 1. C. de veter. Iur. Enuch.*

Denique leges de his quæ frequenter fieri solent, non quæ raro, generaliter recipi debent, non in singulas personas: & cum de omni-

omnibus leges expressè cavere non possint, quia non facilè generali sermone singulos casus comprehendere valent: ideò lex generalis quandoq̄ recipit restrictionem, vel Iure utilitatis vel necessitatis, vel cògruentiæ, vel verisimilitudinis, aut aliis de causis: & cùm lex universaliter loquens de nonnullis particularibus, quæ inde finita sunt & incerta, nec distinctè sub lege comprehendì possint, nihil decernit: tunc Iudex prudentiâ suâ defectui legis succurrit, legem hòc evertens, sed perficiens.

Ratio autem interpretandi leges habetur *L. 10. cum tribus LL. sequentibus ff. de Legib. L. 2. § his Legibus ff. de orig. Juris*: & si ambigua est vox legis, ea potius accipienda significatio, quæ vitio caret, & benignior semper præferenda sententia *L. 19. l. 18. § 2. ff. de legib.*

Sed ut redeamus unde nonnihil digressi sumus, videamusque, quantum abfuerint veteres nostri à fallaciis, & quàm simpliciter ac candidè procedebant in suis formulis Iudicialiis; id ostendunt fragmenta quædam hîc sequentiâ, quibus in Iudicio præscis temporibus uti solebant, quas Iustinianus (*L. 1. § 2. fin. C. de vet. Iure. enucl.*) signa vocat.

Formula manus conferendæ in Iure.

Antiquissimi temporis verâ adhuc in Iudiciis regnante simplicitate, cùm fundus aliquis peteretur, adversarii simul apud prætorem in loco manu rem prendebant, vindicando ac propriam adferendo, quod erat manus conferere: postmodum terræ aliquid vel glebam ex prædio litigioso deferrebant in Ius ad Prætorem, & in ea gleba, tamquam in toto agro vindicabant notis inscriptis.

F. Q. E. I. A. Q. S. V. M. E.

E. E. E. I. M. E. A.

I. E. T. E. I. M. C. V.

hoc est.

*Fundus, qui est in agro, qui Sabinus vocatur, meus est.*

*Eum ego ex Jure meum esse aio,*

*Ibi ego te ex Jure manu confertum voco.*

Formula

## IURIS IUSTITIAEQUE

## Formula responsionis.

V. T. M. E. I. M. C. V.

I. E. T. R. Id est.

*Vnde tu me ex Iure manu confertum vocas,**Inde ego te revoco.*

## Formula vindicationis.

Actor apud prætorem applicans manum ad glebam agri litigiosi, dicebat.

H. E. R. E. I. Q. M. E. A.

Id est.

*Hanc ego rem ex Jure Quiritium meam esse aio.*

## Forma exceptionis.

A. E. E. C. V.

*At ego eam contra vindico.*

## In actione personali.

A. T. M. D. O. vel

A. T. M. F. O. hoc est.

*Aio te mihi dare oportere, vel**Aio te mihi facere oportere.*

## Responsio fiebat per

A. vel. N.

*Aio. vel. Nego.*

Iudices post causæ cognitionem tabellas in cistram coniciebant hisce litteris notatas. A. C. N. L.

A. significabat absolutionem, ideoque littera salutaris dicebatur. *Vtinam & omnes, quorum nomina incipiunt ab A. valeant ab Aeterno Iudice impetrare peccatorum suorum absolutionem.*

C. denotabat Condemnationem, quamobrem tristis littera nuncupabatur.

N. L. hoc est, *Non liquet*, ampliandi erant notæ. utebantur enim Iudices hac excusatione cum causa esset obscurior. *Oldend. in enchirid. except.*

Sed quædam in Tribunalibus hodie sunt aucupia verborum, &amp; littera-

Litterarum tendicula, quales nunc producuntur captioneulæ forenses, & conclusionum formalitates, quas non quidem timidi tantum hominis est pertimescere, sed & prudentis: quæ & oppressiunculæ dici possunt, cum per illas simplices litigatores sæpè à versutis opprimuntur in articulis causarum & formulis non quibusvis, sed ad summam causæ pertinentibus, & quasi cardinalibus.

*Bud.*

Quæ enim lex, quod S. C.<sup>tum</sup> quod Magistratus edictum, quod foedus, quod testamentum, quæ judicia aut stipulationes, aut facti aut conventi formula non infirmari aut convelli potest, si ad verba rem deflectere velimus? Consilium autem eorum, qui scripserunt, & rationem & auctoritatem relinquamus. *Cicer. pro Cæcin.*

Civis Parisiensis dives & opulentus, dum graviter laboraret morbo, voluit condere suum testamentum, & ad eundem finem curavit accersiri peritum, cui ait, *Domine, tu scis consuetudines huius patriæ, ego habeo sex proles, quibus meam hæreditatem relinquere volo, nec uni plus vel minus benefacere quàm alteri, sed vereor ne post mortem meam inter illos excitetur aliquis processus.* Proinde rogo te, ut concipias testamentum meum in talibus verbis ac terminis, ita ut non possit cadere aliqua disputatio vel controversia in explicatione mentis meæ. Cui Notarius respondens dicit. *Ridesne mecum, Domine? putasne quod plus possim, quàm Deus ipse? Ipse fecit unicum testamentum, tamen fuerunt, sunt, & erunt semper mille disputationes; & vis tu ut unum tibi faciam, ubi non erunt?*

Ab omni ergò fraude & dolo, ab omni calliditate, fallaciqûe machinatione, quæ ad circumveniendum decipiendumqûe adhibetur, *Advocatus* proflus abstinere debet, solamqûe & solidam Iuris factiqûe veritatem amare, nec in consiliis suis libentiùs ire *Placentia* quàm *Verona*: verus enim & rectus *Advocatus*, non querit placere parti, sed Iuri & veritati, tota causa ab ipso defendenda est, ut nulla fraus, nulla avaritia, nulla perfidia, nullum petulans dictum proferatur. *Cicero pro Muræna.* Ex æquo & bono sinceraqûe via, non ex callido versutoqûe Iure res iudicandæ: instruën-

intruendæ sunt, sine fallaciis ac fabricatis aucupiiis. Qui enim talibus casibus tuas fulcire conantur, captatores potius & iustitiæ aucupes, atque simplicium supplantatores dici possunt.

Hos autem supplantatores, astutosque litigiosos, an non licet reprimere Callidæ versutoque argumento.

Hospes vendiderat 10. ova cocta, certo termino addicto: quo non servato citatur reus apud Iudicem: ubi hospes non contentus pretio ovorum, adjungi postulat interesse, quod deducit ex pullis, qui provenire poterant ab ovis; à pullis iterum nova ova, atque ita consequenter in immensum creditum suum extendebat: Reus anxius, pro defensione reperit Advocatum qui causæ addicit patrocinium: designato sententiæ die ( quia de plano definiri debebat ) Advocatus latè citò non compareret, nisi in ultimo puncto: unde Iudici ( ab actore corrupto ) roganti ab Advocato causam tantæ moræ? idem sagaciter respondet: Jam eram in opere elixandi triticum quod Colonus meus seminare expectabat. Ecqui fructus, ait Iudex, expectari possunt à Triticum cocto? tum Advocatus: & qui quæso pulli expectari vel periri possunt ab ovis coctis? adeoque hoc retorto argumento repulit sophisticum hospitis interesse.

Si autem liceat hic nonnihil joci causâ divagari, addemus quàm lepidè, licet non tam rectè, rusticus eluserit amendam fisci: cum enim denunciatus esset, contra Ecclesiæ præceptum elixasse & comedisse ova, injunxit illi fiscus ut in certis terræ virgatis, quas habebat contiguas terris Rustici, seminaret pisâ; viderat enim quod paucis ante diebus & rustici terræ pisâ seminatæ fuerant: acceptat rusticus, qui pisâ prius elixat & desiccata seminat in agro fisci: cum autem aliquot de post septimanis deambulando in campis fiscus videret in rustici terris pisâ alacriter germinata, in suis autem nullam apparentiam, accedit rusticum & hujus differentiz rogat causam, qui aliam nesciebat dare, nisi quod mea pisâ fuerint: cruda, tua autem cocta; idque feci quia ob ova cocta fui amendatus, credidi & pisâ debuisse esse cocta, ut multa peccato corresponderet.

Sed hæc sint loco extravagantis, unde redeamus ad nostratam materiam: Prodeunt etiamnum novi Iurisperiti, qui sententias suas ut communes tot Auctoribus adstruunt, ut numerolectorem terreat; credas Syllanam tabulam: Alii etiam non illepido in stuprum & risum dicto, communes se dicunt adferre contra communes, & prioribus derogatis suas esse volunt communes: & tot hic scriptores ut credas novum Xerxem incubare Græciæ. *Scrib. lib. 2. polit. c. 9.*

Hi sunt, qui semper aliquid adinvenire solent, cur pacto non sit standum, cur veritas detegi non possit; & semper aliquam fraudi speciem Iuris imponunt: ac sicut venena non dantur nisi melle circumlita, ita non decipiunt nisi sub specie umbraque Iustitiæ aut virtutis: unde capitalior totius Iustitiæ non est iniquitas, quàm eorum, qui etiam tum cum maximè fallunt, id tamen agunt, ut viri boni esse videantur. *Cic. I. Off.* unde & simulata æquitas duplex est iniquitas.

*Nulla fides est in pactis; mel in ore, verba lactis; fel in corde, fraus in factis.*

Hi sunt, qui clientes suos instruunt, ut negent veritatem, vel ut falsum respondeant; solent enim improbi dicere Clienti: *Si confitearis, perdes causam; nec dicunt, Perdes animam, si negaveris.*

Rusticus promiserat Advocato Ducatum, ut se doceret modum numquam cadendi eausà. Doctus ergò, ut negaret omnia, petenti mercedem Advocato, negavit se promississe.

Accusanti cuidam alterum, quòd numquam diceret veritatem, dixit ille, *Immeritò me accusas, quia semper lequor bonè de te.*

Hi sunt, qui cum docuerunt linguas loqui grandia, cum operantur exigua, largissimi promissores, parcissimi exhibitores, diversi adversus Iustitiam, eruditi pro falsitate, sapientes ut faciant malum, eloquentes ut impugnent verum. *S. Bern. de Consid.*

Hi sunt, qui contra argumenta solida expressa, & quibus veritatis signa sunt inusta, ementita legum & constitutionum reproducent scripta, & fucata Iudicia inani specie conjecturæ, ac planè ludibria, veritatisque primore aspectu fallentia: *Ex Bud.*



Ita ut fides exulare videatur, regnare fraus. Nec enim tanto studio, neque tot laqueis venatores atque aucupes, feras ac volucres captant, quot versuti homines alios quoque simplices. Monstrantur digito fraudum magistri, atque ille prudentior iudicatur, qui peritior est fallendi: & magna etiam peritia victa malâ cupiditate, fiduciam gignit. Talibus dici potest: *Redde quod accepisti, quoniam contra veritatem fecisti: iustam causam oppressisti, de falsitate vicisti.* S. Ambr.

*Simulatores & callidi provocant iram Dei; neque clamabunt, cum vincti fuerint: morietur in tempestate anima eorum, & vita eorum inter effeminatos.* Job. 30.

*Heu quot in ambages, quot distorquetur in orbes,*

*Quot nodos omnis Regula Iuris habet?*

Neque etiam licet iustam causam foventi adversarium injustè litigantem dolo circumvenire, juxta aliquorum opinionem; non enim patitur Deus Iustitiam sacro-sanctam technis, machinationibus ac mendaciis inquinari, sed vult eam veris legitimisque defensionibus sustineri atque defendi: non eget subdolo patrocinio ac fulcro; seipsam tuetur ac vindicat: premitur quidem ad tempus nonnunquam, sed non prorsus opprimitur; imò cum matre veritate, ut palma, contra impositum calumniarum onus assurgit. disertis verbis Moyses *Deut. 16.* omnibus sive in iudicio sive extra iudicium tractantibus præcipit. *Iuste quod iustum est persequeris, ut vivas & possideas terram quam Dominus Deus dederit tibi.* conformiter ait Hosperus de Iustit. princ. *Non minus esse vitiosum rem iustam facere iniuste, quàm ipsum facere iniustum:* ac proinde causa etiam iustissima, in Iudiciis non nisi veris, iustis legitimisque modis & mediis est asserenda & promovenda.

Quod si dicas non posse te obtinere quod rectum est, nisi istis artibus ac dolois machinationibus utaris, respondebitur generalem esse regulam, *Non esse facienda mala ut eveniant bona;* & non licere tibi injustè agere, non magis quàm Adversario, *Numquam virtus vitio iuvanda est, se contenta est.* Seneca lib. 1. de Ira. c. 9. quibus consonant verba Apostoli 1. *ad Thessal. cap. 4.* *Nequis circum-*

*circumveniat in negotio fratrem suum. Ad Corinth. I. c. 6. An nescitis quia iniqui regnum Dei non possidebunt: unde non excusabit te iniquitas adversarii tui si cum imiteris ad excludendam illius iniquitatem & injustitiam, diffidens de potentia Dei, qui cum sit vera Iustitia & ipsa veritas, facillè si volet effecturus est ut causa iusta ad optatum finem perveniat. Quod si tu iustâ causâ, veris legitimisque defensionibus usus cecideris, quod sæpius etiam fit, Iudicibus per sordes aut imperitiam lapsis, cogitare debes mundum hunc in maligno esse positum, & cum imperfectis tibi rem esse, qui quod æquum aut iniquum est non intelligunt, aut licet intelligant sequi recusant Bouric. c. 7. memor etiam esse debes Quod melior sit tristitia iniqua patientis, quàm latitia iniqua facientis S. Aug. de ver. Innocen. deinde & illud tibi persuasum habere debes, Deum Opt. Max. qui ad salutem nostram cuncta dirigit velle ut cum patientia injustam sententiam tanquam hujus sæculi afflictionem excipias; miscet enim tribulationes gaudiis terrenis ut sentientes amaritudinem discamus æternam desiderare dulcedinem, docemurque amare meliora per amaritudinem, ne viatores tendentes in patriam, stabulum amemus præ domo. neque omittendum in hoc proposito, plenum constantia & synceritate Senecæ dictum, quo ait, Maior sum & ad maiora genitus, quàm ut mancipium sim corporis mei, quod equidem non aliter quam vinculum aliquod libertati meæ circumdatum; numquam me caro ista compellet ad metum, numquam ad indignam viro simulationem, numquam in honorem huius corpusculi mentiar. Senec. ep. 65.*

Veritatis simplex est oratio, quæ nativâ fiduciâ sui statim prætumpere seque ostendere undique omnibus gessit: ideoque nullo præparandi conciliandi que flexu utitur, nec sollicita in dispositionem est, conscia se congruere unde quaque & constare quacumque parte vel ordine apprehendatur: vimque suam sentiens ornatus sollicitudine vaeat, & fucum contemnit, suo colore sat superque speciosa. Igitur tantum mala causa necessarius videtur callidus aliquis patronus: sed ut iusta causa eum non requirit, ita iniusta non meretur.

Visebatur apud ethnicos *Fidii* simulachrum, in quo *honor*, viri forma expressus, veritati, quæ virginis specie fingebatur, manum porrigebat: his medius interrat *amor* humanique generis corculum & delicia. ingenioso sanè invento, quod tacite monet veritati honorem & amorem deberi: vel si mavis, fidem niti veritate honore amore. vide *paræmiam*. *Hominum fidem veritas parit, honor sustinet, Amor nutrit.* Lobbet. Spec. Eccles. c. 6. p. 1. §. 3.

È contra omnis simulatio, falsitas, sophistica & curiosa inventio vilis & odiosa tam coram hominibus quàm coram Deo, ut ex sequenti constat apparitione.

Discipulus quidam magistro suo *Parissis* post mortem apparuit de die, indutus cappa de *pargameno* minutulis litteris conscripta: cumque ab eo magister quæreret, quid cappa illa & litteræ sibi vellent? respondit: Quælibet litterarum harum plus gravat me pondere suo, quàm si turrim hujus Ecclesiæ super collum portarem: hæc siquidem litteræ sunt *sophismata* & curiositates, quibus dies meos consumpsi: & addit: Non possem tibi exprimere quanto ardore torqueor sub hac cappa, sed per unam guttam sudoris possem tibi ostendere aliquo modo; cumque magister extenderet palam, ut sudoris exciperet guttam, perforata est manus à feruente gutta, unde ille mox ordinem *Cisterciensem* est ingressus. *Thieulaire in Thes. histor. Jacob. à Vitriaco.*

*Est quidem falli malum, sed peius multò fallere.*

*Fraus cauta quamvis, tandem se ipsam detegit.*

*Sphærus sophista* cum diceret, opinionem non cadere in sapientem virum, *Rex Ptolemæus* cupiens hoc paradoxum ipsa se confutare, curavit mala punica veris simillima, sed ex cera confecta, apponi in convivio: ad quæ cum *Sphærus* deceptus porrigeret manus, *Rex* exclamavit, illum falsi specie fuisse deceptum: sed ad hæc *Sphærus*: *Non sic, inquit, assensus sum ut crederem esse mala punica; sed probabile putaveram esse mala punica.* Laër. lib. 7. c. 1.

*Fraudes struunt, virtute qui sunt impares;*

*Virtute quod nequit malus, fraude obtinet.*

*Deum propitiat, qui se à fraude continet.*

Advocatus anonymus fuerat magnus ac felix causarum Patronus, qui eo munere abdicato, Religiosus factus, Cœnobio ob dexteritatem in rebus agendis præficitur: verùm rebus sibi non tam dextrè ut priùs succedentibus mirati fratres causam inquirunt; ad quos ille.

*Dei timor, qui mihi ante oculos, facit, quid tam liberè mentiri non audeam veluti in sæculo solebam:* implicite insinuans, quantum is, qui sæcularium rerum patrocinio se dedicavit, veritatis limites transgrediatur, ut propositam susceptamque causam contra fas tueatur.

*Qui congregat thesauros linguâ mendacii, vanus & excors est, & impingetur ad laqueos mortis.* Proverb. 17. Præter alios, qui thesauros congregant per linguam mendacem, etiam sunt *Judices*, qui auro corrupti mendacem ferunt sententiam; & *Advocati*, qui injustam causam defendunt ob lucrum. Retia autem & laquei, quibus vincuntur & suffocantur ii, qui colligunt opes per fraudes & mendacia, est *Angor conscientia*, qui eos semper remordet, cupiditas & affectus erga opes injustè partas. Ita etiam ut cum ad pœnitentiam compulsi fuerint, aut etiam pœniteant & confiteantur, nolint eas restituere; aut si Confessario id promittant, mox à Confessione in pristinum affectum eas retinendi, relabuntur. Præterea *Horror mortis*, cujus nomen audire non sustinent. *Timor infamia*, denique laqueus est filiorum & nepotum, quibus opes malè partas relinquunt, dum hæreditate à parentibus fraudibus parta succedunt nec de ejus restitutione cogitant. *A Lapide ad d. c. Proverb. 17.*

Quocirca S. Augustinus sapienter monet Serm. 25. *Patrimonii tui, quo es ligatus, compedes in hac vita resolve, abiice à te divitiarum onera, abiice vincula voluntaria.*

*Miser est omnis animus vincetus amicitia rerum temporalium, & dilaniatur cùm eas amittit, & tunc sentit miseriam qua miser est, & non antequam amittit eas.* S. August. conf. lib. 4. c. 6. *maiori tormento pecunia possidetur quàm quæritur.* Senec. ep. 116. *Quid miraris, quid stupes? pompa est; ostenduntur istæ res non tenentur, & dum*

dum placent transeunt, *Quidquid illis concesseris non finis cupiditatis erit, sed gradus.*

Corvus cibi indigens, ut serpentem in aprico dormientem vidit: devolando rapuit. Hic cum se vertisset, atque momordisset ipsum, corvus moriturus dixit, *Me miserum qui tale reperi lucrum, quo etiam pereo.* Corvus est raptor, serpens sunt opes raptæ, quæ ipsum raptorem mordent & perimunt.

Similis fabula est apud eundem Æsopum: *Cassita* laqueo capta plorans dicebat, *Hei mihi misera & infelici volucri, non aurum surripui cuiusquam, non argentum, non aliud quicquam pretiosum; granum autem tritici parvum mortis mihi causa fuit.*

Ita ob viles opes terrenas iniusti incurrunt mortem præsentem & æternam, tuncque lugēt, dicuntque simile illi, quod *Cassita* dixit.

Refert Ant. Panorm. *In dict. & fact.* cum medicus quidam Gallus, acutissimus quidem sed sophista, ad agendas causas accessisset, forumque omne sophismatibus involveret, Alphonsum ei forum prohibuisse, decreto addito, ut lis omnis quam ille susciperet injulta censeretur. *Gaudet veritas simplicitate, veritas premi subinde, at opprimi numquam potest.*

*Quo magis impeditur tam mage expeditur veritas.*

*Immergitur aqua uter, sed non submergitur.*

*Vera dic, fac recta, vinces insolentiam omnium.*

*Aristomenes Messenius* suæ tempestatis homines eximiâ quadam astutiâ & calliditate superasse dicitur, cujus defuncti cor cum exsectum esset pilis refertum fuisse fertur. *Plin. lib. II. Val. Max. lib. I. c. 8.* Unde lingua nostrate de versipelli ac doloso dici solet.

**Hy heeft hay op sijn hert.**

*Qui mel in ore gerit retro me pingere quarit*

*In blando raram vidimus ore fidem.*

*Pelle sub agnina latitat mens sapè lupina.*

*Si Deus elinquem faceret quemcumque bilinguem*

*Vnoquoque die multi forent Zachariæ.*

*Exterius multi sunt dulces atque benigni,*

*Qui sunt interius fallaces atque maligni.*

**Talibus**

Talibus applicari potest vernaculum proverbium.

**Hy heete soo goede conscientie / als de boetbanche banden  
Aertfengel S. Michiel.**

*Fallendi iis abest voluntas, queis abest studium lucri.*

Et verè Iuvenalis Satyra 6.

*Prima peregrinos obscæna pecunia mores  
Intulit & turpi fregerunt sæcula luxu  
Divitiæ molles.*

*Dissipat natura fœdus omne amor pecunia.*

Et quod majus est, illi qui lucro intenti sunt suo, etiam aliis prævum ad hoc dare solent quandoque consilium: beati autem qui non ad illud auscultant: uti legimus de *Fred. Imper.* qui cùm *Ladislaum Hungaria Regem* protegeret, & in suo palatio institueret, non defuere qui clam perdendum puerum suggererent, utpote cujus morte opes plurimas regnaque consequeretur: at *Imperator*, *Ego sanè non ita amo divitiæ, ut impiis consiliis persuasus, propter eas, tam impium facinus attentem*, O egregiũ & verè regium sermonem!

*Arca plena quid prodest, si inanis conscientia est?*

*Numquam quietæ divitum possessio est.*

*Queis molesta diviti in thoro aureo est.*

*Virtutum opumque rara valde copula est.*

*Conscium evasisse possis non item conscientiam.*

*Vt queas latere cunctos, te latere non potes.*

*Conscientia una vincit mille testium fidem.*

*Vacare culpa maximum solatium est.*

*Vlcus molestum impura conscientia est.*

At

*Queis mens integra criminisque pura est*

*Exultat medios vel inter hostes,*

*Ex sese quia gaudium perenne*

*Habet, atque animi vigilantis arce*

*Ad quam non datur hostibus venire.* Scyoenk.

*Ad sonum baud tremit tonitru nullius mens conscia.*

Proinde etsi te acculaverint omnes, tu verò te ipsum non condemnaveris neque ipsa conscientia reprehenderit, beatus es: Sum-

mum:

mum bonum, bona ipsa conscientia est, itaque nemodicum & exile tibi videatur, istud propriæ conscientiæ forum, qui etenim conscientiam suam non timet, is est qui & Deum non timet.

*Sed vista pietate cuncti nunc aurum colunt.*

Cùm tamen iustitiæ circumstantiæ, quæ Arithmeticam servat proportionem, repugnet omne turpe lucrum, fraus varia, expilationes immoderatæ, stipendium iniustum, omne denique lucrum iniquum, quod malè partum malè dilabitur, applicandi sunt Hesiodi versus:

*Non malè lucreris, mala lucra aequalia damnis.*

*Improbi lucris voluptas curta, sed longus dolor.*

*Lata sunt malè parta ad præsens, sed mox perniciem*

*Iniusta lucra opèsque iustus dissipant.*

*Lucrum è malo, lucrum non est, infortunium est.*

Cibilon dicere solebat *Damnum turpi lucro semper præferendum esse: illud enim semel dolere, hoc autem semper: jactura facta sarcini commodè potest, additâ industriâ: fama autem mala ex lucro inhonesto profecta numquam apud bonos viros diluitur: & lucrum scelere partum, damnum est, non lucrum.* Laërt. lib. 1. c. 4.

*Minimum lucrari sæpè lucrum maximum est*

Malum lucrum non divitat, sed pauperat: defectum lucri igitur non fugiamus tanquam malum, neque item persequamur divitias ut bonum, incautos enim perdunt.

Nihilominus ut supra dictum est, quod dolendum,

*Aurum omnes vista iam pietate colunt.*

*Auro pulsa fides, auro venalia Jura.*

*Aurum lex sequitur, mox sine lege pudor.*

*At tu quidquid erit nihil amplectaris iniquum,*

*Utilius cessans & sine lite manes* Iard.

Et quia superius diximus, aliquando instrui partes, ut etiam contra veritatem respondeant, notandum quod reus (secundùm Doctores) non teneatur veritatem fateri, aut jurare in omni parte litis, maximè in causa criminali, veritatem sedicturum, si iudex illum non interroget juridicè seu juris ordine servato: illam enim

verita-

veritatem aliquis fateri tenetur, quàm ab eo Iudex petest & debet  
requirere secundum ordinem Iuris.

Dicitur autem interrogare reum servato ordine juris.

Primò quando præcessit fama contra reum, sub qua & noto-  
rium continetur.

Secundò cum suppetunt indicia: expressa debent autem hæc fa-  
ma & indicia esse legitimè probata per duos testes omni exceptione  
maiores, contra quos & reus potest excipere & ostendere famam  
à malevolis sparsam, vel errore aliquo natam; quinimò secun-  
dum aliquos hæc indicia debent esse talia ut etiam sufficerent ad  
torturam. *Covarr. & alii DD.*

Tertiò cum habetur probatio semiplena per unum testem jura-  
tum omni exceptione majorem, quæ non sufficit ad interrogan-  
dum Iuridicè, nisi sit conjuncta persona cum formali accusatione,  
vel cum eo, quod vicem accusatoris supplet, ut sunt *Notorium delicti*;  
*fama de auctore*, & *denuntiatio Iuridica*; quia Iudex ex se ju-  
dicium inchoare non potest, sed aliquo horum modorum ad id  
debet provocari. Itaque si nihil horum præcessit, non potest  
Reum obligare in conscientia ad respondendum. Ut enim Reo  
possit imponi obligatio à Iudice ad fatendum crimen, requiritur,  
ut jam aliquo horum modorum deductum sit ad notitiam publi-  
cam, ita ut reo non suppetat probabilis ratio celandi, seque defen-  
dendi. Quamdiu enim delictum est ita occultum vel incertum,  
ut ipse possit se probabiliter tueri, & depellere obiecta: contra  
omnem rationem, atque ad eò contra Ius naturæ est, ut ipsi impo-  
natur obligatio in foro conscientiz, ad illud in suam perniciem  
pendendum. Nam tale præceptum est nimis durum, & minus  
consentaneum conditioni hominum, cum nemo vel nisi paucissi-  
mi illud sint servaturi. Etenim nemo spoliandus est armis, quibus  
videtur iustè se suaque tueri: secus est, *Quando interrogatio non  
tendit ad pœnam, sed ad impedimentum peccati.* Præterea in primo  
casu Reus non tenetur crimen fateri, etiam quando dubitat u-  
trum Iudex Iuridicè interroget. Proinde tenetur aperire Reo  
statum causæ, probationes, indicia, testes, ut videat, & quæ velit  
excipere



excipere, opponere possit. Imò & quorundam sententia est, quòd & dum Iuridicè est processum, & Reo constet, neque tunc adhuc teneri fateri, si pœnâ temporali plectendus sit: secus si spirituali. Neque improbable esse, Reum non peccare mortiferè, negando crimen, præsertim in causa capitali, quamdiu est spes evadendi, etiamsi Iuridicè interrogetur, ut refert Lessius diversos citans DD. *de Iustitia & Jure lib. 2. c. 3. dub. 3.* ad quem Lector remittitur.

## C A P U T V.

*Lites per Advocatos abbrevianda, & ab omni ver-  
bositate, inutili cavillatione ac prolixitate  
cavere debent.*

**L**icèt consilia non sint præcipitanda, quia qui nimis citò facit, ad pœnitentiam properat, *Et qui festinus est pedibus, offendit.* Proverb. 19. Attamen cùm *Juris civilis* scopus atque etiam *Pontificii* sit, & litium argumenta accisa, & tempora earundem circumcisa esse; Advocatorum est circumscriptius & concisius etiam eas tractare, ac perurgia forensia, quæ sunt commenta detrectantium legitimam disceptandi rationem, intercludere, & rimas hujusmodi fugitivorum obstruere. Nam qui fide bonâ litigat, & ad extremum litis actum scopum suum dirigit, sibi semper & adversario & Iudicibus instat. Qui autem catastrophem timet, è lite lites ferit, & in eadem lite diverticula multa quærit, liticularum argumentum extrahens quàm potest largissimè diem ex die dicit, nihil quærit, nisi seriem dilationum necere, prolatare, frustrari, Iudificari, causas moræ alias atque alias comminisci, ludibriis aliis super alia excogitatis litis curriculum morari.

Quidam etiam obturpatores *Causidici* negotium exhibent curiæ crebris interfationibus obstrepentes, ac ut declinatores in argu-  
mento.

mento focci Tragoediam excitando , vendibiliores sese facere existimant. Iurisdictionem subducunt, & in causis agendis longius excurrunt, alius repetunt, quam res ipsa exposcat: materiam in erraticam abducere narrationem conantur. atque in causa Comica & Plumbede fabula movere Tragoediam ineptiunt, causam placidi argumenti aut Trioboli grandiactione vehementique agunt & in ea parte causae defendenda, quae recte & plane defendi non potest, diu immorantur, cum tamen praestaret paucis tantum verbis attingere, neque haerere in eo, sed quasi neglectim praeterire, ut ad rem parum pertinens; diu enim attrahendo ulcus, cum majore dolore exulceratur.

Sunt etiam qui imminentem summæ rei offensionem procrastinare volentes, si quid spei melioris affullerit, interim expectantes, ut litis decidendæ laxamentum occasionemque captantes, atque acris & perurgentis persecutionis mucronem umbone procrastinationis excipiunt, donec Actoris impetus reflaccescat.

Nonnulli, ut *Erinaceus*, animal aculeosum, quoddam partum suum in alium atque alium diem reiicit, ægriore indies pariendi conditione; sic illi cum incremento damni non obscuro, in ipsius damni dilatione animo indulgent. *Bud.* Prorogationes superfluas nituntur obtinere ad hoc tantum, ut fugiant sententiam, vel magis prolongent litigium ac plus lucrentur.

Sed istis forte accidet, quod contigit cuidam Advocato, de quo legitur; quod veniens ad mortem, clamabat, *Inducias, inducias; prorogetur, prorogetur;* & quia in causis superfluas inducias postulaverat, sibi necessarias obtinere non potuit, *Et sic mortuus est, & ad inferna descendit.* *Bustus* serm. 29. p. 2. L. B.

Sunt & qui dum rectam viam progredi vel pedem conferre timent, transverso tramite occurrant ac per posticum, ulcusque causam jam longo intervallo obductum objiciunt, atque causam sideratam & seminecem fomento codicillari impetratoque diplomate resovent, & ad propugnacula calumniosarum litium, appellationes scilicet & restitutiones, confugiunt. Perperam, inique & inicitè iudicatum esse, & meritò provocatum sustinent, impendunt

diæque litis postulant, & quanti illorum est æstimari: forensem usuram facientes indices graviores, temerarii & dolosi practici, ut ita qualibet de causa timore appellantis lites extrahant; gliscit enim indices damnum, & quasi scœnus pro usura temporis.

Et dum in uno foro victi sunt, provocant ad aliud. Quæ provocationum gradatio & scœnalis jurisdictionis ratio, morandi iudicii potius quàm auxilii causâ fit, & calumniarum sæpè est alimētum, & palæstra quædam, ut sic dicam, inficiatorum hominum ac improborum. Si quidem huiusmodi non antè herbam forensem nec manus dare volunt victoribus, quotiescumque victi sint, nisi ad ultimam & summam dimicationem ventum sit, ut improbitatis ipsam vlttricem & calumniæ, sic victoriam victoribus sepe numero Cadmæam perituram, quippe quibus interim tot manus involatrices pragmaticorum periclitandæ sunt, tot exantlandæ ærumnæ certaminum forensium. Numquid sanè dura est eorum conditio quibus cum foro negotium est, animali voracissimo talibusque Consiliariis? *Ex Bud. foren.*

Sunt etiam qui scriptitando *Animographi* vel *Foliographi* videntur potius quàm causarum disceptatores, qui ea, quæ tribus foliis aut articulis comprehendi poterant, ad triginta prolongant, chartam replentes ordinariis præfatiunculis; & ubi fundamento aliquo Iuris causam deberent fundare, *notorii* dicunt esse *Juris* aut aliquod contritum *Broccardum* adferunt, aut instructivè se id facturos asserunt, ubi ne quidem unum §. ostendere possent, qui de notorio isto Iure faceret mentionem, & in Instructione nihil proferre solent nisi longam seriem repetitionis omnium, quæ antè scripta fuerunt. Quæ repetitionum folia iterum ad maius pretiũ apud illos solvi petunt, atque ita & scripta adversæ partis suis inferentes, folia sua pluribus verborum circumscriptionibus, ac repetitionibus partes fatigant & Iudicum oculos deterrent ac longis Iliadibus, lecturæque non instruunt, sed obruunt & confundunt.

Cùm tamen quædam causæ sint, quarum prima & brevi actione omnia Iura exhauriri possent, si *Advocatum* nactæ essent causæ magis studentem, temporisque compedio, qui labores perfert, pericu-

periculis adest, neque occasionem ullam rei bene gerendæ prætermittit, non autem sit facundia & multorum articulorum ostentator. Cuiusmodi quidem Causidici innumera legum capita, responsorum Juris vim magnam ciere tinnula disputatione solent, Pindarificant, Iurisque Interpretum multiplicem nomenclaturam fundendo (quod genus *Titivilitio*, verbo est Plautino) instrumenti phalange, ac incondito agmine, compage instrumentorum malè coagmentatâ, nulloque ordine digestâ, Iliades Commentariorum multiplicium inculcando conterunt tempus & chartam, & causam & Iudicem turbant & onerant. Nam cum actor actionem suam 30. proponit articulis, Reus singulis respondet, & vicissim defensioales exhibet, addendo & alios 30. Actor replicando 60. Rei articulis tot iterum adiungeret, quibus Reus iterum tot duplicando accumulatur. atque ita intricatum fit negotium, ex quo se Iudex extricare non potest, quia illud unum, in quo tota consistit controversia, & quo resoluta tota lis dirigitur, hoc est, statum causæ, non potest videre. Proinde incerta ista qui conantur ratione certa facere, nihilo plus agunt, quam si dent operam, ut cum ratione insaniant. *Vigel. in præfat. partis 6.*

Habet autem prolixitas talis etiam aliquando ostentationem aliquam ingenii, eloquentiæ, aut memoriæ, quæ etiam declinandam, dum molesta est Iudicibus & Lectoribus, maximè qui variis rebus districti distenti que tenentur: hac enim qui gaudent, seipso loquendo & scribendo (seposito lucro futili) audiendo alios defatigant, raroque solidi quid afferunt. *Quemadmodum enim vasa vacua plurimum sonant, ita qui minus docti ac sapientes sunt, verba multiplicent.* Eccles. 10. Et sicut ligna tenuia & sicca multam quidem flammam edunt, sed parum durant; sic gloriosi & loquaces possunt apud indoctos gloriam aliquam sibi conquirere, sed nequeunt illam diu retinere.

Et licet talis constituendus sit Iudex, qui affectuum, & cavillationum fallacia non modò non ducendus sit ad veritatem, sed ab ea ne defecti quidem eo modo possit. inter disceptantes enim & auctoritate & prudentia eminere Iudicem oportet. non tamen

per-

permittendum in ullo causæ articulo Advocatis est, in suam sententiam affectibus vel errore injecto pertrahere Iudicem: imprimis enim præsumit partes Iudicis, qui suam causam tanquam controversia solutâ etiam illicita via ad victoriam audet promovere: deinde Iudicis æstimationi derogat, tanquam non sua sponte & officii religione, secundum veritatem pronuntiaturi, sed ad id impellendæ affectibus, vel inducendi errore: quasi volens nec sciens rectè iudicaturus sit. *In hoc etenim eloquentiæ est vis, ut Iudicem non ad id tantum compellat, in quod ipse à rei natura duceretur: sed aut qui non est, aut maiorem quàm est, faciat effectum:* niti enim ad commovendum in affectus Iudicem, id perinde est ac si quis regulam, qua quid examinandum est, prius inflectat: Tale autem dicendi artificium procul à Iudiciis arcendum est, multatandique huiusmodi persuasionis artifices: nam eloquentia quæ Iudiciis magis est contraria quàm Iurisprudentiæ, victoriam spectat; Iurisprudentiæ verò Iustitiam: illa movere vult, hæc docere: illa in malis potissimum causis campum se idoneum nactam putat, qua vim suam experiatur; hæc Iustitiæ amica & foederata, nullum cum injustis causis commercium habet. Orator ingenio indulget, Iurisconsultus legum vestigiis insistit: ille inquirere indices se æquitatem simulat; hic inquisitam olim asservat & promit. ille fucis quodam veritatem assimulat; hic in naturam ipsam intuetur, quam sequatur: ille copia argumentorum & varietate gaudet; hic pondere & delectu: ille ex diffidentia vel ignorantia causæ stratagematibus ac cuniculis nititur; hic fiducia virium, id est Iuris, aperto Marte concreditur: unde Chilo, *Optimè se habere Rempub. ait (non tantum Iudicia) quæ maximè legibus, minimè oratoribus auscultaret.* Plutarch. in conviv. Tuld. c. 3. lib. 4. de corrup. Iud.

*Venerunt ad Cleomenem, Samiorum oratores, hortaturi ut cum Polycrate Tyranno bellum susciperet. Id cum fecissent oratione plus æquo proluxâ. Respondit in hunc modum: Quæ primo loco dixistis, non memini: media quidem neglexi: quæ verò dixistis omnium postrema, non probo.* Admonet, multiloquium non solum molestum esse auditori, verum ad persuadendum inutile. *Plut. in Laco. Apoph.*

Dum

Dum quidam in concione ad Phocionem diceret. *Videris esse cogitabundus*, ô Phocion? rectè, inquit, conjectas: *Cogito enim si quid queam detrabere his, qua dicturus sum apud Athenienses.* Alii solliciti sunt, ut quàm plurima dicant, quò videantur disertì: illi diversa erat cura, nimirum, ut quæ ad rem faciebant verbis quàm paucissimis complecteretur, sciens sententiosam breviloquentiam omnibus magis gratam esse. *Eras. Apoph.*

*Laborus* cuidam apud ipsum prolixiore utenti sermone, *Quid mihi*, inquit, *de re pusillâ longa textis proœmia? Quanta res est, tantam oportet & orationem esse, quâ uteris.* Est hoc omnibus Spartanis peculiare, offendi sermone, causa quam postulat longiore.

Si & illud apud nos in usu foret, marsupia essent magis jejuna, quia folia computantur & verba. Vnde & tempus, quod studio & legum inquirendo textu, constitutionumque, & exemplorum auctoritatibus impendere deberent, abstrahent, quia facilius & minori tempore inanibus verbis chartam implere possent, quæ tanti ipsis valebit, quàm si foret instructa Iuris Canonumque Commentariis.

Quinimò aliqui practici non considerant, quod dum causam acceptant, examinare non tantum debeant, an sit utilis & proficua, sed etiam an habeant facultatem & capacitatem dirigendi, omnibusque debite vacare possint.

In omnibus enim negotiis prius quàm aggrediare vel acceptes, adhibenda est discretio, nec temerè despiciere propter ignaviam, aut minus confidere propter cupiditatem. Nam in proverbio dicitur, *Qui nimis cupit, parum stringit: &*

*Qui plus posse putat sua quàm natura ministrat.*

*Posse suum superans se minus esse potest.*

Et tum sæpè fit, ut partes longis processibus committant, & longis procrastinationibus causas producant, quia omnibus debito & ferviente termino satisfacere non possunt; aut si satisfacere videantur, perfunctoriè & velo levato, congerunt quædam foliola verbis plena, & substantiæ planè vacua, litigiaque in tantum differunt, quòd litigantibus plusquam totum auferant; quia major est

est expensarum sumptus, quàm sententiæ fructus, nec terminantur negotia clientum cœpta, quousque marsupia sint evacuata, atque, ut scitè ait Budzus, in causis opimis uberisq̃ue proventus Advocati messim annuam, Cognitores vindemiam, Pragmatici spicilegium & racemationem faciunt: ut nunc omittam honorarium disceptatorum, & quæ ad incerta litium seponenda sunt, & dominus ipsis causarum spes tantùm reliqua est in jejuniis & exunctis patrimoniorum titulis, eaq̃ue ambigua & in eventum suspensa certaminis nonnihil temerarii casus habentis. *Longa quippe & dilata litigantium questio non tam auget patrimonia quàm devertit.*

Tales etiam Practici quidam quamvis sint planè longi & prolixissimi, paucis se sua dicere vel scribere jactitant; & reverà nec paucis nec multis aliquid dicunt vel scribunt, sed nihil.

Ac tum accidit *Ut in causis multa dicantur, de paucis iudicetur*: verius ergo Iureconsultus in augendis causis illustrem breviter cum summa gravitate conjunctam exhibere debet: huic enim brevitatis familiarissima est quem Iuris auctoritas in ipsa causæ penetralia rectà deducit: hic enim quia certa ietus destinatione jugulum causæ ferire caller, non multa spargit tela: non enim id agit ut varietas locum fortunæ faciat, is qui arte nititur & Iudicio: quanto equidem plura disputatur, tanto obscuratur causa, non illustratur: impeditur intentio Iudicis, non adjuvatur. verissimè de hac re Divus Bernardus: *Nihil absq̃ue labore manifestam facit veritatem, ut brevis & pura narratio*: namq̃ue, inquit ad Pontificem Eugenium lib. 1. c. 9. *Miror quemadmodum religiosa aures tua audire sustinent huiusmodi disputationes Advocatorum, & pugnas verborum, quæ magis ad subversionem, quàm ad inventionem proficiunt veritatis: Corrige pravum morem, & præcide linguas vaniloquas, & labia dolosa claudere*, Nec alia mente Vlpianus lib. 9. §. 2 ff. de off. Procons. *Circa Advocatos patientem esse proconsulem oportet; sed cum ingenio, ne contemptibilis videatur: nec aded dissimulare si quis causarum concinnavores vel redemptores deprehendas.* Non ergo gravari quidem proconsul debet audire benignè quæcumque ad causæ explicationem

nem

nem pertinebunt, sed facilitatem suam quadam prudentiæ aeri-  
monia & auctoritate misceat, oportet; ne in contemptum incidat,  
& ne inter illos tanquam inter simias a finus confideat & contices-  
cat: interlocutionis suæ severitatem distringet, in eos quos litium  
concinnatores deprehenderit; sic eleganter appellat eos, qui cau-  
sas improbas quæ sitis coloribus & cavillationibus subornant ad  
speciem veritatis ut concinere ei & congruere videantur: *L. ult.  
ff. de procur.*

Tollendum & vitium hisce vicinum, quo disputationum foren-  
sium plura in una lite volumina progignuntur; quia non ad sta-  
tum causæ tanquam ad scopum, argumentorum tela diriguntur;  
sed fortuito ea asperguntur, non concisè sed confusè narrantur  
omnia, & pariter deinde argumentis diripiuntur: in infinitos ar-  
ticulos vel particulas potiùs facti species discerpitur, & cavillatio-  
nes deinde circa singulas non tantùm causæ minutias, sed argutias  
quoque adversarii, quas nihil in summam rei conferre, non vident,  
qui causæ statum in oculis non habent. unde hodie experimur in  
Advocatis quod Fabius scripsit, *Indocti dicunt omnia; doctis est mo-  
dus & electio*: neque enim si quis multa dixerit, admiratione dig-  
nus est, sed potiùs qui pauca pronuntiavit, si fuerint utilia. *Aliud  
est loqui multa, aliud id loqui quod expedit.* & sicut in sagitta mitten-  
da, non minus aberrat qui citra scopum, quàm qui ultra jaculatur;  
sic in scribendo aut dicendo, quisquis pauciora quàm pro re, aut  
plura dicit quàm scribit. *Plurimi cum nesciunt loqui, & tacere nesci-  
unt*: bona causa verbis pluribus non indiget, vel verba causæ tria  
sufficiunt bonæ.

Iurisconsulto loquaci dicebat quidam, *Non oportere multis ver-  
bis pauca dicere, sed paucis multa.*

Sicut enim in vite quidquid per amputationem adimitur mate-  
riæ, id fructibus additur, ita quò minus est verborum, hoc gravio-  
res sunt sententiæ. Et

*Verba nimia molesta sunt ubique*

*Isocrates* cuidam locutuleio quærenti, cur duplicem mercedem  
ab eo oratoris artis studioso postularet; respondit: *Alteram peto*



ut loqui, alteram verè ut tacere discas, alium multa garricentem Zenociticus hoc dicto corripuit, Ob id binas habemus aures & os unicum, ut plura audiamus, loquamur autem paucissima.

*Optimi homines in dicendo brevissimi sunt.*

Plato cùm An̄thistenes aliquando in Diatriba longam orationem habuisset; Ignoras, inquit, quod dicendi modus, non penes loquentem, sed audientem est.

Tilia cùm habeat radicem & folia dulcia, tamen fructum ejus nullum animal attingit: ita quorundam dicta & scripta blanda, grataque & composita, sententiarum & rei nullum habet fructum: est quippe in homine pravo eloquentia venenum in poculo aureo, & quò magis oratio ad splendorem & ornatum accedit, eo à veritate recedit longius: habet etenim loquacitas & longa scriptura hoc etiam malum, quòd sicut

*Sermonis proprius finis est, ut fidem faciant audientibus, nemo autem fidem habet loquacibus.*

Et

*Ne quidem si vera dicant, creditur loquacibus.*

Sæpè etenim qui multa loquuntur, aut falsa aut superflua loquuntur, aut utraque: quæ omnia à viri dignitate, & à Jurisc. professione alienissima esse debent, ac delectandi lenocinium à serio Advocati opere removendum: nec in orationis scripturæque illecebra, sed in juris veritatisque auctoritate vim persuasionis collocare debet: aptissimè Justinianus: *In refutatoris autem libellis caveant tam litigatores quàm Libellorum dictatores verbosi uti adsertionibus, & ea quæ iam perorata sunt, iterum resuscitate; sed hæc sola inscribere quæ compendiosa narratione causas provocationis possunt explanare, vel aliquid novi continēt, vel addunt quod derelictum est. scituri quod si hoc fuerat prætermissum, non deest adversus libellorum conditores Amplissimi Judicii competens indignatio.* L. ult. S. 1. C. de Appell. Tuld. lib. 4. c. 9.

Ut corpore tenues, veste se dilatant: sic qui ingenii aut sapientia inopes, diffundunt se in verbis. *Veritas multis verbis non eget, & rectius memineris quæ paucis verbis comprehensa sunt: periclitatur in multi-*

*multiloquio veritas; rarissime idem & verbis & factis valet.*

Vult etiam idem Imp. Iustinianus, ut nemo ex industria protrahat iurgium: si lucro pecuniaque capiantur, veluti abiecti atque degeneres inter vilissimos numerabuntur. L. quisquis C. de postul.

Et quod pessimum est, Dum lucrum est in arca, damnnum est in conscientia: & quid prodest homini, si unversum mundum lucretur, anima verò detrimentum patiatur? Innoc. de cond. hum.

Quid prodest te hodie auro & purpurâ contegi (jugera multa, domos amplas conquirere) si cras contingat te nudum & reum ad Inferni supplicia pertrahi? Quid juvat si hodie terram facis sub pedibus tuis tremere, & cras mendicus & pauper de hoc mundo compellaris exire? S. P. Dam. lib. 7. ep. 15.

*Nummorum aucupium, docti legumque tyranni*

*Ære patrocinium vendunt; producere causas,*

*Et lites pendere diu vindemia quædam est.* Bapt. Mantuan.

Ad illos, qui causas plures acceptant quàm debitè defendere possint.

*Elige de numero quemvis, securus illi*

*Tu bene quod nequeas ferre, succumbet onus.*

*Sic erit, inducat nullam ut mora noxia culpam,*

*Quæ iubeat damni te simul esse reum.*

*Nam tua si culpa est, qua sunt dispendia, debes;*

*Stringeris admissi religionis tui.*

*Nec satis est, tutas deponere crimen ad aures,*

*Alterâ vincla cadunt, alterâ vincla manent.*

*Ista tuas semper mordebit cura medullas,*

*Ach talem ne te funeris hora premat,*

*Ach ne Tartareus teneat post funera carcer*

*Crimen ubi aternus debitor igne luas.* Iardinus.

*Melius est pauca agere cautè, quàm multis interesse periculosè.*

Nec desunt qui gloriantur in numero partium & processuum quibus inserviunt, tanquam rem magnam præstent, & mirabiles haberi debeant, insatiabiles & semper victuri, nullique requiran-

tur præter ipsos: sed recordari deberent, quod sicut in sorte legio vel sortitione, vulgò *Lotterye*, quædam chartæ reponuntur, præmia continentes, paucæ tamen, sed longè plures vacuæ & *nihil* habentes, vulgò *pieten*: ita timendum esse quod quando Supremus Iudex veniet visitare tantum causarum & chartarum numerum, multas extracturus sit, continentes nihil diligentia, nihil studii, nihil Iustitiæ habentes, sed multum negligentia, multum fraudis & corruptelæ: Paucas verò præmium merentes, ut quibus excessu salarii plusquam per terrenam mercedem satisfactum sit: Ecce quàm periculosa futura sit multitudo ista causarum, & quàm parum profutura ad cœlestem mercedem, quæ omni terrenæ possessioni, hoc paucò tempore dumtaxat duraturæ longè præponenda venit: quam temporis brevitatem (etiamsi extravagari non nihil videar) pulchris & paucis verbis insinuat Angelus Domini *Asdra legum peritissimo*, dum ait: *Mensura mihi flatum ventis*: innuens vitæ brevem mensuram, diesque venti instar in auras abire, ac velut inanem quendam fumum evanescere: unde qui temporalem istum causarum cumulum summa cum aviditate & gloria desiderant, desuperque gloriantur, quid complectuntur, nisi umbras & ventos stringunt: hæc enim quæ videntur sæculi bona & gloriæ, manibus eorum tanquam ventus & umbra effugiunt & labuntur, ipsisque inscribetur.

*Ecce sumus pulvis, sumus ecce miserrima tellus*

*Et hostri fugiunt, ut levis aura, dies.*

*Humana cuncta fumus, umbra, vanitas & scenæ imago; & verbo ut absolvam, NIHIL.* Lipsius.

Concludo cum Eccl. c. ii. dicente, *Fili mi, ne in multis sint actus tui, & si dives fueris, non eris immunis à delicto.*

CAPUT VI.

*Omnis Causidicus & Iustitia Administrator justus sit,  
& non nisi justa agens & defendens.*

**C**urriculi causæ diverticula consecrari, & per avia longius exspatiari *Practici* solent, litis aleam detrectantes, qui forense bellum habere magis quàm iustè gerere instituunt, & litem ducere, non decernere. Vniversi etenim certaminis offensionem is metuit, qui causæ inferioris est conscius, & non Iuris fiduciâ, non æquitate, non bonâ fide nititur; sed contentione forensi, sed ambitu, sed coitione Iudiciali, aut occupandâ quovis pacto gratiâ ad victoriam grassatur; ac sæpè obductam causæ cicatricem refricare conatur, litem è lite serere, quæ Arresto Curix finita est, aut non litis ulcus personare, sed veluti crusta obducere perfunctoriâ aut luculentâ cicatrice velle videtur. Nonnumquam etiam lites longo eremodicio contritas, & oblivione temporis sepultas, exsuscitant, ac jam diu causam jacentem & vetustam controversiam interpolare tentant, contra ignorantes hæredes, & quandoque unâ aut alterâ altercatione libatam rursus deserunt & consulescunt, aut jam inclinatam causam & ruenti similem meditatis testibus, quibus rostrum perantè concinnè exacutum est, aut quarundam novarum rerum molimine quærunt fulcire, diffundentes dies & terminos, nec umquam rectè aut ordinatè procedentes. Qui enim injustæ causæ sibi conscii sunt, non statim Iudicium quasi mane ingressi velificare solent, sed diu remigrare, in proclusionibusque immorari & præscriptionibus moratoriiis, litemque trahentibus. Contrâ verò, qui Iuris certi fiduciâ nituntur, statim vela pandere litis, in altum progredi cupiunt, & causam adversarii fugacis faucibus premere student, ac obtorto collo ad conferendum pedem trahunt,

trahunt, conterendo omnia dilationum & tergiversationum commenta; ita ut palam & viâ Regiâ vel dimicet vel manus det necesse sit, vel ære modico damnetur.

Causis etiam iniquis quandoque colores dari solent, quæ mediæ defensionum vulgò vocantur, præsertim cum causa parum speciosa primore specie, exquisita ratione & prætextu tamen probabiliter defenditur. Sed ne illud quidem ignorare oportet, *Quædam esse, quæ colorem non recipiunt, sed nec defendenda sunt.*

Sunt & *Advocati*, qui sine delectu causarum cuilibet, sive iusta sive iniusta sit, adhiñiunt, gaudent, & fautores se exhibent, ubicumque odorem lucri sentiunt: ad instar *equi admissarii*, qui scilicet admittitur & dimittitur ad equas, hinnit non amore sessoris (hinnit enim sub omni sessore, etiam invito & invito) sed amore equæ, quam videt & ambit. unde Eccles. c. 33. *Equus emissarius, sic & amicus subsannator sub omni supra sedente hinnit.* Lapide d. loco.

Iustus *Advocatus* à nullo injustas causas accipit, nec verba dare pro iustitia consuevit. *S. Gregor.*

Isti *Advocato* vel *Consiliario*, ait *S. Ambros.* *Lib. 2. de off. salute* rem vel causam benè committimus, qui est iustus & prudens. facit enim *Iustitia*, ut nullus sit fraudis metus; facit *Prudentia*, ut erroris nulla sit suspicio. Tutius tamen viro iusto quàm prudenti nos committimus, quia consilium viri iusti frequenter sapientissimi præponderat. Advertimus enim, quòd in consiliis querendis plurimum adjungat vitæ probitas & virtutum prærogativa. Quis namque in cæno fontem requirat? quis ex turbida aqua potum petat? Itaque ubi iniustitia, ubi intemperantia, ubi vitiorum confusio, quid inde sibi aliquis hauriendum existimet? quis utilem causæ suæ iudicet, quem videt inutilem vitæ propriæ? Quomodo potest indicare consilio superiorem, quem videt inferiorem moribus? aut quomodo idoneum eum putabo, qui mihi dat consilium, quod non dat sibi; & mihi vacare credam, qui sibi non vacat?

Certè eam requirit in *Advocato* hæc professio animi fortitudinem,

aem, ut nec metu, nec nimis, nec prece, nec precio, justz causz defensionem detrectet, vel injusti patrocinium suscipiat; firmiterque credere debet non defutura sibi præmia, quæ Christo teste manent eos qui persecutionem patiuntur propter Iustitiam. *Bovvri. in Advocato c. 12.*

*Papinianus* Iuriconsultorum excellentissimus, *Juris asylum ac doctrina legalis thesaurus*, in supremo dignitatum culmine viridi adhuc ætate constitutus, ut qui Præfectus Prætorio in trigésimo suæ ætatis anno secundum à Principe locum obtinuerit, tantz apud populum auctoritatis fuit, ut nequitiam Principis facilè posset emendare, & suspectum Imperatorem populo conciliare: maluit interfici se permittere, quàm ut parricidium Principis Antonini Caracallæ defenderet aut excusaret, dicens, *Facilius id patrarì quàm defendi posse*. Dignus profectò, qui Ius diceret & profiteretur, cum tanta constantia, magnitudineque animi, ut ne quidem metu mortis adductus sit, ut contra justitiam faceret. Non ita *Baldus*, qui propter potentiam & metum Principis non audet contra illum consulere, (*Conf. 248. 267. vol. 1. & conf. 275. vol. 5.*) & timidè dicit se revocare suum consilium tamquam à non intelligente scriptum, si illud esset offensurum aures Regis. *Conf. 217. vol. 3.* Et timendum, quod hodie plures reperiantur imitatores *Baldi* quàm *Papiniani*.

Qui autem scienter defendit causam injustam tenetur ad restitutionem illi, qui amisit, & clienti suo, quoniam eum decepit, dans ei intelligere quod haberet justam causam, qui aliter non litigasset. Si autem à principio putavit causam justam, & hic error non provenerit ex culpa sua, sed ex mala clientuli informatione, vel ex qualitate negotii detegatur; tunc tenetur eam dimittere, postquam cognoverit iniustam. *L. rem non. novam S. Patroni C. de Judic.*

Proinde antequam causam in Iudicium deducant Advocati, omnem operam dabunt, ut quatenus fieri possit animos partium ad lites propendentes ad pacem & concordiam inflectant, multiplicibus litis incommodis ob oculos positis, scilicet negotiosam rem

rem esse litigare & non raro suscepta lite periclitari amicitiam & mutuam dilectionem tantopore Christianis commendatam, temporis quàm plurimum perire, facultates atteri, & quod omnium maximum est, animi tranquillitatem, cunctis rebus præferendam, perturbari; ut etiam Vlpianus. *L. 4. ff. de Absent. Verecundam cogitationem eius qui lites execratur, non esse vituperandam*, asserat. quibus absque incommodis ac molestiis dubioque litis eventu enarratis atque propositis si consultor deterritus à lite abstinerit, & ad transactionem aut amicabilem propositionem animum converterit, benè se res habet, & fecit Advocatus quod debuit: eo ipso declarans se non proprium commodum, sed consultoris utilitatem solam respicere. Quòd si verò spretis omnibus prædictis consultor omnino sibi litigandum arbitretur, proxima cura erit Advocati, ut causæ propositæ merita diligenter excutiat: & si Iustam perspexerit, suo patrocínio defendendam suscipiat, si verò injustam aut legitimis probationibus destitutam intellexerit, omnibus modis ab ea intentanda dehortabitur, propositis animæ periculis, cujus iacturam facturus sit, si in malitiâ perseverans proximo molestiam creaverit sine causa: imò si consultor adhuc instet & urgeat, debet patrocínio denegare, ne peccati contagione inquinetur: quod futurum est, si eum falsa victoriæ spe lactatum in litem præcipitaverit, magnis incommodis sumptibusque obnoxiam; non ignarus quod si superior evaserit, parti adversæ ad restitutionem damni; sin succubuerit, clienti quoque suo omnia quæ injusta lis abstulit resarcire teneatur.

Cavebit etiam Advocatus ne Iudicis animum fictis coloribus falsisque allegationibus, & abrogatis legibus in suam trahat sententiam: quod qui faciunt & conscientiam perjurio vulnerant, & honori pessimè consulunt, Iustitiam & Iudicem supplantantes, & proximo quod suum est injusta sententia auferentes: licet enim manibus rem alienam non contrectent, invito Domino, faciunt tamen ut proximo quod suum est auferatur sub Iuris etiam Iustitiæque pretextu. Neque etiam Advocatus consilium dabit clientibus ut iudicis animum integritatemque donis muneribusque expurg-

expugnent atque pervertant ut victoriam consequantur: quorum quanta sit vis in ista impietate patranda abundè sacræ litteræ doceant, *Excæcant enim muneribus oculos sapientum & mutant verba iustorum. Deut. 16.* Quam improbitatem leges civiles usque ad eadè detestantur ut litigatorem istius criminis convictum amissione totius causæ mulctandum decernant ( *L. ut puta. §. sed etsi dedi. ff. de condit. ob turp. caus.* ) facit enim impio isto consilio ut cliens injustam causam obtinens, parti adversæ quod suum est sub velamine Iustitiæ auferat: quo casu in conscientia consulere tenetur clienti victori ut adversario restituat quod injusta sententia ademit, quinimò & ipse ad salarii, quod pro patrocinio turpissimo solutum est, restitutionem tenetur, cum sit lucrum longè iniquissimum *ita Bonricius in Advocat. c. 6. & 11.* ) unde rectissimè Romanorum leges ( *L. 14. §. 1. C. de Iud.* ) ad nullius causæ actionem admittunt Advocatum, nisi iniquam ejuraverit calumpniam, & religione Iustitiæ fidemque obstrinxerit: continet autem hoc Iusiurandum, *Quod omni quidem virtute sua omnique ope quod verum & iustum existimaverint, clientibus suis inferre procurabunt; non autem credita sibi causa, cognito quod improba sit, vel penitus desperata & ex mendacibus allegationibus composita, ipsi scientes prudentesque mala conscientia liti patrocinabuntur, sed etsi certamine procedente aliquid tale sibi cognitum fuerit à causa recedent ab huiusmodi communionem sese penitus separantes: hocque subsecuro inquit Imp. nulla licentia concedetur spreto litigatori ad alterius Advocati patrocinium convolare, ne melioribus contemptis, improba advocatio surrogetur.*

*Sed quis, ait S. August. Epist. 36. tandem Advocatus reperitur, qui dicat suscepto suo, Recipe quod mihi, dum malè adessem, dedisti, & redde adversario quod ei me iniquè agente abstulisti.*

O utinam recordarentur, & aureis litteris affigerent in cubiculis omnes Iustitiæ ministri sapientissimum *S. Hedewigis* dictum. Nam *Vladislaus* Poloniæ Rex cum suavis uxoris suæ *S. Hedewigis*, bona injustè ablata restituisset, dixit Regina: *Pignora quidem reddidimus, ceterùm lachrymas eorum quis reddet?*

Lachrymas viduarum pupillorum & innocentium clientum quis reddet?



*Raphaël Fulgosius*, insignis Iuris Interpretes, & maximi nominis I. C. cùm juvenis esset, à consultore partem litis evictæ salarii nomine acceperat, ceterùm ætate maturior cùm in *L. sumptus ff. de pactis* incidisset, quo loco Advocatis de quota litis pacisci interdicatur, quæcumque acceperat cum scenore restituit.

An multi ipsum sequantur, novit Omnipotens. Quinimò, quod peius est, partes, quæ primâ facie justæ visæ fuerunt, dum maturiore adhibitâ consideratione injustæ apparuerint, nihilominus aliqui, vel superbâ obstinatione protervientes, vel avaritiz laqueo alligati, præsumunt falsitatem animo obdurato defendere; quando infernalis hostis versutiâ suâ pudorem ante oculos proponit, quo ab opinione decedere constanter detrectant, meruentes sibi ab inani potiùs hominum, quàm à summi Dei iudicio.

Aliqui etiam sunt naturâ controversi, in quibus itidem rebellat pertinacis calumniæ virium ad causas exanimatas, novis opinionibus exfuscitandas, & recoquendas prompti & intricati, ut etiam si ingeratur pertinacia, ament magis & tueantur potiùs errorem, ut in malis ereptis honestior illis sit pertinacia quàm pœnitentia. *Seneca lib. 1. de ira*. Malunt enim errare, & semel conceptam animo opinionem pertinacissimè defendere, quàm fateri se errasse, & alteri vera dicenti cedere, neque consilium datum mutare.

Baldus scribit, quòd consulentes non debeat pudere, mutare consilium seu opinionem, visis melioribus rationibus. *Consf. 447. vol. 4. consf. 477. vol. 5. consf. 417. vol. 4. & vol. 3. parte 2. consf. 277.* Idem se excusat de mutato consilio, propter mutationem facti propositi. *Consf. 304. vol. 1. & Paulus Castren. propter Doctorum opiniones discordantes consulit partibus, ut super lite concordent. Consf. 18. vol. 1.*

S. Paulus ad Romanos 12. docet. *Nolite esse prudentes apud vosmetipsos.* id est non tantam confidentiam habeatis in ingenio vestro, ut magis proprio sensui velitis credere, quàm alieno; quia illud est testamentum S. Bernardi, *Quòd quilibet homo debet magis credere sensui alieno, quàm proprio.*

Sunt præterea qui causas desperatas fovent contra conscientiam,  
& in

& in hoc gloriantur tanquam magis subtiles contra illud, quod scriptum est. N. 4. 3. 5. *qui consentit.* cujus verba ferè hæc sunt. *Qui consentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum & homines, & corripietur increpatione severissimâ. Si quis peccantem defendit, acrius quàm ille qui peccat coërceatur. Item si quis alterius errori consentit, sciat se cum illo simili modo culpabilem iudicandum.* unde & S. Nilus Episcopus & Martyr docet, *Qui malis præstant Patrocinium, non solum scelerum sunt adiutores, sed & peccati communiione inquinantur.*

Galcatus Dux Mediolanensis, cùm aliquoties audivisset, vafro ingenio esse *Causidicum*, qui lites ferere, satas producere atque etiam alere per fas aut nefas in illiquido Iure posset: hominem ad se accersitum affatus, Debeo, inquit, pãstori meo centum aureos, solvere non lubet: tu ecquid tuere me in Iure, & rem protrahere potes? Annuat largiter, & Principi promptè se dedit. Sed inde ei malum: Nam fraudis sic confessum, verbis priùs increpatum, laqueo publicè necari iussit. *Lipsius in morit. & exemplis.*

*Vã vobis, qui dicitis bonum malum, malum bonum, ponentes lucem tenebras & tenebras lucem.* Isaix.

Qui linguã suã, voce, scriptisquẽ injustitiam defendunt, solent etiam nonnumquam mori ut vixerunt, docente textu S. *Lexpe Instit.* quib. non est permiff. fac. testam. his verbis. *Sapẽ & literati ac eruditi homines in fine vita variis casibus & loquendi & audiendi facultatem amittunt.* & addit Glossa ibidem & maxime *impii Advocati, ut in eo puniantur, in quo deliquerunt.*

In tali hora ad mentem illis quandoquẽ venient, ex Dei iudicio, negotia, in quibus libenter occupabantur sanitatis tempore: *Advocatus* infirmus cùm à suis sollicitaretur de confessione, consentire noluit: sed ait, *Ego appello:* erat enim solitus appellare contra justitiam: & sic expiravit vadens ad Iudicem supremum, à quo appellari non potest. *Bust. serm. 29. p. 2.*

Refert magister Odo de Seritone, quòd quidam malus *Advocatus* laboravit in extremis, & cùm offerretur ei S. *Eucharistia*, respondit: Iudicetur primò, an iustum sit, ut eam accipiam: dexe-

runtque adstantes, *Nos hoc iustum fore indicamus: ad quod ille, Vos qui pares estis mihi iudicare non potestis; quia ut lex dicit, Par in parem non habet imperium: & sic exspiravit. Parte 7. speculi Spirit. c. de Advocatis.*

Refert speculum exemplorum de iniquo quodam Decretista, qui cum hiaret, lingua in ore ejus defuncti non est inventa: & linguam perdidit moriens, qui illam sæpè vendiderat vivens. *Lib. II. c. 46.*

*Va qui condunt leges iniquas, & scribentes iniustitiam scripserunt: ut opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent causa humilium populi mei: ut essent vidua præda eorum, & pupillos diriperent. Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longe venientis? ad cuius confugietis auxilium? Isaiaz. 10.*

Malitiosus & abominabilis Imp. Caligula, solebat suas leges in altissimo affigere loco, minutissimo caractere conscriptas, ita ut vix ullus eas legere posset, ac post affixionis tempus crudelissime sævicbat in delinquentes contra illas, quamvis potuissent justam ignorantix causam prætere: non igitur intendebat ut observarentur, sed ut servirent pro laqueo ad capiendam prædam, amendam quærens non justitiam. O utinam hodie non superessent tales Caligulæ, aut eius imitatores!

In summa, omnis, qui aliis per iniustitiam nocet, seipsum lædit maxime, ut patet in *Lycō Genuensi*, qui cum esset scelerator rapacissimus & locupletissimus, peccata alienis precationibus dilui, aut salutem redimi posse, sibi persuasum habebat, si quem dolo aut fraude circumvenisset. Ut autem numerus delictorum constaret, in arca eam ob causam facta calculum nigrum reponebat. Accreverant iam fraudes & calculorum copia. Sub Paschatis festum peccata confitetur, atque ea ex calculorum numero petenda esse confessario suo asserit. Protinus domum redire & calculos excutere iubetur: trepidus accedit, arcam consulit, unicum calculum reperit. Confessario rem indicat: is ergo ut singulari erat prudentia, Multos, inquit, decipere voluisti, multos calculos arca iniecasti: verum dum alios decipere studes, te solum decepisti.

pisti. Tui ergò solius causa, qui deceptus es à diabolo, unicus calculus in arca repertus est. Convertere ergò, & pœnitentiam age, ne dum alios dolo circumvenis, à diabolo circumventus æterna morte damneris. Si mali Iuridici iniustorum patrocinatorum, per-versi Consiliarii pravorum consiliorum, Iudices iniqui corruptarum sententiarum, calculos examinarent; timendum est quod unicum tantùm reperissent, quo seiplos deceperunt: neminem enim nisi à seipso lœdi posse voluit Plato. *ex Theatro vita humana.* & nequitia ipsa sui est pœna. *Seneca.* Considerate ergo quàm sitis solliciti, ut alios defendatis, qua diligentia utamini ut sciatis, res-pondere rationibus causis & probationibus, quæ contra clientes vestros allegantur, & quàm parum animo pervolvatis quomodo vosmetipsum poteritis defendere in supremo illo Tribunali, in quo nec Bartolus nec Baldus vos poterunt juvare: *Quid dicam aut quid respondebo cum Dominus ad iudicandum venerit, dicit S. Iob 27.*

Cavete etiã à superbia, eùm animadvertitis quòd alii indigeant opera vestra, & quòd multi magnates non dedignàtur ædes vestras accedere; corã vobisq̃ humiliari, ac Principum Regumq̃ causas vestram requirere opinionem & resolutionem, quando memores sitis quòd & vos in extremo die indigebitis Advocatis in negotio magis arduo majorisq̃ momenti, animæ scilicet vestræ. *P. Hyacinth. de Casal.*

Benevolum quoque benignumq̃ te omnibus exhibe, nemo te comitate vincat; & eùm omnes dignitate & honore viceris, omnes benevolentia vince: Officiosum etiã & paratum te omnibus præbe, nec verbis sed factis etiã magis: quare nihil sponde, nec operam tuam addicito, nisi liberalius daturus sis: si negandam putas, commissimis negabis verbis, rationemq̃ plerumq̃ rei negatæ adde.

Nihil in te agnoscas magnum, & magno munere dignum: si magna agnoscis, desines esse magnus, eùm certissima magnitudo in sui contemptu consistat: Indignum te etiã dignitate iudica. hoc si non sentis, longissimè à virtute es. *Scrib. c. 21. polit. lib. 2.*

## CAPUT VII.

*De moderamine in salario & integritate Advocati  
ab omni corruptela.*

**Q**uemadmodum domûs, navigii, & aliorum id genus firmis-  
sima fundamenta esse oportet; sic etiam processuum, actio-  
numque principia, & causas veras ac justas esse decet, nec tantùm  
principia, sed & totus progressus fideliter & *moderato* tractari de-  
bent *salario*; & dum iustitiæ ministri annonam Iudicalem inten-  
dunt debite, & imminuunt pro causarum magnitudine atque exi-  
guitate, atque etiam ex facultate & difficultate commentarios  
scripturasque conficiendi omnibus, muneris sui officio fun-  
guntur, iustis honorariis sportulariisque fraudandi non sunt.

Sed quod dolendum, *Advocatio* legum sanctionumque pro-  
pugnatrix miminè meticulosa, minis, promissis, blanditiis illa-  
befactabilis, necessitudinum, propinquitatum, ambitionis, præ  
fide & religione *muneris* contemptrix.

*Rara avis in terris, nigroque simillima cygno.*

Multi enim de eadem re parum sibi constant, ut veritati omnia  
præclara & summa se dicant tribuere, & sine lucro, quid sit verum  
non possint intueri; se *Iurisconsultos* nominant, & præstantissima  
Iuris præcepta, quæ tria Ulpianus statuit, ne attingunt quidem.  
Veri & honesti desiderio mirabiliter se flagrare asserunt: pecuniæ  
autem aut gloriæ admiratione ab honestatis & veri regula facile  
abducuntur, & sæpè *Summam rationem habet opinio, qua pro lucro  
& pecunia facit.*

Sed quid tali homine magis abjectum, cujus aures sonitu num-  
morum oppletæ, ad tantum illum concentum dignitatis suæ pe-  
nitus obsurduerint?

Quam

Quàm alienum est à *Jurisprudētia*, quàm rerum divinarum & humanarum notitiam veteres definierunt, eam tamquam pedissequam hominum cupidorum desideriis ad mercedem ministrare?

Quàm malè se res habet, *Cùm id quod veritate geri debet, tentatur pecunià?* Costal.

Plinius conqueritur quod liberales à maximo vitæ bono appellatæ artes, avaritiæ mancipentur: quæ etiam quærela Jurisprudētiæ potest competere, quæ ars omnium liberalissima est; arbitra quippe & custos publicæ libertatis. existimoque maximè communem latissimè patentem juris corruptelam & *abusum* ab avaritia manare: nam quia soli quæstui Jurisprudētiæ plerique discētes, utique circa finem & summam rei corruptis Iudiciis hallucinantur; idèd nihil umquam præclari sincerique hisce studiis effecerint: necesse est enim tela omnia aberrare, ubi collineatio fallit.

Jurisprudētiæ finis est, à clientibus non stipem colligere, non ex reorum sordibus splendorem quærere, non vocem & fidem vendere, quæque alia fas & nefas confundens avaritia dicitur; sed licitum ab illicito distinguere, æqui & iniqui limites subtili discrimine designare, Reipublicæ & singulis consulere, mores, leges, instituta publica examinare, interpretari & custodire. quid igitur? adversus æquitaris interpretes, custodes, vindices, tam iniqui erimus, ut tam fructuosam industriam suis præmiis fraudandam arbitremus? Minimè, sed multum interest in additamento, an principali aliquid censeas: Jurisprudētia indole sua, atque institutione, in cōmune & alienum bonum vergit; tam me hercule quàm justitia; quam quærere studiis proferre consiliis, asserere Iudiciis, illuminare præceptis, denique legibus sancire munus est. qui divitiarum vota ad Jurisprudētiæ accedit, quæstum sibi pro fine proponit, publicumque illius fructum accessionis loco numerat, propria vero incrementa tanquam rem principalem scaturatur. *Tul. lib. 1. de Iud. corrupt. c. 7.*

Numquid *Jurisprudētia*, quasi Matronæ elegantis & honestæ lenocinium quodammodo tales faciunt, qui non liberaliter aut reveren-

reveren.

reverenter eam tractant? Quanto igitur capitalius est Iustitiæ decus aut potentia, aut opulentia, aut turpi quæstui prostituere, *Ex Bud.*

Similibus applicari posset, quod *Ælianus lib. 4. Var.* narrat de *Heracleote*, qui cum pinxisset *Helenam*, magnum ex eo opere quæstum fecit: non enim gratis, neque quemvis obviam ad id contemplandum admittebat; sed primum oportebat certam pecuniæ summam numerare, deinde potestas videndi permittebatur. Quoniam igitur lucrum ex hac pictura fecerat *Heracleotes*, Græci qui eo in sæculo vivebant *Helenam* illam *Scortum* vocabant.

Numquid turpes isti Iurisperiti etiam Iurisprudentiam suam tamquam scortum pro turpi lucro videntur prostituere, dum illa solum ad quæstum & divitias comparandam abutuntur, eamque ut vulgare opificium sibi ad subsidium paupertatis, vel instrumentum divitiarum comparant.

Hi sunt, qui causas protendunt adhibiti, impediunt prætermitti, fastidiunt admoniti, obliviscuntur locupletati. *Cassiod.*

Hi Philodici non tantum tondere clientes, sed deglubere, sed & totos vorare cupiunt; securi, quem litis eventum fortuna ferat, dum eloculaverint quos defendendos susceperant, eo nomine salvi putandi, si modicos salvos relinquunt. Quem venandi seu potius prædandi usum quis non inhumanum infociabilemque nominaverit? Quæ paulò antè ut honesta deonderant, mox, si lucrum suadeat, versutiis suis subvertunt, solis, & Iustitiæ oculos frustrantur, calumniantur, tergiversantur, cavillantur, ut lites trahant, differant, augeant, & causas pessimas face Iustitiæ induant; quos certè quomodo non Iuris eversores potius quam professores nuncupaveris? *Ex verbis Zafy relatis apud du Verdier. lib. 6.*

Rectè aded Tacitus ait, quod pulcherrima & bonarum artium princeps seu encyclopædia *Iurisprudentia*, sordidis ministeriis fœdatur, nec fides integra manet, ubi magnitudo quæstum speratur. *Annal. lib. 11.*

Nam uti statera habet lingulam ad duas lances, lingulaque semper

semper se ad ponderosorem inclinat lancem: ita & iniquus Advocatus habet linguam & duas manus; manus verò cui plus imposueris, trahit semper ad se linguam.

Quin imò non tantùm lingua Causidicorum, sed & ipsum silentium venale est, & lingua eorum damnifera, nisi funibus argenteis ligetur. *Cass. sup. Ps. 73.*

Dum quidam Advocatus accepisset *bovem* ab uno litigantium, & ab alio *equum*: postea coram Iudice tacebat. Cui dixit ille, qui bovem dederat, *bos loquere*: & ipse respondit, *Non possum, quia equus non permittit*. & sic neutri advocavit. Nonne tali modo Iustitia, quæ est *Ars equi & boni*, fit *ars equi & bovis*, propter avaritiam & ignorantiam multorum, qui se illi immiscunt?

Refert odo de Dritone de vidua quadam paupere, quæ constituit salarium cuidam causidico dando illi novam Bigam. Pars vero adversa dedit illi bovem. Hic igitur, placiti die instante, allegavit egregiè pro parte viduæ, in fine tamen contra eam conclusit directè. Ad quem vidua, *Domine malè vadit biga*, cui Causidicus, *Oportet omnino quod sic incedat, quia bos trahit eam*. Timeant tales quod scriptum est Deuter. *Maledictus qui pervertit iudicium advena & pupilli & vidua.*

Si unus (ut adferam Pogii facetum dictum) Advocatis aut Iudicibus avaris oleum donaverit, & alter adveniat porcum offerens, dicent Iudices Avari porcum vas olei fregisse, & qui majus donum attulerit Ius favorabilius obtinebit.

Nec minus facetè & eleganter dixit ille, qui Advocatorum æt Iudicum manus ungendas esse censuit, feliciter quispiam ab iis expediri si cupias: sed hoc mysterium non intelligens quædam femina *Lecythum* oleo plenum secum tulit & manus inungere cœpit: mulieris simplicitatem, actionis tamen mysterium intelligens Advocatus seu Iudex, *Satis nunc*, inquit, *unctionis est, sed ad extergendas manus ulnis aliquot melioris panni mihi opus est*: quod dum illic mulier attulisset, & paulò post quod intendebat obtinisset, ad vicinos reversa: *Unctionis*, inquit, *nulla vis, sed deter-*



*tionis maior est.* Ex Theſ. Perger. ſub præſid. D. Val. Anſ.

Demosthenem tradunt cum in concione Athenis nescio quid petentibus Milesiorum legatis, adversatus fuisset; pecuniam ab illis, ne quid adversus eos postredie diceret, accepisse. Quapropter sequenti die prodiisse in forum, lanam multam collum ac cervicem involutum: & cum rogaretur, respondisse, se *Synanchen* pati, itaque contra Milesios loqui non posse. Quare unum est populo exclamasse, non *Synanchen* quoddam pateretur, sed *Argyranchen* esse, id est non gutturis morbum, sed argenti; & id ipsum Demosthenem confessum postea. Nam cum interrogasset *Aristodemum* fabularum Actorem, quantum mercedis, ut ageret, accepisset, & *Aristodemus Talentum* respondisset: At ego, inquit, plus, ut tacerem accepi: quod probro datum est Demostheni, & etiamnum datur Christianis, qui talia agunt. *Dick. de Advocatis.*

*Qui virtute minus quam clarus Iure vocatur  
Non gerit ille sua nomina digna toga.*

Dolendum propterea est, quod videamus hæc *Toga* ornamenta tam appetibilia in multis locis contemptui esse, & in *abuso* potius quam vero *usu*. Omnes enim & medici & Iurisperiti & Theologi non in dando, sed in evacuando purgandoque occupari videntur. Etenim *Theologi* eam in curam incumbunt, ut animas hominum perpurgent, & ad viam rectam perducant: Medici corpora hominum purgant, noxios inde humores educendo: Iurisconsulti dant operam, ut eorundem loculos purgent, suos autem repleant.

*Civis Dieſtensis* anonymus filium habebat quem ad bonarum artium studia educaverat, secumque anxie animoolvebat frequentius, cui tandem professioni eum applicaret; aliosque super hac re consulens hoc modo procedebat argumentando: Si *Theologico* studio statuique se dedat, vereor ne lubrica illa ætas crebris animi periculis exponatur. Neque suis etiam caret *Medicina* incommodis, utpote cujus praxis plena labore & periculis. Ad *Iurisprudentiam* itaque confugiat necesse est. est tribus malis eligatur quod minus est, quippe satius est, ut crumenas suis emungat nummis, quam vitam corpus proximi; æternam retributione propriam & aliorum

rum

rum animam. est tamen qui sic canit:

*Jurisconsultorum idem status & Medicorum,*

*Damna quibus licitâ sunt aliena lucra.*

*Hi morbis agrorum, agrorum litibus illi*

*Dant patienter opem, dum potiuntur opum.*

*Dat Galenus opes, dat sanctio Justiniana.*

*Ex aliis paleas, ex istis collige grana.*

*Si modo pauper eges, egeas ne plus, lege, leges,*

*Grandia lucra leges, fertilis illa leges.*

Si tamen honores ac divitiz acquirendi sint, propriâ virtute, & verâ doctrinâ acquirâtur, non damno alterius. Is enim honorabilis & dives censendus, qui suâ virtute & scientiâ in altiore locum pervenit, non qui adscendit aut ditescit per alterius incommodum & calamitatem.

Iurisconsultus quidam oblatum cujusdam causæ haud ita bonæ patrocinium recusavit, nec precibus ad ejus defensionem adduci potuit: verùm cum sollicitator non mediocre summam *Ducatorum Hungaricorum*, quibus impressæ erant cataphractæ bellatoris imagines, ipsi projecisset; exclamasse dicitur: *Captivum me tenes, quis enim tot armatis resisteret?* Tymp.

Sicut autem corrupti Jurisconsulti facilè capiuntur, sic & quævis capiunt.

*Henricus IV. Rex Francia* cum consultaret, quem ex suis ad expugnationem civitatis Bononiensis, quæ dicebatur quod capi non posset, destinare expediret: suggestit illi quidam ex Consul-toribus, ut mitteret Rex certum *Advocatum*, quem illi nominabat, *quia iste, aiebat, capit omnia.*

*Omnium dulcissimum est accipere*, inquit, Seneca. Contrâ verò Augustinus in Ps. 49. *Multî in hac vita (accipiunt) manducant, quod postea apud Inferos digerunt.*

Disertè S. Paulus, qui volunt divites fieri, incidunt in tentationem, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva, quæ mergunt homines in interitum & perditionem. 1. Timoth. 6. & S. Hieron.

In ædibus vel hypocauftis D. Mily. Coloniz sub pictura:

1. Papa, 2. Imperatori, 3. Rustici, 4. Advocati,  
habentur sequentes versus:

1. Tu supplex ora. 2. Tu protege. 3. Tūque labora.

4. Tūque trium vigili parta labore vora.

In Advocatorum advaritia iocose Martialis:

• Litigat, & podagra Diodorus, Flacce, laborat;  
Sed nil Patrono porrigit, hæc chiragra est.

Jurista aliqui accipiunt & raro satis dant,

Multa satis dicunt, raro satis faciunt.

Aliud de Rustico, qui domum Practici videns aded donis  
repletam, spem victoriæ perdidit:

Ingressus Rabula qua sitas rusticus ades,

Vidit ab uncata pendula dona trabe:

Auritos lepores, & pingues dorcadis armos;

Atque recessus capti nobile sumen apris.

Tum sua mox tristi vertens vestigia vultus;

Heu ait! hic pauper vincere nemo potest.

Officio suus esset honos & clara Patronis

Gloria: nunc multos cur honor iste fugit?

Cur? nisi quod sordes & avara fenera lingua:

Causidicus mirâ sedulus arte rapit?

Cur? nisi quod Judex non ante negotia laxat,

Quam sibi sat pingues sentiat esse manus.

Crescunt de minimis immensa volumina rebus;

Linea ubi pretio non caret ulla suo.

Pagina lineolas quot habet, quot linea vocet.

Tot pariter numeros Amanuensis habet.

Nullus apex aliquo non est metcabilis ars;

Res minima heu! quantas depopulantur opes;

Omnis habet sua dona manus neque numeris exsare:

Filia: quiddam etiam quod cupit uxor, habet.

Ipse auri cumulas manibus Patronus inuncat,

Et tamen iste modus sportula nomen habet.

*Infremet hæc quisquam nostro qui carmine tangi  
Se putet? occultum suspicor ulcus habet.* Iardin.

*Denique Avaritia & bonorum cæca cupido.*

*Impellunt homines, Juris transcendere fines.* Menand. l. 3.

*Elægius Comes* insignis in repudiandis muneribus quæ ad illum mittebantur, qui licet licitè recipere posset dicebat se accipere nolle, veritus ne suo exemplo, alii moverentur, qui deinde etiam cum culpa acciperent.

Hic cum aliquando ex cubiculo suo ira auditus esset orare: *Domine tu mihi in celo debes centum auri uncias, itemque duos pannos purpureos.* interrogatus quid hoc sibi vellet, respondit, *Quia illo die ea munera sibi oblata respuisset.*

Refertur de viro quodam magno, sed non inexpugnabili auro, qui cum à Principe ingens vas argenteum accepisset, idque uxori custodiendum tradidisset, non sine elogio donatoris, illam rem inconsultè prodidit. Nam scypho humi deposito ostentem filiam applicuit; expertura an staturam ejus æquaret. Nec mora puer de tanto scypho & tanto patris amico jactitavit se interfodales: intellectum æmulis, protractum est poculum, ille de dignitate detractus.

Sicut autem grave est peccatum, adversariæ Advocatum corrompere, & qui id agit causam perdit, *L. 1. ff. de Calumniat.* ita & multo gravius delinquit Advocatus, dum propriam suam prodit partem, & alteram agit. *In subsellio meo sedebas & ab adversaria parte dicebas: cum in advocacy mea numeraveris, tamen adesse viderbaris adversario.* Bud. in Forens.

Paulus Castrensis indicat se in eadem causa pro utraque parte consuluisse, (*Cons. 155.*) O utinam ille solus foret! quot nota hodie habet affeclas?

Legimus de *Suillio* nequissimo prævaricatore, quod clientis facta jura prodiderit, à quo tamen quadraginta millia nummorum acceperat. Quapropter Plato causidicos urbe pepulit. Vulcani generi tales nati dicuntur, cum quidquid tanguat adurant. *Du Verdier ex Zaxig. c. 9, lib. 6.*

Vsu

*Vsus pecunia bonus, abusus mala. quod aptè confirmat S. August. dum ait. Tollat malus divitias, inopes opprimuntur, Iudices corrumpuntur, leges pervertuntur, res humana perturbantur.*

*Tollat bonus, pauperes pascuntur, oppressi liberantur, captivi redimuntur. Serm. 3. de S. Cyp.*

*Divitia apud Sapientem in servitute, apud stultum in imperio sunt: Pecunia etenim imperare oportet, non servire. Seneca.*

*Qui festinat ditari, non erit innocens, & substantia festinata minuitur; qua autem paulatim colligitur manu, multiplicabitur. Proverb. 13. & 28.*

Cùm Iacob per astutiam Matris intenderet præripere benedictionem Esau, redeunti ex venatione petiit Isaac, *Quomodo, inquit, tam citò invenire potuisti, fili mi?* qui respondit, *Voluntas Dei fuit, ut citò occurreret mihi quod volebam*; sed venatio fuerat furtiva. Sic quidam Advocati, cùm ab illis petitur, unde tam citò effluant & opibus abundant? respondent, sic fuit voluntas Dei, ut tam citò divitiæ mihi occurrerent: sed inquirere debent, an iustæ & non furtivæ sint.

*Numquam vir æquus dives evasit citò, inquit, Menander.*

*Gregorius, pater Theologi, licèt in magnis Reipublicæ muneribus administrationibusque versatus fuisset, ita Iustitiæ fuit studiosus, ut ne teruntio quidem facultates auxerit. Bolland. Ian. in festo S. Greg. nar.*

*Ioab. Princeps militiæ Regis David, audito Absolomum è quercu pendere, decem argenti siclos & Baltheum daturum se nuncio sponndit, si pendentem telotrajiceret. at miles mox subintulit. Si appenderes in manibus meis mille argenteos nequaquam mitterem manum meam in filium Regis. hoc ipsum te respondere velim & I. C. cùm tibi munera, divitiæ temporales, honores & status promittuntur, tum inquam te respondere velim. si universum mundum cum universis divitiis traderes, numquam manus meas iniustæ causæ immitterem aut commiscerem.*

*Vbi divitiæ, ibi plerumque vitia:*

*Ideo Deo non carus cui cura sunt oper.*

Et

*Et magna pecunia cura*

*Solet virtutis esse incuria. Alth. in polit. c. 30. n. 17.*

*Laqueus est in auro; viscus in argento, nexus in pradio: Dum aurum petimus, strangulamur; dum argentum quarimus, in visco eius baremus; dum pradium invadimus, alligamur. Ex S. Ambros. de bono mort. c. 5.*

Tentator malus etiam malos (nihil enim mali de bonis. usquam dictum volo) aliquos eoque adigit, ut patrimonium amplificent, quocumque etiam modo. Nec enim sibi videntur esse, alicujus scientiae aut praeceos, qui non tot centena vel millia in annos lucrifaciant; & qui se de tam immenso lucro non possunt jactitare; immemores, quod pecunia non satiat avaritiam, sed irritat. Etenim honesta res est, laeta paupertas; illa vero non est paupertas, si laeta est. Cui enim cum paupertate bene convenit dives est: non qui parum habet, sed qui plus cupit pauper est.

Audiant Eccles. c. 12. ubi hortatur, *Ut illos non pudeat Iustitiam suam, iustaque fortuna, sive etiam parum lucrentur & possideant, sed sorte sua iuste partem contenti sint. Pluris enim est Iustitia, quam opes immensa; plura est paupertas iusta, quam abundantia iniusta.* Et crede mihi, non potes dives esse & felix. Scire uti paupertate, maxima felicitas. *Quae enim sunt maximè divitiarum? Non desiderare divitias. Quae est maxima egestas? Avaritia. Seneca.* Atque ille dives estimandus est, qui se satis possidere sibi persuasit, eum vero qui partis semper adjicere properat, acquirendique fatuitate nulla capitur, etsi Midam fuerit opulentior, pauperem esse dico. *Euseb.*

Divitiis & pecuniis serviens contemnatur ut pusillanimis, illiberalis & sumptuosarum possessionum vitaeque tragico apparatu structae stupidus admirator, & vilis animi hujusmodi estimetur; magnanimus enim vir omnia humana secum praemeditatus, nulla tali perturbatur fortuna, cum contigerit. *Stob. de Legibus.* *Et nisi multa desideres pauca tibi multa videbuntur. Democritus.*

*Divitiae semper multas calamitates afferunt, invidiamque & contumeliam & odii plurimum patientur, multaque negotia & mole-*

molestias infinitas habent, & plurimum in agendo, ac victum ediligendo occupantur.

Deinde post hæc mala dives statim moritur ac opes suas ad deliciandum aliis relinquit: proinde jucundior mihi paupertas fuerit & possessio mediocris, vitæque sollicitudine vacua quæ tum divitiis tum molestiis careat. *Ex Phileta.*

**Het tijstelyk goet / dat menichmael doet / het hert beroeren /  
Wyt met moeyten bergaert / met sorgen bewaert / met droefheyt  
berlozen.**

Proinde ne fugias paupertatem, sed injustitiam: nullus enim eò quòd pauper esset mortem obijt, sed quia injustus: neque vitam laudabilem aliquis degit, quatenus dives est, sed quatenus justus.

Non paupertas molestiam facit, sed animi cupiditas, neque divitiæ à metu liberant, sed ratio. si tibi rationem igitur comparaveris neq; divitias desiderabis, nec paupertatē acculabis. *Epicetum.*

Verum dum multa de divitibus verba facio, videor illos forsitan multifacere, quos revera parvi faciendos existimo, ait *Marsilius Ep. 3. & 5.* plerique enim cum possidere omnia videantur, existimant sibi cuncta licere: & obliti sortis humanæ, se aliquid esse super homines arbitrantur, cum sæpè minùs sint quàm homines.

Fortunatus, cui fors obijt mediocris: felix qui sua sorte contentus, qui habet omnia quæ vult: habet autem is omnia quæ vult, qui omnia vult quæ habet: felix qui cum summa pietate seipsum Deo Governatori commiserit, & quicquid sibi acciderit vel tanquam à Deo factum probat, vel saltem laudat tanquam à Deo in bonotum ordinem redigendum.

*Nihil est prestabilius*, inquit *Cominzus*, *mediocri vitæ genere, quòd qui potest assequi, & tueri, is omnium certè felicissimus est.* Lib. 10. *Còm.*

Vnde rectè *Aurelianus Imper.* amicos suos honesto modo & modicè dirabat, *Vt miserias paupertatis effugerent; divitiarum verd invidiam, patrimonii moderatione vitarent.*

*M. Curius*, cui ob operam Reipub. strenuè navatam, cum populus Romanus offeret tantum agri, quantum uno die circumire posset: *Non est*, respondit, *vobis eo opus civi, cui plus opus sit, quàm uni sivi.* Val. Max. 4. c. 3. Chok. 1. 5. c. 7.

*Phocion Atheniensium Dux, cùm à Philippo rege munera magna repudiaret, Legatiq̄ue hortarentur accipere, simulq̄ue admonerent si ipse his facillè careret, liberis tamen suis prospiceret, quibus difficile esset in angustia rerum tantam tueri paternam gloriam, heroïcè respondit, Si mihi similes erunt, idem agellus eos alet, qui me ad hanc dignitatem perduxit; sin dissimiles sunt futuri, nolo meis impensis illorum ali augerique luxuriam.* Chok. d. loco.

*Pittacus ex septem Sapientibus, cùm ei Mitelinzi multa millia jugerum agri offerrent, avertit animum ab eo munere, centumq̄ue tantùm accepit, quæ & suam animi æquitatem & Myteleneorum in se voluntatem indicarent: Nolite, inquit, mihi dare quod multi invidiant, plures etiam concupiscant; nam parva munera diuturna, locupletia non propria esse consueverunt.* Idem.

Quibus exemplis ad mediocria tantùm aspirare, non etiam ad summa media nè cum *Statilio Tauro* dicamus, *Villa mea me perdidit.* O quàm multi cum opes quas maximè optabant, adepti sunt, propter eas perierunt!

*Fortuna magna non caret formidine:*

*Nec splendor eminus vacat periculo:*

*Et quidquid altum est, haud tutum diu manet;*

*Vt quod ruat, vel invidia vel tempore.* Apollod.

*Et nulli ferè, ait Seneca, magna bona & diuturna contingunt, non durat nec ad ultimum exit, nisi lenta felicitas.* Senec. in consol. ad Mare. Chok. præd. loco.

*Socrates dicere solebat, satius esse, se in mediocribus continentem hilariter agere, quàm in magnis infelicitè.* Xenoph. de dict. & fact. Socratis.

Denique sapienter monet Seneca. Ep. 8. & Chok. lib. Aph. s. c. 7.

*Quisquis vestram tutam agere vitam volet, quantum plurimum potest, ista viscata beneficia devitet, in quibus hoc quoque miserimi fallimur, quod habere nos putamus, sed habemur. in præcipitia cursus iste deducit. huius eminentis vitæ exitus, cadere est. optimus pecuniæ modus, qui nec in paupertatem cadit, nec procul à paupertate discedit.* Parisien. de vitiis p. 4. c. 9.



De paupertatis & mediocritatis laude satis : sed quid sperandum de talibus, qui spretis præcedentibus monitis & exemplis, omnia utilitati dumtaxat & cupiditati adscribere volentes, sub justitiæ ministerio ad coacervandas opes, statumque suum ac prolium ampliandum? quomodo pietatem & justitiam colent? seque ad egentes consiliis suis adjuvandos referent? cum tamen sicut medicus pauperi infirmo potens subvenire & non subveniens, homicida ipsius judicatur : ita in exercitio Advocatus, quasi aufert rem pauperi, cui non conservat eam cum possit, quando divitibus solet patrocinari.

Adeo ut quemadmodum Advocatus prospicere debet, ne injustæ causæ defensionem ullatenus suscipiat : ita quoque cavere debet ne justæ causæ defensionem requisitus deserat ; & ne quisquam sit qui causam non pro dignitate plenè tractasse, sed dicenda transiisse, & quæ inculcanda, infingenda, repetendaque fuerant, cursim breviterque tetigisse, merito conqueri possit : præsertim si pauperem viduam vel aliam personam miseratione dignam concernat, istiusmodi enim personis omni humano præsidio destitutis, in iudicio laborantibus, opemque ferre gratis, si paupertate premantur, tenetur tam benè quam divitibus etiam si à Iudice non injungatur quo jubente, si recusaverit, aliasque soleat juvare, Advocationibus sibi interdictum iri non dubitabit. *L. providen. C. de postul. l. nec quidquam §. observare ff. de off. proconf.*

Iudicis quippe est officium, ut pauperi adversus potentem litiganti & Advocatum habere non valenti, aliquem det & constituat, qui illius defensionem, & quidem gratis, ad litis eventum, si inopem se esse & fideiussorem invenire non posse, jurejurando affirmet, suscipiat. *Bouric. c. 9.*

Deus ipse insignem pauperum curam gerit, eosque evehit. *Pf. 112.* & Magistratibus tenuium patrocinium suscipientibus, florentissimam opibus & victoriis Rempub. gubernandam tradit. Qui verd egenorum quantamcumque reliquam substantiam diripiunt, magnas sibi & Reipub. accersunt clades: quod comminatur Dominus per Prophetam. *Amos c. 5. v. 11.*

*Indicad.*

*Idcirco, inquit, quod diripuistis pauperem & pradam electam tuis ab eo: domos quadrato lapide edificabitis & non habitabitis in eis: vineas plantabitis amœnissimas & non bibetis vinum earum &c.*

Sit ergo caufidicus in pauperum non habentium unde reddant vel solvant patrociniū, pronus, & tam consilio quàm opere & eleēmofynis adsistat. Sic omnes tenentur ad opera pietatis ex lege divina, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum*, ne forte illi contingat quod legitur de quodam Advocato, in *scala cœli*, qui quodam tempore caristiz; ne audiret voces pauperum, ad quandam hœrederatē juxta Ecclesiam accessit, ubi nec defuit populus clamans, fame oppressus; quorum voces cùm audiret, respondit: *Non durabo cum istis canibus*. Et fecit poni mensam in alia camera, & statim ad portam armatus quidam pulsavit, & dixit: *Nuntius Dei sum, & volo loqui cum Domino vestro*. Et cùm servus de mandato Domini sui eum assereret ibi non esse, *Mentiris*, inquit, *in illam cameram se transtulit, ne ipse audiret voces pauperum, & nunc cito eum, ut compareat coram Deo, redditurus rationem de commissis*. Statim autem Advocatus infirmatur, moneturque ab amicis, ut confiteatur; sed renuit, & finaliter ad damnationem pervenit. *Ioan. Junior. ord. Prædict.*

Collector *Speculi* etiam adfert historiam de *Senatore*, qui aditum Castri sui, misericordiæ præcludens, nisi per beatam *Mariam* fuisset adjutus, periisset.

*Senator* quidam magnum Castrum atque gloriosum viâ publicâ ædificavit, solo vanitatis intuitu, in cuius porta hos versus scribi fecit.

*Decretum detur ne dormiat aut epuletur*

*Hic gens villana, sed Achilles, Plato, Diana.*

Volens ut nullus deberet ibi dormire aut comedere, nisi foret miles strenuus qui notatur in *Achille*: Philosophus vel Clericus qui notatur in *Platone*: Virgo nobilis, quæ notatur in *Diana*: Quadam die tractus est in visione ad Iudicium, cui Dominus dixit: *Me & meos à tuo Castro niteris excludere, & idè, non immeritè debeo te meo castro, hoc est, Cælo privare*: Cùm autem tremebundus

contra se sententiam ferendam expectaret, nec aliquid superesset effugii, miser ille in *Matrem misericordiae* oculos reflexit, misericordiam ab ea & subsidium postulans: commota igitur solitâ misericordiâ *Beata Maria*, pro eo intercessit, & quod petebat obtinuit: dixitque ei ut prioribus versibus deletis, hospitalitati se daret, & sequentes versus ei commendavit.

*Muta decretum, sanctorum suscipe cœtum;*

*Nudum Martinum, Lazarum, Iacobum peregrinum*

Ex quibus versibus innuitur quòd *Devoti* recipiendi sunt in hospitio; & *Nudi*, & *pauperes*, quod etiam notatur in *Martino*; *Infirmi*, *debiles* in *Lazaro*; *peregrini* & *exules* in *Jacobo*: & sic per *Mavis stellam*, hic *Senator* qui in mari hujus sæculi erraverat directus est, ita ut in Hierusalem pervenerit Civitatem cœlestem.

*Novit iustus causam pauperum, impius ignorat scientiam.* Prover. 29. Iustus Iudex & Advocatus diligenter scrutantur causas forenses pauperum, ut earum justitiam & æquitatem à radice & fundamentis cognoscant & decident: quia enim pauper perse vel simplex est, stupidus aut stolidus, vel ignorans aut ignarus Iuris, ejus magis miseretur, magisque curæ habet tam miseri causam, ei que sedulo studet, ut ejus æquitatem vestiget & tueatur. At injustus & impius Iudex vel Advocatus non curat lites pauperum, quia ab eis parum lucri sperat; ideoque non inquit illorum rationes & fundamenta; imò affectat earum ignorantiam, ne cogatur pro eis stare contra divites & potètes, quorum munera & gratiam ambit: quales increpans *Isaias* c. 1. *Pupillo*, inquit, *non iudicant*, & *causa vidua non ingreditur ad eos*; contra id quod sancit Propheta *Pl.* 81. *Judicate egeno & pupillo, humilem & pauperem iustificare.*

*Ludovicus IX.* Franciæ Rex metuens, ne causæ pauperum negligenter à Iudicibus audirentur, ipse singulis hebdomadis easdem audiebat, discernebat, & dijudicabat.

Idem fecit *S. Jvo*, qui totum se gratis addixit patrocinio pauperum. Hac de causa in multis Academiis gradum Doctoratus aut Licentiæ in Jure suscepturi, ac Tribunalium Advocati, jurant se pauperum causas gratis acturos. *A Lapide proverb.* 29.

Quanti

Quanti verò sint effectus, & quàm multiplex sit misericordiæ, & in pauperes liberalitatis utilitas, hîc describere mea non est intentio: scripsi quondam aliquatenus de illa: præterire tamen prorsus, & nihil hîc de ea materia dicere, omittere non potui, præcipuè ad tollendam ordinariam divitum frivolam exceptionem, quâ *Se amplam habere familiam, statum suum tanta requirere, ut ipsimet sese indigere dicant, sed & pauperes seipsos asserant.* Reverà enim & ego cum illis sentio; pauperes namque sunt, pauperes & omnium egentes bonorum: pauperes, inquam; charitate pauperes; benignitate in indigos pauperes; fide erga Deum pauperes; pauperes æternâ spe. & alioqui profectò pauperes sunt, qui multis indigent: pauperes, inquam, insatiabiles concupiscentia reddit. Nec solum crescendo non impletur, sed ardentior redditur appetitus, ex quo anima curis continuò premitur, dum alios adæquare & superare contendit.

Sed multi sunt in domo *liberi*, & retardat te *numerofitas filiorum*, quò minùs largiter bonis operibus insistas? Atquin hoc ipso ampliùs operari debes, quò multorum pignorum pater es. Plures sunt, pro quibus Dominum deprecaris, multorum delicta redimenda sunt, multorum purgandæ conscientia, multorum animæ liberandæ: ut in hac vita sæculari alendis sustinendisque pignoribus, quo major est numerus, hoc major & sumptus est: ita & in vita spirituali atque cœlesti, *Quò amplior fuerit pignorum copia, esse & operum debet maior impensa.* S. Cyprian.

Dic quæso, cum Deum orasti ea pro fœcunditate, cum precatus es, ut fieres liberorum pater, addidisti ne illud; *Da liberos, ut causa sint, ne præceptis tuis obediam? da mihi liberos, ne veniam in regnum cœlorum?*

Præterea quis tibi sponsor de ipsorum fuerit voluntate atque ingenio, ut rectè datis utantur? Nam multis divitiæ luxuriæ sunt causa: an non audisti Ecclesiasten dicentem, *Relinquo ego homini post me, & quis novit, si sapiens erit aut stultus?* Considera itaque, ne cum multis æruinis opes cumulatæ peccatorum materiam aliis tradas, duplicique plectaris postmodum poenâ, & tuorum criminum:

minum causâ, & aliorum, quibus causam dederis. Nonne cunctis liberis conjunctior tibi est anima tua? huic tu primas da partes tuæ hæreditatis, vitæ videlicet æternæ divitem materiam, deinde filii victum tribue. Audiamus nos docentem historiam, quam refert Pet. Dámanus c. 15.

Vir quidam in Teutonum finibus, optimum proprii juris prædium, diversorumque proventuum copias affluenter possidebat; habebat autem *Diodecim filios*. Cœpit interea cogitare, quid post ejus obitum fieret, si unius possessionis hæreditatem inter tot divideret cohæredes. Dicebat enim, Ego quidem qui totum hoc solus habeo, sufficienter & pacificè vivo, sed ubi tot divisores emerferint, quis eorum similtates, quis orientia inter illos livoris & odii jurgia sustinebit? Non enim poterit illic esse unitas voluntatis, ubi tam multifaria fuerit diversitas facultatis. Coloni præterea, qui uni parere domino sunt contenti, non sine gravi quietis suæ injuria, tot dominorum populo responsuri sunt: *Tibi ergò, Deus Omnipotens, quidquid est mei iuris, allodium trado, te solùm hæredem mea possessionis eligo. Filios autem meos tibi commendo, fac eis, quod in oculis tuis beneplacitum fuerit*. Et hoc dicto, *Chirothecam* suam sagittæ protinus alligavit, eamque curvato pariter arcu, in vasti aëris superiora conjecit: sed mox sagitta sine *Chirotheca* in terram delapsa; ut evidenti monstraretur indicio, quia donum, quod fides obtulit, Clementia divina suscepit. Tunc ille de muneris sui oblatione fidentior & alacrior factus, possessionem suam cuidam Ecclesiæ tradidit, eamque perpetuo jure per stipulationes & rata firmavit. Brevi verò tempore post hoc filii eius tantâ bonorum affluentium sunt abundantiam præditi, tot prædiorum ac censuum copiâ sunt magnificè dilatati, ut eorum quisque summam paternæ facultatis excederet. Testatur Pineda. *in Job c. l. v. 1.* quod apud Hispanos olim Chyrothecarum projectio, nota erat & signum aditæ possessionis: ex quo ritu, in castra, in acies abiit ille mos, ut si dux aliquis urbem obsedisset eaque suis munita vallis, confisa propugnaculis, freta militum vi, ac robore deditionem negaret, adversus belli Dux intra urbis illius septa

Chiro-

Chirothecam proiiceret, illoque ritu se eam urbem facere testaretur. *Lobbet. in Spec. Eccles. c. 6. p. 2. §. 2.*

Sic, sic, qui *Chirothecam* de manu patris terreni in cælo recepit, super filios suos imbrem suæ benedictionis influxit exuberanter. *Quod igitur in terra Deo datur, in cælo recipitur, & inde sperandum est præmium, quo præcessit munus oblatum.*

Adeò ut & ipse Deus se venalem præbeat & civitatem cœlestem expugnabilem: at quo, petes, potissimum nummo? Quo ipse ceteros emit: hoc est charitate quadam in pauperes liberali: Deus enim amore immenso gratis largitur omnibus omnia, solisque dat pauperibus; nam omnes quamvis ditissimi videantur, omnino inopes sunt ad Deum: meritò hac sola virtute Deum emimus, quoniam hac sola eum verissimè imitamus. *Marsilius in Epist.*

Vendere patrimonia & dare pauperibus, viderur stultitia huic sæculo, sed *Sapientia Deo est*: ut contrà divitiis incubare, pecuniam fœnore augere, terminos dilatare, violentia, industria & quæstus apud sæculum, sed apud Deum crimen & poena est. (*S. Paulin. Epist. 2.*) Usura mundi: centum ad unum: Deus unum accipit ad centum: Et tamen homines cum Deo nolunt habere contractum: sunt forsan de cautione solliciti? Quare? homo homini exiguæ chartulæ obligatione constringitur, Deus tot & tantis voluminibus cavet, & debitor non tenetur? *S. Chrysost. serm. 25.*

*Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit*: Videbit diem malum, qui diem iudicii sine advocazione paupertatis intrarit: Sine causa accusant peccata, quem pauper excusat: excusari non potest, quem fames pauperis accusavit. *S. Pet. Chryso. serm. 14.*

Mitte ergò & præmitte thesaurum tuum in cælos, ne cœlestem animam demergas in terram. *Aurum de profundo terræ: Anima ab excelsis cæli. Melius proinde est, ad sedem suam deferri aurum, quàm in sepulchro àuri anima demergatur.* Idem *Serm. 22.*

Non recordaris minarum divitis à Deo intentatum, *Va vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram*: *Lucæ. 16.* & alibi per Apосто-

Apostolum suum, *Agite nunc divites, plorate ululantes in miseriis vestris, quæ advenient vobis: thesaurisate vobis iram in novissimis diebus.* S. Iacob. 5.

Validissimè ipse iterum Christus, *Faciliùs est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum Dei.* Luc. 18.

Quis crederet nisi diceret ille qui fallere qui mentiri nescit? quid ergo hic remedii? Ecce habemus ab eodem ore remedia, à quo minas, *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis recipiant vos in æterna tabernacula: si volumus effugere minas, amplectamur remedia, & à quo majores affluunt opes, major in pauperes exurgat misericordia.* Scrib. polit. l. 2. c. 19.

Hoc benè observavit *Edicius senator* in Burgundia, qui ob liberalitatem in pauperes meruit audire vocem divinam sibi dicentem, *Edici, tibi & semini tuo panis non deerit in sempiternum, ed quodd obediens verbis meis, & famem meam refectioe pauperum satiaveris.* Greg. Turon. l. 2. c. 24.

*Cum effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleveris orietur in tenebris lux tua, & tenebra tua erunt sicut meridies, & requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper, & splendoribus implebit animam tuam, & ossa tua liberabit, & eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum, cuius non deficient aquæ.* Isa. c. 58.

Qui collocat Thesauros in terra, non habet quod speret in cæto: ut quid respiciat in cælum ubi nihil habet repositum? Quidquid pro anima tua feceris hoc tuum est; quod autem reliqueris, alienum fit. quod nostro sic dicimus idiomate:

**Dat ich heb gegeben / dat heb ich behouden :**  
**Dat ich heb behouden / dat heeft my begeben.**

*Dans eleemosynam, sælix vivit & securus moritur.*

*Debitorem facit Dominum.*

In præto spirituali legitur, quod clarissimus vir quidam Constantinopolitanus, cui pater moriens *Dominum Iesum Christum* reliquit curatorem, facultatibus suis, penè omnibus, in vivis filio consentiente in pauperes erogatis; die quodam, spem totam in Curatore suo reponens templum cum summo manè ingtederetur, illum

illum accessit prædives Matrona, quæ per antè ibi primùm ingre-  
dientem de consilio mariti expectabat, tanquam futurum filix  
suz maritum: ubi autem eadem ex eodem intellexerat filium esse  
talis eleemosinarii, & innuptum, ipsumque in eleëmofinas per  
patrem factas tam fideliter consensisse, acceptavit eundem pro  
sponso filix suæ unicæ, magnam dotem & divitiis adjungendo,  
ut utrisque cum timore Dei, & gratiarum actione divino Curatori,  
uteretur. C. 201.

Metuis ne patrimonium tuum fortè deficiat, si operari ex eo  
largiter cœperis? quando enim factum est, ut Iusto possent deesse  
subsidia, cum scriptum sit, *Non occidet fame Dominus animam ius-  
tam.* Proverb. 10. *Aspicite volatilia cæli, quoniam non seminant,  
nec metunt, neque colligunt in horrea, & pater vester cælestis alit illa:  
nonne vos pluris estis illis? Volucres Deus pascit, & passeribus ali-  
menta diurna præstantur; & quibus nullus divinæ rei sensus est,  
eis nec potus nec cibus deest: nisi si tu putas, quia qui Christum  
pascit, à Christo ipse non pascitur: aut eis terrena deerunt, quibus  
cœlestia & divina tribuuntur. Vnde hæc incredula cogitatio? &  
unde impia & sacrilega ista meditatio? Quid facit in domo fidei  
perfidum pectus? quid qui Christo omnino non credit, appellatur  
& dicitur Christianus? Numquid quærentibus Regnum & Ius-  
titiam Dei, omnia permittit apponi; nam cum sint Dei omnia, ha-  
benti Dominum nihil deerit, si Deo ipse non desit.*

Patrimonium Deo creditum, nec *Respublica* eripit, nec *Fisus*  
invadit, nec *Calumnia aliqua forensis* evertit: tutò hæreditas poni-  
tur, quæ Deo custode servatur. Qui studes terreno magis, quàm  
cœlesti patrimonio, filios tuos diabolo magis commendare, quàm  
Christo, bis delinquis, & geminum crimen admittis; & quòd non  
præparas filiis tuis Dei Patris auxilium, & quòd doces filios patri-  
monium plus amarè quàm Christum.

*Democritus* dicit, quod nimia pecuniarum collectio pro liberis,  
ut multi loquuntur, prætextus sit avaritiæ, proprium ingenium  
arguens & detegens.

Ceterum an nescis quod divitiæ sunt quidem ambidextræ, ad



bonum scilicet & malum trahi faciles: uti scalæ adscensum & descensum juvant: ita pecuniæ ad cælum ducunt & ad inferos: sed plures multò ad inferos: Si pietati ac pauperibus seruiant, iter ad beatos; si vanitati & voluptati, viam monstrant ad diabolorum socios: Aquæ Ægyptiæ id nos docebunt, quæ in sanguinem versæ; sed Ægyptiis, non Hebræis: in manu Ægyptiorum sanguis, inquit, Iosephus, in manu Hebræorum mundissima erat aqua: sic opes in manu cordis non sinceri foedus vitiorum sanguis; in manu probi hominis grande adminiculum liberalitatis. Sed quàm rari sunt qui divitias expendunt liberaliter in eleëmolytas, in viduarum & pupillorum curas? ubi sunt hi Cygni, qui argenteum hoc melos canant, & recreant illo cantico egenos, unde verissimum à Christo est Oraculum, quàm difficile sit divitibus intrare in Regnum Dei? O quàm etiam difficile divitibus concionari aut scribere? tanquam lapides non moventur, pleraque omnia surdis auribus transmittunt, nihil persuadentur, sunt veluti vasa jam antè plena, quibus si aliquid infuderis, effundes: divites jam pleni cogitationibus, consiliis, phantasiis & negociis audiunt aut legunt: quod si verò ex ingenti auditorum aut lectorum numero interrogetur quis dives & pecuniæ amans? nemo se reum fatetur, nemo. O quàm difficile igitur est curare morbum quem omnes sanitatis partem esse censeant? Numquid ergo incredibiliter exerceant divitiæ, mores corrumpunt, mentem auferunt: Iobo id credemus affirmanti. *Dives cum dormierit nihil secum auferet; aperiet oculos suos, & nihil inveniet.* Job. 27. Aperiet oculos, post mortem scilicet, quos in vita habuerat clausos. O serum nimis est, tum primùm velle videre, cum non amplius licet vivere. Quomodo ergo divitiis optimè utemur, *Non amando & erogando?* qui agrum fertilem cupit, semen non retinet, sed abjicit: abjectæ in egenos crescunt, & ad tribunal Christi, non multa pecunia, sed pura conscientia & misericordiæ opera vos defendent: Animus à nummis abductus triumphabit. *Ex Drexel. in Salomon. avaro.*

Refert Stobæus Epicurum Philosophum interrogatum qua demum ratione ditescere possit æris cupidus, sapienter prorsus & pro  
sanissimo

sanissimo Philosopho respondit: *Non augendo opes, sed minuendo cupiditates: satur est quem nec fames nec sitis amplius laceffit, & si parum comederit. ita & dives est qui quamvis exiguum numeret censum, animum tamen gerit quietum & nullius rei cupidum.*

*Ut autem ad ea unde digressi sumus finaliter revertamur, Advocato, capere salarium à solvere valentibus, permissum est, ad probabilem tamen quantitatem. quæ pro conditione causæ à Iudice potest taxari. sic enim Ulpianus: In honorariis Advocatorum ita versari Iudex debet, ut pro modo litis, proque Advocati facundia & fori consuetudine, & Iudicii in quo erat acturus æstimationem adhibeat. L. 1. §. 10. ff. d. tit. Sed ea demum imputari diligentia sedulitas & sollicitudo attendi debet, quæ causæ, non ostentationi inserviunt: imputanda autem ubique præstantia artis & ingenii, non solum laboris. Ulpianus enim æstimari facundiam jubet: hodie verò quis furor est pro codicum scriptorum modo & filiorum numero rationem inire salarii? quid hoc aliud est quàm ultro incitare loquacitatem, ad permiscendum omnia, tragœdialisque excitandum in nugis? Quid hoc aliud quàm præmiis provocare ad diffundendam causam, protrahendumque jurgium? aded igitur ut nihil ingenii doctrinæque in Advocatis quod æstimeretur, vel nihil in Iudicibus ea æstimaturæ prudentiæ est, ut numerari versus actionum, non ponderari oporteat? Nunquid expanditur inanis torrens garrulitatis, sua inundatione omnem causæ speciem omnesque Iuris limites confundentis, dum honorarii quantitatem loquacitatis & scripturarum modus definit? furor est profectò, furor publica auctoritate lucro incitare rabulas ad certamen extendendæ in immensum litis & foliorum. Itaque saluberrimum Iudiciis fuerit, Iudicem qui de causa cognovit honorarii quantitatem definire pro conditione causæ & merito navatæ diligentiz, quàm non mole æstimet, sed pondere, sensa magis imputando quàm verba, argumenta, non cavillationes; causæ enucleationem, non pompam inanium excursuum & repetitionum; & in universum vim & pondus orationis ad statum causæ accommodatæ, non numerum & molem scriptorum in oratione salarii in-*

tueatur Iudex. hac ratione ineptæ loquacitatis latratus à foro fugabitur, discrimenque orietur inter doctos prudentes, graves causarum Actores & leves imperitosque ac subtiles rabulas: illi auctoritate & fide florebut: hi verò cum suis vitiis jacebunt & obsolescent. Lucrum tolle exstantis causidicorum verbositate, & simul ipsum sustuleris: nec quisquam erit qui non malit accomodatè ad statum causæ cum fecunda sensuum brevitate dicere, quàm extra tramitem evagari, si utrobique tantundem sit emolumentum. *Tald. lib. 4. c. 11. de Caus. corr. Jud.*

Præmissa quædam nonnihil recolligendo, apparet varia esse & multa quæ desiderant in curiis remedia oportuna, tum circa Iustitiæ ministros, tum circa litium fines, temerariosque litigantes: neque enim ingenui & verecundi est animi, sicut etiam in initio primi libri dictum est, facile ad lites profligare, & Christianum Consilium, injuriam potius & injustitias pati, quàm judicio contendere: etenim litis comes est miseria, rancor animi, perpetuæ curæ, timor, odium, simulas, dissidium, inquietudo: unde sub initio litis, Iudex vices suas posset interponere, ut partes concordentur, ne dum ex meritis causæ didicit quæ pars foveat justitiam, consulat ut injustus à justo super re clara partem accipiat.

Pro definiendis quoque litibus, leges quædam antiquatæ ad usum fori reduci possent, & vigori pristino restitui: ubi enim sunt leges de finiendis litibus infra biennium? ubi pœnæ temerè litigantium? ubi iudex declaratur causam suam facere? id est perperam judicando amissæ causæ succedaneum se reddere? Hæc si in observantia forent, litigiosi pœnas timerent, indocti ab ambitu Iuris dicendi refrœnarentur, vel hoc urgente metu, Iudicum excitaretur diligentia: quo frœno excusso, quis miretur litigantium & iudicum licentiam, ac neglectum Iuris: Quoniam verò appellationes, non sæpiùs oppressis suffragium quàm calumniantibus suffugium sunt, exercendæ forent multatè in temerè appellantes olim constitutæ vel constituendæ. *Tald. lib. 3. c. 10. corrup. Jud. & lib. 4. c. 17.*

Stylus etiam & observantiæ quorundam tribunalium examinari possent;

possent: super hoc enim prætextu abusus aliqui quâdoq; excusâtur:

*Hæc etenim longo servatum tempore morem*

*Curia nostra tenet.*

Quid dicendum de illis qui ex tenui quadam, quam putant se habere, scientia, ad titulos altos anhelant (*Cùm tamen titulus sine vitulis res sit inutilis*) atque intempestivè nimis & quasi illotis manibus ad curias per præceos aliquam notitiam aut titulum academicum, tanquam ad auream messem adspirant? ac Themidem, quasi ad Lucelli illecebram, prostituunt: ignari quod iuris civilis sapientia tamquam res sancta pretio nummiario non venit dehonestanda, ita ut vix dum remunerationis præmium iudex expectare debeat, iuxta textum *C. qui rectè* 11. q. 3. & *c. sunt nonnulli* 1. q. 1. & nequidem post sententiam latam; multo minus quando ante sententiam præcessit promissio, licet non recipiat nisi post sententiam *Nevixanus lib. 5. syl. nupt. n. 97.* ne contingat quod dici solet, *Xanimum intrat per portam, & diabolus per fenestrâ.*

Sunt & in curiis qui per Lunatica aliqua argumenta, quæ quidem splendent, sed non calefaciunt; & per subtilitates, malasque artes; causas & opiniones perperam conantur defendere; ut videantur esse magis ingeniosi, & merces eorum augeatur, opulenti que evadant: licet verò quandoque quadam subtilitate, doloque, iudex terrenus, falli possit; non tamen fallitur qui externa, & interna rimatur, qui linguam videt & mentem: reportant quidem iniquitales gloriam aliquam in hoc tribunali, congregantque magnos thesauros, opiparamque culinam; sed manet; magna illos in futuro ratio reddenda, vigilat divinus oculus, connivet, & tarditatem poenæ, supplicii gravitate compensat: *Suavis est homini panis mendacii, & postea implebitur os eius calculo.* Proverb. c. 20.

*Bonis hic fruimur, ibi igne exurimur.*

*Momento fruimur, æternum urimur.*

*Bonis hic pascimur, ibi ignem patimur.*

*Quis pro his opibus tormenta diligit,*

*Pro mundi gaudiis divina negligat,*

*Pro mundi honoribus caelestes abigat,*

*Pro tam fugacibus, quis flammam eligat?*

Scribit:

Scribit P. Georgius Reeb in regulis prudentiæ Christianæ p. 2. c. 11. n. 20. ibidem citans Iosephum Ballardinū lib. 4. c. 27. exped. 4 quod fuerit quidam legum peritissimus, dolis tamen, malisque artibus instructissimus, quas verborum fūco ita adornare noverat, ut causas etiam pessimas obtineret, & clientibus suis addiceret: unde divitiarum ingentes acervos sibi brevi accumulavit, vitamque commestationibus, computationibusque tempore à causis dicendis vacuo jucundam egit. dum hoc modo auro, divitiisque in immensum augetur, simul etiam lethali morbo prosternitur, & à religiosis quibusdam viris ea quæ è re animæ forent sedulo admonetur: verum ille, jam desperabundus, aures animumque ab huiusmodi admonitionibus avertit, simulque lecti, qui pretiosus erat, ornatum omnem projecit, ita ut nudus absque omni tegumento jaceret: quo facto, voce horribili, inconditoque gestu exclamat:

*Tu, ô Deus, & tu Diabole, nunc agite inter vos causam meam: & videbitur, uter ex vobis victoriam reportaturus sit de anima mea: & post paulò denuo vociferando ait: Tolle, tolle tu Diabole, quia vicisti, accipe animam meam, quia tua est, & non amplius Dei: & hoc dicto subito vita decessit.*

O quanti, exclamat S. Richardus de S. Victore, veritatem quarunt, sed non in veritate: artis vanitate quasitam invēniunt, eò, quod miserissimum est: in verbis vita, lucra mortis negotiantur.

O Judices (inquit post multa Divinus Augustinus. Serm. ad Iudices 35.) scientiam, & iusticiam mundi amantes, attendite quid agatis, nam scientiâ mundi pleni estis, & in ipsa moriemini: quæ est enim scientia mundi, nisi thesaurum congregare: lucrum terrenum, acquirere, decipere proximum, mentiri, iurare, iusticiam cautè pervertere, & similia in cunctis agere: ista enim sapientia mundi est, in istis fere tota vita vestra consistit, & ideo attendite, qui iudicatis terram, quia dum humana curantur, aeterna perduntur gaudia.

Hinc procedit, Status ratio, Iniquitatis mare, Ludibrium veritatis, Velum impietatis, Commentum hominum: quorum idolum status est, vitæque absque religione, mores absque Deo.

O tem-

O tempora, ô mores! qui non decipiunt, qui non aliud ore quàm corde loquuntur, *Qui non iuxta modum, & materiam status sciunt vivere, vel exoticis moribus se adaptare, & accommodare nolunt, vel non possunt; illi simplices, alii verò in pretio habentur.*

*Improbilas tanti, probitas iam denique parvi*

*Penditur, ut probum, sit pend esse probum,*

Ita enim *Hesiodus* ait, *Ego porro ne ipse inter homines iustus esse velim se quidem plus iuris habebit iniustior, aded ut bona mens si hodie esset venalis: vix haberet emptorem. Senec. Epist. 27.* Sic fortunæ muneris ad improbissimum quemque uberiora perveniunt: hodie nil industria vendicat, totum auti profanus amor obrinet: Si *Salomon* viveret, & dives non esset, in senatum non reciperetur, dicit *D. Natten fol. 578. & fol. 607.* unde vulgò dicitur, *Multa perit sapientia in utero pauperis, quasi divites cerebrum haberent in pera, fecerunt laniones super peram.*

*Curia pauperibus clausa est, dat census honores,*

*In pretio pretium nunc est, dat census honores,*

*Census amicitias, pauper ubique iacet.*

Et juxta *Senecam*, census ad senatorium facit ascendere gradum.

Census Romanum equitem à plebeis discernit.

Census in castris ordinem promovet,

*Censu in foro iudex legitur,*

Et quod plus est, multi viros probos, & fructuosos ab omni gubernatione remove conantur, quò ipsi minori, cum invidia res suas augere, & promovere possint, & ne per alios probos inscitia & nequitiz prodeant juxta illud *Sap. 2. circumveniamus iustum quoniam inutilis est nobis, & contrarius operibus nostris, impropereat nobis peccata.* Talesque multa verbis pollicentur, quod factis prestare nolunt, & cujus contrarium cogitant: *Courtoisiam* aliqui dicunt, *Hispani palabras i plumas, el viento las lieva, i complimentos:* ac si dicere vellent, *Complimens, completè mentiens.*

*Ore aliud, clausaque aliud in pectore gerunt,*

Et quò plus superstitionis, & caeremoniarum, eò minus securitatis:

tis: & ubi abundantior est cautela ibi evidentior fraus:

*Nubes & ventus pluvie non sequentes, vir gloriofus, & promissa non complens.* Proverb. 25.

*Falsus in ore careat honore.*

*Lingua dolosa ubique sit odiosa.*

Quippe malus ubi se bonum simulat est pessimus, exemplo *Ioab*, qui *Abner* quasi ad secretum colloquium amice & benevole vocans, percussit eum in inguine, & mortuus est, in ultionem sanguinis *Asaël* fratris ejus. 2. Reg. c. 3. vers. 27.

Idem *Ioab* alloquens *Amasam*, & salutando eum, *Fratrem vocans*, occidit, quia sciebat illum sibi designatum *Collegam* in eodem Magistratu, timeretque ne tandem sibi *Amasa* praeferretur. 2. Reg. 6. 20. vers. 9. & 10.

*Ore dicunt aures, corde dicunt caute,*

Tales subdoli, student magnatibus complacere, potentum negotia diligentissime expedire, pauperum atque viduarum causas differre, ac rejicere; & quas in mense possent definire, protrahunt in annos.

Chronicum Alexandrinum, admirandum *Theodorici Regis Romanorum* refert actum: Vidua quædam nomine *Juvenalis* querelas deposuit apud eum, quoniam tribus integris annis in curia causa sua protraheretur, quæ alioquin intra duos dies expediri facile potuisset, Petiit *Rex* ab ea, qui causæ illius essent iudices: nominati ab ea vocantur, & ab *Imperatore* iis demandatur, ut quàm fieri posset citissime viduæ lis ab iis terminetur: quod fecerunt, & totam causam bidui spatio juxta viduæ votum expediverunt: hoc facto, *Theodoricus* vicissim ad se vocatos iudices adesse jubet, qui existimantes idè id fieri quod rem bene gessissent & justitiam ritè administrassent, læti ad *Imperatorem* pergunt: quos cum præsentem rogasset *Imperator*, qui factum est quoddam infra biduum expediveritis id, quod spatio trium annorum non fecistis. iis respondentibus quod Majestas vestra ut id faceremus mandavit, *Rex* dixit, quando cum vobis detuli Magistratum, nonne omnes causas & singulariter viduarum commendavi: mortem estis promeriti, qui causam

causam duorum dierum, spatio trium annorum protaxistis: & eo momento iussit iis capita amputari. *P. Reeb in Reg. prud. c. 18. n. 34. Nic. Causs. in aula sanct. lib. 3. sect. 26.*

Est præterea infœlix hoc ævum ob tantam DD. contrarietatem ita ut ferè nihil certi habere videamur: misera conditio, non tantùm jurisprudentiæ, sed omnium hominùm; quorum fortuna in omnibus ferè juris quæstionibus sit dubia; nihil enim ferè tam fixum, aut tam clarum reperitur, quod non audeant labefactare ratiunculæ ex DD. discordantium opinionibus, & commentariis conquæsitæ: hinc difficile est, id quod verè justum est, ab eo quod tale videtur discernere; quia usque aded omnibus veris falsa quædam adjuncta sunt, præsertim in tanto DD. dissidentium numero: nam uti dicitur *Veritatem invenire difficile est, ubi sapientes discordant*: timendum quæ quod in tali varietate rarè judicetur juxta rei veritatem, quæ consistit in puncto indivisibili, & quod Titii est, non potest esse Mævii: quippe si verum est, quod dum concurrunt sententiæ, ac opiniones, quas dicunt communes aut probabiles, Advocatus unius unam sequendo, & adversæ partis alteram, securus sit in conscientia, pariter & Iudex, an non totum damnum, quod inde resultat ad solos litigantes derivatur? an non inde fit quod quandoquæ boni Iudices, & sinceri Advocati diversa scommata pati debent?

Numquid ergo optandum foret, ut eliminatis tot doctorum inter se dissidentium interpretationibus, & opinionibus, una ex omnibus instar legis præscriberetur, ac in legem reduceretur: ad quem finem anhelandum esset ut Imperatores, & Reges bellis exonerati tam necessario novi codicis, aut digestorum operi commodè occupari possent: ut processus certis limitibus restringerent tot opinionum dissidia reprimerent: styli, statutorumque confusions corrigerent: doctos honoribus excitarent, omnesque qui se ad rectam, expeditamque judiciorum ac justitiæ Regulam componunt, causalque non nisi præsidii Jurisprudentiæ instruere conantur, præmiis, dignitatumque splendore, provocent, & munificè pensent.



IURIS IUSTITIÆQUE  
ACROSTICIS TRIPLEX.

Astra a sincerus Amor servare verenda  
 Dictat Iura Dei, sua comoda negligit: illud  
 Vnum agit, afflictis Ut solvat pectora luctu.  
 Obdit claustra dolis, Orbos leuat, excutit aquo  
 Causas Iudicio, Componit fœdera, litem hinc  
 Amovet, oppressis Adfert solatia blanda,  
 Tutatur cives, Tribuit sua cuique, gubernat  
 Vitã hominũ, themidos Valido stant omnia nisv,  
 Subsidium viduis, Stabili regit ordine terras.

C A P U T VIII.

*De Fide & Religione Togatorum.*

**P**Ræterquam quod nullæ majores sint divitiæ, nulli thesauri, nulli honores, nulla mundi hujus major substantia quàm est fides Catholica, quod quæ omnibus sit necessaria; quippe quæ janua est salutis nostræ, sine qua Deum invenire & invocare, Deo servire, & placere, nullus in hac vita potest: credere enim oportet accedentem ad Deum, inquit, Apostolus ad Hebr. 11. *Qui verd non crediderit condemnabitur.* Matth. 16. *Et iam indicatus est ex Christi sententia, Joan. 3.* quodque omnis infidelium vita peccatum sit, & nihil bonum sine summobono; ubi enim deest agnitio æternæ, & incommutabilis veritatis, falsa virtus est, etiam in optimis moribus. *S. August. 106. sentent.*

Peruliariter tamen etiam de Iure scripto, *Justinianus Togator omnes obligat esse Catholicos: quid enim legis tu Iurisconsulte? tu legum Doctor? quid legis in Codice. Nemo vel in foro magnitudinis tua, vel in provinciali Iudicio, vel apud quemquam Iudicem accedat ad Togatorum consortium, nisi sacro-sanctis Catholica religionis fuerit imbutus mysteriis.* Text. in L. nemo C. de postul.

Huius

Hujus *Catholicae fidei* ferè omnia mysteria non tantùm per sacras paginas, & Canonum decreta plus quàm sufficienter declarantur, sed & per totum Ius civile, etiã in terminis deducuntur, & docentur: Cur ergo *Iuris-consulti* illam non profitebuntur? cur in uno se dicunt Iuris Articulo consultos & administratores, & non in hoc?

Et quamvis pleraque sanctæ fidei *Catholicæ* capita Iurisperito ex textu utriusque Iuris scripti planè consent, doctèque ac succinctè *Cornelius à Rynhelen J. C.* in lib. cui titulus *Iurista Romano Catholicus* latè describat; quædam tamen ex solo Iure civili proferre volui, quibus dicta *Fides Catholica* ex contextu eiusdem ultra mille & amplius annis conformis modernæ dilucidè & clarissimè comprobatur.

Ac in primis, quòd sit *Una, sancta, & Apostolica ac Romana.*

*Cunctos populos, quos clementiæ nostræ regit Imperium, in tali volumus religione versari, quam divum Petrum Apostolum tradidisse Romanis religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat.*

*Hanc legem sequentes Christianorum Catholicorum nomen iubemus amplecti.* C. de S. Trinit. & fide Cathol.

*Item Romanæ sedis reverentiã conservatis, & ei cuncta subiicitis, & ad eius deducitis unitatem, ad cuius auctorem, hoc est Apostolorum primum, Domino loquente præceptum est, Pasce oves meas, quam esse omnium verè Ecclesiarum caput, &c.*

*Omnes verò sacerdotes sanctæ Catholicae atque Apostolicae Ecclesiæ & Archimandrita &c.* L. inter claras C. eod.

*Ut Ecclesia Romana centum annorum gaudeat præscriptione.*

*Ut legum originem anterior Roma sortita est, ita & summi Pontificatus apicem apud eam esse nemo est qui dubitet.* Auth. Collat. 2. tit. 4.

*Signum S. Crucis, in magno Ius scriptum habet honore, Aded ut nemini liceat illud bumi vel in silice, vel in marmore aut insulpere aut pingere.* Tototit. ut nemini &c.

*Adorandam & honorandam verè Crucem, inquit, Novell. 5. de Monach. c. 1. & novell. 123. c. 32.*

*Signum venerabile*, in Novell. 90. de testib. in princ.

*Signum nostræ Fidei atque salutis*, adeoque sanctum est, ut in instrumento pro fide ac subscriptione habeatur. *L. Sarcinus 22.*

Neque hîc est prætereundum, quamvis sit admirandum quod reperiantur homines tam stupidi, qui sibi persuadeant, quod Catholici adorent lapides & ligna Imaginum Christi ac aliorum sanctorum; unde pro illis adiungendos duxi sequentes versus:

*Effigiem Christi, qui transis, pronus honoras*

*Non tamen effigiem, sed quem designat adorâ*

*Esse Deum ratione caret cui contulit esse*

*Materiale lapis, effigiale manus.*

*Nec Deus est nec homo præsens quam cernis Imago.*

*Sed Deus est & homo quem sacra figurat Imago.*

Et nostro Idiomate:

**D**at ghy aensiet / aenbidt dat niet /

**D**aer daer 't op wijsst die eert en pyft /

**W**ant het is ghemaect met menschen handern

**T**ot Godts eere / en t'uybels schanden.

Sacrum Missæ sacrificium impensè etiam colendum, in verbis his, designat textus.

*In quibus (scilicet monasteriis) & altare collocatum est, ut sacrum exhibitum mysterium, quale moris est in sanctissimis Ecclesiis celebrari, sacris quippe lectis scripturis & sacrosanctâ & ineffabili communionem tradita &c.* Si altare, erat & sacrificium. *Ryntb. c. 100.*

Confessionem quoque auricularem & particularem docet Ius Civile in terminis.

*Qui hoc morbi genere contabuerint (ut nimirum contra naturam luxurientur) illi non solum de cetero peccare desinant, sed etiam ritè agant pœnitentiam, & coram Deo procidant, & morbum beatissimo Patirarchæ renuntient, rationemque curationis percipiant, & prout scriptum est, fructus producant pœnitentiæ.* *Novell. 141. de his qui lux. contra nat.* Numquid ibi clara est *Contritio, Confessio, & satisfactio?*

Plures ceterique veræ Catholicæ Apostolicæ & Romanæ fidei articuli:

articuli adferri ex *Textu Iuris* possent *Civilis*, quos non tantum ut profiteamur, mandat Iustinianus, sed etiam iurari, nec tantum per *Sanc̄tam Trinitatem*, sed etiam per nomen *Sanc̄tissima Virginis Mariae*, & SS. Archangelorum. Ecce tibi forma.

*Juro Ego per Deum Omnipotentem, & Filium eius unigenitum Dominum nostrum Jesum Christum, & Spiritum sanctum, & per sanctam gloriosam Dei Genitricem & semper Virginem MARIAM: per quatuor Evangelia, qua in manibus meis teneo, & per sanctos Archangelos Michaellem & Gabrielem, puram conscientiam Germanumque servitium, me servaturum Dominis Iustiniano &c. Et COMMVNICATOR SVM SANCTISSIMÆ DEI CATHOLICÆ ET APOSTOLICÆ (id est Romanæ dicit Glossa eodem loco) ECCLESIAE, & nullo modo vel tempore adversor ei, nec alium quemcumque permitto, quantum possibilitatem habeo. Si verd non hac omnia ita servavero, recipiam hic & in futuro saculo, in terribili iudicio magni Dei Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi, & habeam partem cum Iuda, & lepra Grieci, & tremorem Cain. Insuper eorum pœnis, qua lege eorum pietatis continentur, ero subiectus. Ita textus in Authen. Coll. 2. tit. 3.*

Intellexistis hæc *Iurisperiti*? Observatis hæc, qui *Legum* vultis dici *Doctores & Licentiati*, ac *Iuris & Iustitia Professores & ministri*?

Neque prætermittendum est quomodo majores nostri sudaverint & adlaborarint, ut sua sacris ædibus staret majestas, sua suppellectili esset opulentia: quodque inter hos enituerit *Iustinianus Imperator*, qui cum animum adiecisset ad divinam Aram quam magnificentissimè extruendam, quidquid terra marique prætiosum; quidquid in orbe rarum fuit, id omne augusta voluntate & munificencia contulit: de quo iuvat audire Cedrenum in Iustinia. *Fecit sacram mensam ex auro, argento & omni gemmarum genere, & ligno & metallo & aliis rebus omnibus, qua terra marique, toto denique in orbe in pretio sunt.* Lob. in spec. Eccl.

Pro conclusione addendum est, quod etiam de Iure civili *Sanc̄ti venerandi sunt*, & eorum intercessio petenda, & signanter super

*Benedi-*

*Benedicta Virginis & Matris MARIÆ. in verbis clarissimis.*

*Hoc etiam deprecantes, exoramus sancta & gloriosa semper Virginis Dei Genitricis Mariæ precibus, ut quidquid minus est Republica nostra per nos ultimos servos, restituat in suo nomine Deus, & dignos nos faciat servitium eius adimplere. Text. in lib. 1. C. de offi. Præf. Africæ.*

Quàm autem Iurisperitis singulariter sit utile, dictæ Dei Genitricis opem & preces implorare (quæ meritò vocatur *Speculum Iustitiæ, & sapientiæ sedes*) factum memorabile, quod R. P. Matthæo Bassio primo PP. Cappuccinorum Generali cum *Legisperito* quodam Ducalis Curie *Advocato* accidit, confirmabit: qui cum opulentissimus esset, remquæ familiarem injustis titulis auxisset, nonnullo tamen pietatis studio tenebatur, quo & in *Beatam Virginem* religione & in pauperes misericordiâ ferebatur. Hic cum dictum R. P. Matthæum ut virum sanctum haberet, cum quadam vice secum ad prandium vocat, qui cum statâ horâ se in ipsius domum contulisset, interim dum fercula parabantur, *Advocatus* his *Matthæum* verbis aflatur: Pater mi; est mihi in domo Simia planè admirabilis, quæ bruti naturam propemodum transcendere videtur. Quamquam enim hoc bestiarum genus propiùs humanos actus æmuletur: hoc tamen animal adeò hominem præ se fert, ut famuli mihi perfectâ obsequia præstet. hæc mensam sternit, hæc mantilia crispat, hæc calices & ciathos lavat, hæc orbes suis locis collocat: hæc dum è curia redeo, quasi herum venientem agnoscat, domus fores aperit, atquæ alia hujusmodi officia præstat, quæ summam omnibus admirationem pariunt. his auditis, *Matthæus* confestim divino lumine illustratus, quænam illa Simia esset, quidve in ea domo prætenderet, agnoscit. Quare *Advocato* respondens: Mira, inquit, ac magna profectò sunt hæc, quæ de Simia narras: at animadvertite, ne in hac Simia aliquid præter Simiam lateat. Amabo eam adduci iube. Mox illo iubente diu Simia conquisita, tandem loco obscuro, sub lecto delitescens conspicitur: cumquæ ut inde exiret, à famulis compelleretur, illa præter morem dentibus fremens, nullo modo adduci poterat, ut

in

in medium prodiret. Quod cum *Matthæa* renuntiatum esset, is cum Advocato accedens: Adesto, inquit, infernalis bellua, *In nomine Domini Iesu Christi*, atque ut huc antè quàm primùm prodeas, præcipio. Quæ cum præcepto parens se ante omnium adstantium oculos statuisset, ad eam *Matthæus*; Divino, inquit, imperio te obtringo & cogo, ut quis sis, quorsumve huc adveneris, nobis absque ambage declares. Cui Simia, humanam vocem depromens: Ego sum diabolus, neque alius mihi, cum huc veni, scopus fuit, quàm ut hujus Advocati animam, quæ multis nominibus mea est, ac meo imperio subdita, mecum ad Tartara raperem. Cui rursus *Matthæus*: Quid est, inquit, quòd cum illius tam famelicus esses, necdum eam tecum ad orcum rapuisti? quis detinuit? age, fare, quid prohibuit? Dicam, respondit Dæmon, Id sanè tantùm prohibuit, *Quòd ante somnum orans, semper Dei opem, ac Deiparæ Virginis patrocinium, sibi in præsidium imploravit.* Quòd si semel dumtaxat ab eo invocando abstinuisset, noctu procul dubio quiescentem præfocassem, ipsiusque animam mecum ad Tartara duxissem. eâ siquidem lege à Deo eam potestatem acceperam, ut si is orationem intermitteret, ego illius quoque animam interciperem. Audiebat *Advocatus*, ac tota illius familia maximo terrore percussa, has diaboli voces, rei que exitum tremebundi præstolabantur: cum *Advocatus*, metu penè exanimatus, ad *Matthæum* supplex conversus, eum ut suo patrocinio non destituat, impensius rogat. Cui *Matthæus*, *Ad Deum*, inquit, *Amice, & ad Beatæ Virginis patrocinium confuge, qui tibi, nisi tu tibi desis, opitulari volunt.*

Tum ad Dæmonem conversus: Quandoquidem, ait, hætenus tibi in hunc hominem imperium à Deo interdictum fuit, hoc ipsum tibi & ego ipsius nomine interdico. Tu solus in Tartarum abi, qui à Deo maledictus es; huic verò divinâ iam benedictione donato, ac suis omnibus, cave ne abscedens, damnum ulla ratione inferas: at Dæmon, Hanc, inquit, à Deo potestatem accepi, ut hinc absque aliquo dâno non recedam. Reluctabatur *Matthæus*, altercabatur Diabolus in proposito pertinax: interea tremere omnes,

nes, pavere, atque *Advocati* peccatus meru constringi. At ubi *Matthæus* illoꝝ animos verbis confirmavit, Diabolo, inquit, esto damnum infer: at ego damnum præferibo, quod excedere nequeas. Hunc tu parietem perfode, ac foramen relinque, quo te ex hac domo evasisse testeris, neque ultra quippiam damni inferas, præcipio. Vix ea fatus erat *Matthæus*, cùm Simiâ evanescente cuncti effossum ex utraque parte parietem vident, Deique obram mali hospitis discessum, flexis genibus clementiam laudant. *Matthæus* verò, cùm *Advocatum* animo compunctum, atque ad omnia paratum animadverteret, eidem rei injustæ restitutionem, ac melioris vitæ institutionem facile persuadet: prandioque cœlestibus potiùs monitis, quàm dapibus celebrato, *Matthæus*, ut magis *Advocati* animum in bono proposito confirmaret: Vides, inquit, hanc mappam, quâ mensa sternitur, hæc tota pauperum sanguine tinctâ est; sumentisque mappæ initium, ac manibus comprimens & distorquens copiosum ex ea sanguinem emulgebat, quem cùm *Advocatus* subjectâ patinâ reciperet; en tibi, inquit, *Matthæus*, sanguis pauperum, quem tot injustis exactionibus hausisti: hic horrendis adversum te in cœlum vocibus clamat, divinamque in te iram concitat. Iam tibi tuisque rebus prospice, malè paratâ, benè restitue, ac melius distribue, vitæque rationem juxta Christianæ disciplinæ regulam compone, tum divinam erga te clementiam liberalissimam agnosces. *Ex Annalib. PP. Cappuc.*

*Te patronum aliis, MARIÆ decet esse clientem;*

*Quin & discipulus, si sapias, esse roga,*

Iardin.

Refert Alanus de paupercula quadam devota *Diva Virgini*, ejusque Rosario, quæ habens processum in *Judicio* contra ditissimam partem, per patrocinium *B. Virginis MARIÆ*, *Cœlestis Advocata* sententiam obtinuit favorabilem, etiam invito & nolente *Judice*, Tribus enim vicibus dum *Judex* vellet proferre sententiam contra hanc mulierculam, semper pro ea & in ejus favorem pronuntiabat. *in Compend. Psalt. c. 15.*

Diximus de *Advocato* & de *Cliente*, quorum singularis fuit *Patrona Mater DEI MARIA*: Videamus modo de *Judice* (de Senatore

Senatore enim relatum est exemplum fol. 117.)

Scribit Pelbertus ( lib. 9. part. 2. arr. 3. §. penult. ) de *Stephanu Iudice Romano*, qui mūnera libenter accipiens, multorum iudicia subvertebat. Hic tres domos Ecclesiæ S. Laurentii, & unum hortum S. Agnetis violenter abstulerat & cōquisierat, sicque cōparta injustè possedit. Accidit, ut moreretur, & ad iudicium Dei duceretur, quando S. Laurentius ejus brachium durissimè strinxit, ita ut inde summum conciperet dolorem. S: quoque Agnes, faciem ab eo avertit. Tunc *Iudex* sententiam dabat, ut quia aliena rapuisset, & veritatem vendidisset, munera accipiens, in locum *Judæ proditoris* traderetur. Et ecce statim ante *Divam Virginem & Matrem DEI* sese *Stephanus* proiecit, quam in vita singulariter dilexerat & coluerat, quæ pro illo intercedens, impetravit, ut illius anima ad corpus rediret, & triginta diebus pœnitentiam ageret. dedit præterea eadem *Benedicta Mater* huic *Iudici* in mandatis, ut singulis diebus in vita sua legeret *Psalmum Beati Immaculati* &c. Cumque ad corpus redisset, reperit brachium suum totum lividum tanquam si ipsi hoc in vivis contigisset. Malè itaque parta restituens, & pœnitentiam agens, trigésimo die migravit ad Dominum. Ecce igitur patet, quod hic qui secundum Dei Iustitiam erat damnandus, per patrocinium & misericordiam *B. Mariæ* est liberatus.

*Iustitiam Deus sibi retinuit, misericordiam Mariæ tribuit: proinde rectè quidam.*

*Causa multiplici servire Deigenitrici*

*Debes, dum vivis, post mortem vivere si vis.*

Etenim post Dei benedicti cultum, nullus est præclarior, quam quo colitur Virgo ista: unde rectè de ejus ministris dicitur: *Beati viri tui. & beati servi tui, qui stant coram te semper.* Regum 3. c. 10. Et verè beati, quos sibi Virgo hæc fecerit devotos, grata diligentibus se, & non derelinquens. Promovet in vita, juvat in morte, sublimat in gloria: unde S. Bernardus: *Sileat misericordiam tuam Virgo beata, si quis est, qui invocatus in suis necessitatibus, sibi meminerit defuisse.* Evigila ergò, o *Iurisconsulte fidelis*, leva



oculos mentis, & vide quantum debeas hanc *Advocatam* & *Virginem* venerari, quantâ devotione illi servire, quantâ reverentiam extollere, & omni laude dignissimam æstimare, quæ *Judicis* jugiter adstat in cœlis pro nobis intercedens, & in hora mortis fidelissimè suis adstando & reconciliando; quæ fovet, nec deserit miserum, quousque tremendo *Judici* eum noverit reconciliatum.

Age ergò, ô Misericordissima, quod agis, adsta tuo amantissimo filio, exorans pro toto mundo, & peculiariter pro omnibus *Iustitiæ ministris*. Ostende filio tuo pectus & ubera, & filius partus latus & vulnera, & sic nulla poterit fieri repulsa, ubi tot concurrunt charitatis insignia. *S. Bern.*

*Retrogradum.*

SINÛ MARIA A IRA MVNIS.

## C A P U T IX.

*De loco ac mansione specialiter in Cœlesti Paradiso, pro Iustitiæ cultoribus, constituta, & quomodo Iurisperiti non unius sed plurimorum Sanctorum Advocatorum ac Iudicum in Cœlis jam existentium numero & cœtui adscribendi veniant.*

**F**Rustra, inquit Puteanus, in perorat. *bivii vit. hum.* scholæ & artes, nisi tam bonus sis, quàm doctus, quisquis ingenium colis: sed scire quomodo bonus sis, à doctrina pendet; esse, ab usu & actione: Etenim *Scientia sic cum virtute coniuncta est, ut scientia præcedat virtutem, virtus sequatur scientiam; quia nihil prodest cognitio, nisi actio subsequatur.* Lactantius. Discenda igitur virtus, quia à natura non venit: exercenda verò, ubi didiceris, ne frustra scias, non minori etiam labore vitia extirpanda sunt, quæ suis prius illecebris

cebris mores occupant & naturæ velut sponte adhaerescunt, in Animo velut agro, lolium, tribuli, spinæ sunt, bonamque virtutis frugem impediunt. Tantæ profectò molis est, bene vivere, & ad felicitatem attonli. *Bene vivit qui prudenter, qui fortiter qui temperanter, qui iuste.* hæ enim ut quatuor, sic omnes virtutes sunt aut omnes certè continent. sed prudenter vivere, est ex animi sententia vivere: parat enim hæc virtus quæ ad bona omnia faciunt. fortiter, securè: quia sine spe ac metu. Temperantes, liberè: nulla enim à voluptate servitus est. Iuste, sine læsione cuiusquam: suum enim cuique tribuitur. his modis boni sumus; imò his instrumentis beati, sive publicam, sive privatam agere vitam lubeat. Proinde *Consiliarii, Advocati Judices, Magistratus, ceteraque Juris ac legum periti & administratores,* dum munere suo fortiter, prudenter, temperanter & justè in fide & synceritate funguntur, non modò omni temporali reverentia, honore & benedictione replentur & abundant, sed & *Sanctorum* cœtui adscribendi veniunt, & proculdubio æternæ retributionis gloriâ coronandi.

Præterquàm enim quod Iustitia è tota anima oriatur & in consensum partes ducat; à ratione enim est prudentia, ab ira fortitudo, à cupiditate temperantia: ita ab his omnibus virtus, quæ omnes continet, & tamen *diversa*: Iustitia etenim in se virtutem continet omnem.

*Diversa* autem: quemadmodum è calce, lapide, ligno domus est; non tamen calx, lapis, lignum, domus est: confer & compone partes animæ, & nascetur iustitia. ut enim in fidibus singulis sonus, in omnibus consensus & concentus est: ita se anima habet; pars quælibet suis contenta est numeris potens virtutibus: sed mixtæ & compositæ harmoniam edunt, Iustitiamque constituunt. unde *Iustitia qua sapiens iustus est, est coniunctio quædam, sive concentus partium animæ & virtus perfecta atque suprema*: illa verdè qua civis iustus est, *Constans & perpetua voluntas ius suum cuique tribuendi, si jungantur iustitia est animæ totius virtus, qua ius suum cuique ut par est tribuitur.* munia autem ejus suum cuique tribuere, mores patrios & instituta, leges item scriptas servare, veracem in

scribis esse, pacisq; stare. Prima verò iustitia *in Deum*, proxime *in divos*, tertia *in Patriam & Parentes*, postrema *in mortuos*, comes est *Pietas, Veritas, odium mali, Fides & Sanctitas*. Putem in bivio vit. hum.

Licet verò in suspitione fraudum & perfidiz laborent aliqui Iudices, Advocati & Iustitiz ministri, cum meliore etiam sæculo Plinius dixerit; *Nos qui in litibus versamur multum malitiz etiam inviti contrahimus*: hoc tamen ad *ABUSVM* artis, non *USVM* pertinet, ut pulchrè Fabius *Lib. 12. c. 1.* & scribit Hostian. in *Proœmio sua summa S. unde versic. civili.*

*Advocatos & Iudices, utentes Iurisprudentiâ ut oportet, sanctiores vita conditione censerî, quàm quosvis religiosos.* Religiosior enim est, adversus vitia & corruptelas victoria perpugnam parta, quàm salus per fugam quæsitâ. *Tuld. C. de Advocatis divers. Iud.*

Et S. Augustinus ait, *Quoddam bonus Iudex sit bonus Martyr.* Quod confirmare videtur ipsa *Beata Virgo*, dum etiam scholares, bonæ voluntatis reputat esse *Martyres*. In Civitate *Bonnenfi* quædam inclusa erat habitans, religiosa satis atque devota. Hæc cum quadam nocte rimulis Cellæ suæ splendorem immitti cerneret, & diem esse putaret, tertia propter horas nondum dictas, surrexit, fenestras versus cœmeterium aperuit: & ecce juxta caput sepulchri cuiusdam *Scholaris* recenter illic sepulti, miri decoris foeminam stare conspexit: gloria verò corporis ejuseandem lucem creaverat. Stabat etiam & columba nivea super tumulum, quam illa citò rapiens misit in sinum suum: inclusa verò cum reverentiâ, quænam foret, requisivit: cui illa; *Ego sum Mater Christi, & animam scholaris hujus, Qui verè Martyr est, tollere veni.*

Reverà Scholares si innocenter vivunt, & libenter discunt, *Martyres* sunt, & si postea artes doctas in charitate exercuerint, magnam ex hoc mercedem consequentur. *Is. lib. 12. c. 46.*

Nihil autem tam magnum atque venerandum, quàm *Martyrium* quod liberat à morte, & facit vivere, & dat perpetuè regnare cum Sanctis. *S. Cypr. de Martyr.*

His accedit argumentum à simili, quod in Iute est probabile, utile

utile & frequentissimum; atque illa, quæ in radice & causa conveniunt, conveniunt etiam in effectu. *Argum. L. de quibus ff. de legibus.*

Si ergo innumeri *Jurisperiti* sunt *Sancti*, qui vera suæ sanctitatis in cælo præmia sunt consecuti, *Et per fidem vicerunt regna, operati sunt Iustitiam & adepti repromissiones*, qui homines fuerunt similes nobis, ex eodem luto formati, quo & nos; cur ergo difficile credemus, ut faciamus opera, quæ fecerunt, & sequamur vestigia eorum? Quod dum fecerimus, & *Sanctorum Jurisperitorum vitam, fidem & in Juris administratione integritatem* imitati fuerimus, ad eorum etiam consimilem beatitudinem perveniemus; si fuerimus socii passionum & actionum, erimus & consolationum.

Scio ab aliquibus aliquando interrogatum fuisse joci causâ, an *Advocati* etiam contineantur in *Litanis*, responsumque quoddam boni comprehendantur sub *Martyribus*, *Confessoribus* & omnibus *sanctis*; mali sub verbo *Peccatores*.

Quod autem plurimi sunt in cælis sancti *Advocati* & *Jurisperiti*, pluribus convinci potest, & contra populatè commentum, quo imperiti quidam, unicum *S. Ivonem* in ea professione sanctum, joco ex trivio sumpto, existimant.

Producemus hîc inferiùs plures (inclusis illis; quos *P. Roberti* in elogio suo deprompsit) incipiendo à *Moysè* &c.

*Moyse* Prophetâ qui non solum humani, verum etiam divini fuit *Juris peritus*. *Philo lib. 2. de vitâ Moysis.* Et ipse de se ait: *Cum acciderit eis aliqua disceptatio, veniunt ad me ut Iudicem inter eos.* Exod. 18.

Sequitur *Aaron* Sacerdos magnus, de quo: *Habetis Aaron & Hur vobiscum; si quid natum fuerit questionis, referetis ad eos.* Exod. 24.

*Iob, Causam, quam nesciebam, diligentissimè investigabam, Cap. 29.* *Causam* interpretes exponunt de lite *Forensi*.

*Daniel*, quem Rex constituit *Præfectum Magistratum.* Cap. 5.  
*S. Symeon Legum Doctor & Justus*: qui ante obitum vidit *Salutare Dei*.

S. Gra-

S. Gregorius Thaumaturgus, qui de seipſo in Orat. ad Orig. dicit: *Quidam ex meis Magistri Legum non imperitus, auſtor mihi fuit, ut ipſo docēte Romanas Leges addiſcerem: ego verd aſſenſus ſum & ibidem: His Legibus eruditus fui.*

S. Theophilus Advocatus Præſidis, qui cū S. Dorotheam Virgineſem iudicis Prætorium egredientem; Deo gratias agere quod ad Paradifum hinc evocaretur audiviſſet, in eam hoc modo (erat quippè Sapritii Præſidis adverſus Chriſtianos cauſidicus) calumniabatur: *Eia tu, qui dicis te Sponſam Chriſti, mitte in me de Paradifo Sponſi tui mala & roſas: quod eam feciſſe & ſuum calumniatorem in martyrum ſocietatem traxiſſe ſubſecutus eventus docuit.* Surius.

S. Athanaſius, de quo Baronius, quod non tantum fuerit valde imbutus Theologicis, etiam Iuris ſcientiam apprime calluerit. Tomo 3. ad An. Chriſti 311.

S. Ambroſius Eccleſiæ Doct̄or profeſſus in auditorio Prætorii Præſectura, ita ſplendide cauſas perorabat, ut eligeretur à viro illuſtri Probo, tunc Præſecto Prætorii ad Conſultum tribuendum. Paul. in vita S. Ambroſii. Qui & Romæ Advocatum egit undecim annis.

S. Ioannes Chryſoſtomus, à Forenſibus & ſecularibus ſtudiis ad divinas litteras ſumma cum ingeni & induſtria laude ſe contulit.

S. Auguſtinus Eccleſiæ Doct̄or de ſe ſcribit: *Habebant & illa ſtudia, qua honeſta vocabantur; ductum ſuum, intuentem FORA LITIGIOSA, ut excellere in eis.* Lib. 3. confeſſi. c. 3.

S. Germanus, Qui poſt Auditoria Gallicana intra urbem Romam JVRIS SCIENTIAM plenitudini perfectionis adiecit: Deinde tribunalia præſectura, PROFESSIONE ADVOCATIONIS ornavit. Apud Surium 31. Julii.

S. Godegrandus, quem Carolus Martellus in Autam vocavit, & à Conſiliis ſuis eſſe iuſſit, in qua ſuntione, ſe clericorum & Monachorum Patronum & Advocatum præbuit. Molan. 6. Marty.

S. Joannes de Florentia Iuriſperitus, & in Civitate Caſtellana Iudex. S. Anthoninus p. 3. tit. 24. c. 9. S. 1.

S. Carolus Magnus Imp. cui dum Comes Palatii item aliquam eſſe diceret,

*diceret, quæ sine eius iussu definiri non posset, statim litigantes introducere iussit, & velut pro tribunali sedens, lite cognita, sententiam dixit.*

*S. Richardus, Bononiz septennio amplius Iurisperdentia operam dedit, & mox præceptore agrotante, eius loco eam scientiam docuit, & postea est factus Cantuariensis Cancellarius. Apud Sur. 3. April.*

*S. Bonifacius Ferrarius, Carthusianus, Hispanus, fuit Iuriconsultus insignis, & statim post vigesimum ætatis suæ annum utriusque Juris consultus, & sui temporis omnium spectatissimus habebatur. Ribad. in vita. & Dorlandus in Chron. Cathuf.*

*Foannes Capistranus utriusque Juris Decennali studio peritiã ita absolute fuit adeptus, ut non solum studentes, sed & doctores quoque ipsi ab ipsius ore pendere non erubescerent.*

*Intelligendum eum vel Iurisperdentiam publice fuisse professum, vel vulgò de Iure cum auctoritate respondisse. Henric. Willot.*

*B. Jacoponus Advocatus Italus Tuderinus, ab ineunte adolescentia Juris Civilis prudentia studio impense se dedit: cuius demum cognitione absolutissimã instructus paratusque, & doctoris appellatione publice condecoratus, Advocatum strenuè in foro, uti erat Iuriconsultissimus, causasque agebat. Raderus 2. parte Virid.*

*S. Franciscus Salesius, Patavii cursum studiorum Juris inchoavit fideliter & publice Juris Doctor pronuntiatus est post examen exactissimum, anno ætatis suæ 24. Ioan. de S. Franc. in vita pag. 57. & 66.*

*Paulus IV. Pontifex Maximus Sacrorum Canonum, & civilium legum fuit peritissimus. Ioan. Casteldus in eius vita c. 1.*

*Recententur & alii plures sancti Iurisperiti apud dictum P. Roberti Disto loco. in quorum numero sunt: S. Hierotheus, S. Dionysius, S. Vitius, S. Pagathus professione Iuriconsultus, S. Cyprianus, S. Genosius, S. Basilius Magnus, S. Gregorius Naxianzenus, S. Sulpitius, S. Aper Episcopus, S. Hieronymus, S. Sollius Rector militiæ, forique Iudex, S. Symmachus Consul & Martyr, S. Ebrulphus. Magister libellorum supplicum, aptissimus in causis agendis inter Aulicos*

Aulicos. S. Aurelius Cassiodorus Consul, S. Gregorius Magnus Pater,  
S. Ioannes Damascenus, S. Hubertus Episcopus Traiecti ad Mosam;  
S. Wolbodus Cancellarius & Doctor Iuris, S. Liebertus Auditor,  
Consul & Iudex, S. Canutus Rex & Martyr, S. Hugo. Et Thomas  
Morus Angliæ Cancellarius: Quem scire oportet, etiam in Iure legisse,  
Advocatum fuisse, causas egisse, Syndicum Londini fuisse, Ius dixisse,  
Iudicisque urbani officio functum. Nec tantum Iudices & Advocati  
sancti sunt; sed & Iustitiæ minores ministri Satellites: sicut  
fuit

S. Iosias Satelles ducens ad mortem S. Iacobum fratrem S. Ioan-  
nis Evangelistæ, & videns quoddam per dictum S. Iacobum, dum  
illum duceret, fieri miraculum, voluit etiam Christianorum nu-  
mero adscribi: quod audiens Herodes, condemnavit illum socium  
fieri S. Iacobi in Martyrio, quod & illi contigit. S. Suffren in Anno  
Sancto.

S. Basilides fungebatur satellitis ministerio quando S. Potamiæna  
propter fidem morti adjudicabatur, habebatque curam eandem  
ducendi ad locum executionis: qui, cum dicta Potamiæna in itinere  
à lascivis juvenulis petulanter tractaretur, compassione motus ex  
Virginis modestia, dictos adolescentes ab eadem removit: unde in  
fine S. Potamiæna promisit Basilidi quod hoc servitium sibi præsti-  
tum non foret dandum oblivioni, neque irremuneratum: tribus  
quippe diebus post Martyrium suum, ipsa apparens Basilidi, coro-  
nam capiti ipsius imposuit, dicens: *Præpara te ad prælium, in quo  
evades victoriosus.* & eo ipso abundanter de mysteriis fidei instru-  
ctus, recusans idolis sacrificare, capite plexus, Martyrii adeptus  
est Coronam. memoria ejus fit 30. Junii. P. Halloix in vita  
Origin.

Ut autem sciâmus, quomodo Sancti Iurisperiti, non tantum sese  
in administratione professioneque Iuris & Iustitiæ exercuerint,  
sed etiam quæ fuerit vitæ & virtutum eorumdem series: quorun-  
dam compendiosas dotes & excellentias ex eodem Auctore sub-  
iunximus. Multos enim plus exempla quàm prædicamenta suc-  
cendunt, sentitque se quisque magis exemplis impelli, quàm ver-  
bis:

bis: *Verbis quippe monemur, exemplis movemur: & mentes audientium plus exempla fidelium quàm docentium verba cõvertunt.* S. Gr. Hom. 38.

Primum obtinebit locum *S. IVO, Iurisperitus Advocatus, & postea Iudex constitutus.* Quo munere ita perfunctus est, ut & gratis operam suam impenderit, & pupillos egenos, viduas aliosque oppressos, & calamitate quavis laborantes, summâ humanitate solaretur, & patrocínio sublevaret. Si quis carcere teneretur, cum omni ope & operâ erigebat: si qui dissidebant, pacem & concordiam inter eos conciliabat. Ecclesiasticæ inprimis libertatis vindex erat acerrimus. Quòd si evenisset, ut fit, ut sententia contra aliquem ferenda esset, sic memor erat Iustitiæ, ut tamen miseri hominis calamitati illachrymaret. floruit anno 1285.

*S. Carolus Borromæus* S. R. E. Cardinalis, Archiepiscopus Mediolanensis, sæculi nostri miraculum, imò qui paucos habuit superioribus sæculis pares, anno ætatis suæ XXII. *Doctor in utroque Iure* creatus est. Sed paucis videamus, qualis fuerit vita. Perpetuò jejunabat (etiam cùm conviviis adhiberetur) ac plurimùm modico pane & aquâ contentus: sexaginta aureorum millibus perpetui redditus annui ultrò se in egenorum subsidium spoliavit. Infectis ministrabat: sub purpura horrido cilicio amictus incedebat, pro lectulo illi erat vel dura humus, vel stramen nihilo mollius. Obijt autem, ut optaverat, in cilicio & cinere, jam vivens in gloria sempiterna, anno 1584.

*S. Thomas Episcopus Cantuariensis, Angliæ Cancellarius, Iurisperitorum sanctissimus, & sanctorum Iurisperitissimus,* cui ita cordi Ius fuit, ut non modò illud probè calleret, sed ne latum ab eo unguem recederet, ut Constantèr tueretur, contra quorumvis injurias defenderet, vitaque & sanguine ad extremum retineret. Exul sic loquitur, quomodo ergò locutus positus in loco tuto?

*Permittat (Rex) Ecclesiam frui pace & libertate sub ipso tamquam sub Rege Christianissimo: Ecclesiam Romanam uti iure suo & libertate in terra sua, quam habere debet & habet in ceteris Regnis. Restituat Cantuariæ Ecclesiæ & nobis iura suâ & libertates, & omnia ablata cum pace & securitate nostra.* Anno 1170.



S. Philogonius Episcopus Græcus Antiochenus, de quo Martyrologium Romanum 20. Decemb. quod ex *causidico* ad Ecclesiam regendam Dei nutu sit accersitus; & S. Chryostomus refert de eo sequentia: Porro quod legerit cum Deus vel ex ipsa morum integritate perspicuum est, quippe *Quem ex medio abreptum foro ad thronum hunc duxit*. Aded castam & insignem prius egit vitam, cum uxore haberet & filiam, *Et cū in Forensibus negotiis versaretur*, aded solem ipsum splendore vicit, ut protinus ab illo gesto, hoc Magistratu dignus videretur, & *à Tribunali ad tribunal* evectus sit. Actum quidem hominibus patrocinebatur adversus homines qui struebant insidias, eos qui afficiebantur injuriâ, superiores reddens iis, qui injuriam inferebant: hic autem adest hominibus patrocinebatur adversus demones. floruit anno Christi 320.

Boëtius Consul & Martyr Romanus lib. 1. de Consol. Philos. dicit de se: *Tu mihi & qui te sapientiam mentibus inseruit Deus, esis conscii, nullum me ad Magistratum, nisi commune bonorum omnium Studium detulisse. Inde cum improbis graves inexorabilesque discordia fuere, & (quod conscientia libertas habet) pro tuendo iure spreto potentiorum semper offensio. Quoties miseros, quos infinitis calumniis, impunita Barbarorum semper avaritia vexabat, obiecta periculis auctoritate protegi, numquam me à Jure ad iniuriam quisquam detraxit. Paulinum Consulare virum, cuius opes Palatini canes iam spe atque ambitione devorassent, ab ipsis hiantium faucibus retraxi: ne Albinum Consulare virum præiudicata accusationis pœna corripere, odium me Cypriani debitoris opposui. Obijt Anno Christi 526.*

S. Elzearius Comes, conjugatus virgo, solitus Pauperum quorumlibet causas agere, summâ eloquentiâ, quia jus omnino obtinebat, si jus à cliente stabat. Offerebantur illi quotidie à mendicibus libelli supplices Principi porrigendi, aut obtrudebantur potius, sine modo, sine numero. Hos studiosè compositos gestabat in prægrandi pera, è serico confecta. E pauperum vero numero fuit aliquando qui manus abluentem Comitum, ac jam mensæ accubiturum, (ut importuna est egestas) opprimeret: *Et tu quidem, inquit, mensam & delicias cogitas: at ubi interea libellus meus supplex?*

*plex? atque hodie expediendum eras pollicitus.* Indignatus alius fuisset: & Elzearius comiter, *Rectè mones, inquit, amice, neque hic mihi abierit dies, quin pollicitationi meae fecerim satis.* Itaque, prandio ac fociis relictis, palatium festinus adit, miselli negotium confici petit, obtinet, affert, tradit: actum domum frugali cibo attenuatum corpusculum, de more refecit, aiebatque se numquam suavius epulatum. Anno 1323.

*S. Primarius, Judex Aegyptius, qui postquam S. Paphnutio divinitus esset revelatus, quod illi par esset coram Deo in meritis, fuit à dicto Paphnutio visitatus: & dum Primarium rogaret, quas virtutes potissimum exerceret? ille de se vilia & humilia respondit. Sed urget hospes Paphnutius, aitque à Deo sibi indicatum, dignum esse, qui cum Ascetis versaretur, petitque candidum responsum: Tum ille, tamquam Deo ita jubente sic inquit: Trignitiam annos totos cum uxore mea abstineo, nemine alio conscio, neque illam nisi liberorum suscipiendorum causa unquam cognovi. Hospites lubens suscepi, quin etiam ante alios lætus illis accurri: ex iis neminem unquam sine viatico egredi domo meâ passus sum: quibusvis pauperibus necessaria, quoad potui, hilariter præbui. Cum in iudicio sedi, nec filii mei personam, contra iustitiam accepi. Alieni laboris fructus numquam introierunt in domum meam: litem si vidi, numquam præterii, donec reconciliarem dissidentes ad pacem: quantum in me fuit numquam permisit, ut potentior infirmum premeret: dum vixi, operam dedi neminem ut contristarem: dum primas in iudicio tenui, neminem condemnavi, sed litigantes in concordiam revocavi.*

*S. Paphnutius prædictus testatus est se aliquando in cellula sua sedentem vidisse dicti S. Primarii purissimam animam in cælum evolantem, stipantibus Angelorum choris & hilariter concinentibus; Beatus, quem elegisti & assumpsisti in atriis tuis.* floruit anno Christi 325.

Neque omissendus insignis Propheta *Zacharias*, inter templum & altare occisus, qui vir fuit literatus & *Legisperitus*.

*Baruc, Gedeon, Iephthæ, Sampson*, pluresque alii etiam adduci possent, qui ex Iudicibus commendantur in Scriptura tanquam

sancti. *Heb. 11. 32.* ut & *Nicodemus, Gamaliel* & generatim omnes Sancti, qui faciunt Iudicium conscriptum *Ps. 149.* aliique multi. Sed ne Lectorem oneremus, paucos tantum adjungam, cum brevi Iurisprudentiæ Nota. inter quos sunt sequentes.

*S. Bernardus Senensis*, qui cùm ad Themidis adyta penetrasset, & quas didicerat Leges cum plausu nunc doceret, quo rectius humana perspiceret, in oculorum gravissimam ægriitudinem incidit. colitur 22. Augusti.

*S. Salvius*: ex *Judice* Monachus Abbas, & Episcopus Albigen-  
sis, bis vivus, bis mortuus fuit. celebratur festum 10. Sept.

*S. Gordianus Iudex* cùm ad eum Ianuarius Presbyter ut condemnaretur sub Iuliano Apostata ductus esset, ab eodem in fide Christiana instructus, cum uxore & 53. aliis ex eadem familia Romæ Baptisatur.

*S. Iustinus Martyr*: multa Iudæi, gentesque adversum Christi cultores machinabantur, quorum causam, apud Cæsarem subsellia magna dicendi libertate tutatus, illud impetravit, ut Christiani deinceps, nisi maleficii, convicti essent, innoxii viverent. colitur 13. Aprilis.

*S. Arnulphus*, Episcopus Metensis, qui ante Episcopatum habuit tres proles ex conjuge sua, multas sua prudentia lites diremit. *Molan. in l. Belgii. 16. Aug.*

*S. Hyacinthus* Polonus à pueritia litteris instructus, post datam Iurisprudentiæ, & sacris Litteris operam, inter Canonicos Cracovienses adscitus, insigni morum probitate & summa eruditione ceteros antecelluit. *Brev. Rom. 16. Aug.*

*S. Bruno* Archiepiscopi Coloniensis, Ottonis III. Imperatoris frater, scientias divinas juxta & humanas calluit; sed eloquentiam imprimis, quam pro miseris potissimum exercuit, & quorum semper bona causa. *Fast. Marian. 11. Octob.*

*S. Raymondus* Barcinonensis, ex nobili familia de Peniafort originem duxit. Bononiæ Pontificio, civilique Iuri toto pectore incubuit, ac tandem Doctoris Laurea, ceterisque Doctrinæ insignibus decoratus, sacros Canones publicè magna cum hominum admira-

admiratione, absque ullo stipendio est interpretatus. Cui postea cum Senatus Bononiensis ob præclaram ejus eruditionem honorarium ex ære publico decrevisset; ipse labores suos Domino sanctificans, datæ sibi à senatu pecuniæ omniumque rerum quas sua industria comparasset, Deo imprimis ac suo Paracho decimas fideliter offerebat. Michaël Slot, ait Primariam ei Cathedram collatam cum publico stipendio, quod ille in pauperes & clericos distribuit. *Bolland. 7. Januarii.*

*S. Mennam Maximianus*, Antiochiæ præfecit suis, ut quidem putabat, sacris, revera Christianis addictum. erravit, feliciter tamen Imperator; neque Respublica unquam melius illic stetit, quam cum Christianum Ius, Christianus *Proconsul* diceret, & alios verbis alios miraculis, omnes vitæ exemplo ad Christum traheret, Martyrium passus 10. Decembris.

*S. Samuel* Iudex Israëuitarum.

*S. Hermogenes* Iudex Atheniensis.

*S. Macarius* Urbis Præfecti Vicarius.

*S. Eduardus* Rex Angliæ Legum-lator.

*S. Nilus* Præfectus urbis Constantinopolitanæ. alius adhuc

*S. Ivo* qui factus fuit Episcopus Carnotensis.

*S. Flavianus* urbis Romæ Præfectus.

*S. Sulpitius* Severus ex nobili Senatore Episcopus Bituricensis.

*S. Ausbertus* Cancellarius sub Dagoberto III.

*S. Ina* Rex West Saxonum in Anglia Legislator.

*S. Xenophon* Senator Constantinopolitanus.

*S. Arcadius* & } filii dicti Xenophontis, Iuris Studiosi.

*S. Ioannes* }

Adeste *Iurisperiti, Consilarii, Iudices, Magistratus, Justitiæque alumni*, hos spectate, hos tamquam nobilia exempla vobis proponite imitandos: habetis, quâ ratione Iurisprudentiam vestram rectè, fortiter, & Christianè impendatis.

*Si vis salvari, semper studeas imitari*

*Mores iustorum, fugias exempla malorum.*

Si verò & hi vobis non sufficiant, adest sanctorum sanctissima

*Dei*

*Dei omnipotentis Mater MARIA* quæ, uti expressè docet *Pelbertus*, in *Stellaris*, lib. 7. p. 3. art. 2. omnia Iura Civilia & Canonica, Leges & decreta scivit in summo. Ut enim in his sapientia *Advocati* consistit, primò scilicet, ut obtineat apud Iudicem justum & sapientem; Secundò ut contra adversarium astutum & sagacem; Tertiò in causa ardua & desperata: ita & *B. Virgo*, Primò apud iustissimū & sapientissimum Deum. Secundò contra adversarium callidissimū diabolum. Tertiò in causa maximi momenti, difficili & desperatissima, nostræ liberationis sententiam desideratam obtinuit. Unde sapientissimus Deus elegit eam tanquam prudentissimam *Advocatam* pro nobis: consequenter etiam omnia, quæ ad hoc officium pertinent super omnes novit excellentissimo modo.

Sicut autem omnis *Advocatus* secundum jura tenetur diligenter causam eorum tueri, quorum est *Advocatus*, & fideliter exequi officium suum, ut patet 3. 47. S. *si quis autem*, & tit. *de testib. x. c. Intimavit C. de Iudicis. l. proferendum, S. illo*. Ita & *Maria Advocata nostra*, in causa nostræ salutis tam fideliter advigilat, ut peccatorem ad ipsam conversum non deserat, quousque Deo ipsum reconciliet. unde *Anselmus*: *O Maria! tu peccatorem toti mundo despectum materno amplecteris affectu, nec deseris, quousque Deus per te placatus, ipsum sua gratia recuperet*. Sicut namque, *O beatissima Virgo*, impossibile est, ut merita tua obliviscaris: sic, ò mitissima, incredibile est ut supplicantibus non miserearis. *Eia ergò Advocata nostra quos tuos misericordes oculos ad nos converte*.

Tu es *Virgo Consilii*, & propitiatorium illud ex auro purissimo, unde responsa sua & oracula salutis dat Deus, quia à te omne sanum consilium procedit, quæ divinitatis abyssum altius perscrutata es, quàm cœlestis ille Iuris-peritus Apostolus Paulus, ad tertium usque cœlum evehctus. Triginta siquidem & tribus annis, cum Deo homine conversando, plenissimè ab eodem de omnibus es edocta: unde etiam à SS. Patribus *Magistra Apostolorum* vocaris, quæ peperisti nobis *Magni consilii Angelum Deum incarnatum*.

Si ergo hæres in dubio, fluctuas, nescis quid agendum, quid eligendum: adi Magni Consilii hanc administram: si parvi es animi, depressæ mentis, & consilii; invoca Magni consilii hanc administram: si in salebris verlaris, perplexuses, nec poteste expedire, te resolvere, Consule magni consilii administram.

Iustus Lipsius singularis beatæ Virginis cultor de se testatur. *A prima adolescentia D. Virginis amorem & cultum indui, eamque Patronam mihi & Duce[m], in periculis, in molestiis, in omni vita cursu elegi, etiam in studiis: & si quid accuratius pangendum vel dicendum publicè esset, ubi famæ vel memoriæ res agebatur, precibus & votis ad eam vixisse me fateor, & felici ferè successu.* Wichman. in Mariana Brabant. c. 44.

Adhuc ulterius progrediamus, & ecce ipse Dominus mundi, Rex cœli & terræ Iesus Christus Redemptor noster, magni Consilii Angelus, Advocatum egit defendendo Mariam Magdalenam, contra Pharisæos. Item in causa ejusdem contra Martham. Item & contra discipulos murmurantes. Item in causa adulteræ contra Iudæos, & Discipulorum contra Scribas. Hunc & adhuc habemus in cœlis iuxta S. Ioannem: *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum iustum &c.* Quid potest haberi illustrius, quid eminentius.

*Suscipit hic causas, miseri gaudete clientes,  
Quisque fuit Judex, esse Patronus amat.*

Vivant ergo Jurisprudentes in cœlis cum suis Confratribus, vivant & regnent in Requie cœlesti, quam divina providentia solis Iustitiæ cultoribus destinavit. Licet enim multæ & varix sint, teste S. Ioanne in domo Patris mansiones &c. particularis tamen Iustitiarum & Amplissima ibidem constituta est (quod velim non tantum à Iurisprudencia alumnis, sed & ab amulis, detractoribusque singulariter annotari) quam describit Damascenus. & illam Card. Bellarminus, vir notæ sanctitatis & doctrinæ, & Gillius Interpreta, veram esse credunt, ac pro tali referunt.

De Iosaphat ergo loquens Damascenus sic dicit: *Dum preces funderet, vidit se à viris quibusdam arripi, & in amplissimum campum per duci, pulchris floribus instructum, ac singularis odoris suavitate fragran-*

fragrantem, ubi & plantas & omnis generis arbores cernebat admirandis & inusitatis fructibus onustas, visu iucundissimis, & gustata suavissimis. Arborum autem folia, ex tenuissima quadam aura dulcem sonum edebant, & inexplicabilem odoris fragrantiam afflabant. Quin & palatia istic erant auro & ingentis pretii lapidibus structa, luculentum certè splendorem emittentia: ad hæc aquæ perfluebant limpidiissima oculos mirum oblectantes. Tunc in urbem quandam introductus est inenarrabili splendore rutilantem ex auro lapidibusque pretiosis, pinnas ac propugnacula habentem cuius pulchritudinem verbis exprimere nullus posset. In ea alati quidam exercitus morabantur, mirum in modum splendidi, ubi hanc vocem audivit.

Hæc eorum, qui Iustitiam coluerunt, est requies.

Postea ad se reversus, miro accendebatur eò perveniendi desiderio: Hæc Damascen. apud P. Matth. tract. de Cœlesti paradiso c. 43.

Quoniam qui custodit legem beatus est Proverb. 29. & iustitia immortalis est, quia fecit homines dignos immortalitate Cœlestis gloriæ. Sap. 1. Et teste Cicerone, in lib. de som. Scip. Omnibus qui patriam auxerint, adjuverint atque servarint certum esse in cœlo diffinitum locum ubi sempiterno ævo fruuntur ut dicit Bar. & ex eo Chassaneus. In c. Clerici in 7. col. vers. 3. facit de iud. & Ghass. in Catal. glo. mund. p. 10. conf. 21.

Cur & non omnes Iustitiam colentes accendimur, & ex integro dicimus affectu cum Davide, Psal. 136. Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea: adhareat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Hierusalem in principio latitiae meae. Recedat omnis in Iurif. ministris, ambitio, fallacia, inordinatus affectus, corruptio.

Dicantque cum S. Gregorio Hom. 37. Si consideremus animo, quæ promittuntur in cælis, vilescunt omnia, quæ habentur in terris. Caveantque ne propter injustitiam, fraudes, lucrum, aliosque Iustitiæ excessus priventur Beatâ iustâ requie, Iustitiam colentibus tam splendide & pretiosè preparatâ, & in æternum deplorent juxta beatum Isaiam Abbatem, Væ nobis, qui in isto peregrinationis exilio, detestandas oblectationes consecrati, & paradisi deliciarum oblitii contempsimus

*tempus regnum cælorum: contemptissimum requiem Iustitiarum ab æterno destinatum.* Tomo 2. Biblioth. SS. Patrum.

*Beati qui custodiunt Iudicium, rectè judicando, & faciunt Iustitiam in omni tempore, rectè agendo.* Ps. 165.

*Educat sicut lumen Iustitiam tuam, & Iudicium tuum sicut meridiem, quia Dominus amat Iudicium: amat quod æquum est, propter quod non derelinquit sanctos suos, æquitati studentes, & in æternum conservabuntur.* Ps. 36.

Si non excitent præmissa bonorum ac malorum monita & exempla: si non moveant vitæ & vestigia tot sanctorum Iurisperitorum: si non cœlestis mansio alliciat & provocet, ut bonum faciamus, & à malo declinemus: si non tot divina promissa, si amor Dei & Iustitiæ nos tenere non possit: teneat & terreat metus Jehennæ, laqueus mortis: terreat Tartarus & horrendum *Dei Iudicium*: quando sagena missa in mare Iudicarium, congregans bonos & malos educetur, & ex sæcus littus sedentibus eligentur boni in vasa sua (*in requie iustis dedicata*). mali autem foras mittentur: & sicut non distinguuntur boni pisces à malis quamdiu sagena est infra aquam: sic in foro præsentis admixti sunt mali bonis: sed in fine sæculi trahetur ad littus per apertum *Iudicium*; quia tunc erunt manifesta abscondita cordium, & detectæ Iuris ac Iustitiæ adumbratæ fallaciæ, corruptelæque.

Tunc Deus mittet Angelos suos cum tuba & voce magna: verè voce magna, cui obediunt omnia elementa, quæ petras scindit, inferos aperit, & universos mortuos resurgere faciet, ac ad *Iudicium* venire compellet.

*Tuba mirum spargens sonum,*

*Per sepulchra Regionum*

*Coget omnes ante thronum*

Quis terribilem illum Iudicii diem sustinere poterit: quando terra perturbabitur, & mare, prolata ex Adamo hominum corpora, reddet exultans, & veluti accedente Rege cœlum torquebitur, confestim apparitores obtenta pro foribus peripetasmata contrahent: sublato vero ex oculis cœlo erunt in conspectu Angeli-



carum virtutum ordines cum fulgure: mille millia procutrent. Conspicietur verò descendens *Dominus*, dum nimia luce circa se præfulgurat uniuersa.

Quis eiusmodi spectaculo spectando par erit? quis terrori moderabitur? quis non timeat Iudicem istum potentissimum? quis non reformidet horrendum istud tribunal? In quo discussio fiet de commisso tibi munere: quàm sedulò illud & quàm fideliter curasti? *Consiliarium, Advocatum, Officiatum, Iudicem, & Iustitiæ ministrum* te constitui, quam curam *Reipublicæ, aut causarum* habuisti?

Exhibebitur libertatæ Conscientiæ; & quæ tibi met ac aliis celare voluisti, ibi manifesta videbis, & ab omnibus videbuntur etiam ipsæ animi cogitationes, Nunc quidè peccata impiorum ita occultantur quasi in libro Dei non Atramento perlucido, sed Cypri succo scriberentur, cujus scripturæ nullum apparet vestigium: atqui quæ Cypri succo scribuntur, ubi igni admota fuerunt, clarè leguntur: in igne Iudicii extremi, quando iudicabit sæculum per ignem, singula peccata legentur. *Staplet. Dom. I. Adventus.*

O quantæ Injustitiæ, quot scelera modò teguntur, palliantur, supprimuntur, dissimulatur, defenduntur. jam usitati ac quotidiani moris est, culpam à se in alium vertere: gravissimas injurias, còtumelias, ac prævaricationes honestissimis nominibus prætexere frequentissimum. *Bevo* nimium beato vivimus: vix quispiam errat, aut certè nemo fatetur se errasse; & quamvis *Abusivè*, atque etiam impiè fiât plurima, ea tamè speciosissimè purgare novimus: nulla nunc injuria rationibus caret, vix injustitiæ ullum deest mantellum: nemo non aliquid argumenti non habet ut peccet: omnibus nimirù vasculis suum reperitur operculum: veritas apud plurimos ludibrio est: mero meridie tenebras sæpè densissimas inducimus, & diem artificiosa nocte involvimus, ut certam esse jures eclipsim.

Quot eiusmodi eclipses in tribunalibus & curiis est videre: verborum & cæramoniarum ubique plurimum est, parum amoris & fidei: verba speciosa, sed cor amarum natat felle: certatur in foro, causa-

causarum & actionum: ad tribunalia infinitus est numerus: & subinde Ius suum non obtinet, caditque causa, qui causam defendit æquissimam. *Drex. in tribun.*

*Sed aliter iudicabit supremus Iudex, qui cum acceperit tempus, Iustitias iudicabit. Ps. 74.*

Veniet qui malè iudicata re iudicabit, illicitè iurata refutabit, qui faciet iudicium iniuriam patientibus, qui iudicabit in Iustitia pauperes. Quid faciet de iniustis iudiciis, *Qui ipsas quoque Iustitias iudicabit, nò solùm noxas Iustitiæ adversas, sed & in lucernis scrutabitur, Ierusalè, quid erit in Babilone, si Ierusalem manet scrutinium. S. Bern.*

Tunc dicet Dominus iis qui à sinistris erunt, *Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est Diabolo & Angelis eius: causam autem subdet cur ita condemnet: Esurivi & non dedistis mihi manducare, &c. non ob paupertatem in iudicio condemnabitur peccator, sed ob impietatem: O infælices qui divitiis & bonis uti nesciunt? O fælites qui sciunt: Nesciunt profectò illis uti, qui regnum cælorum illas dilargiendo lucrari possunt, avarè retinendo cùm illis pariter arsurus sint. Marulus in memor. lib. 6. c. 9. 10.*

Assurgent Apostoli, & Prophetæ atque inter ceteros reproducet Rex David contra eos qui honores & officia ambiunt, cum illis indigni sint quæ scripsit in Psalmis suis 43. *Vidi impium super exaltatum & elevatum, sicut Cedros Libani; transivi & non erat, & quaesivi eum, & non est inventus locus eius.*

Salomon & ipse aliquando peccator, sed per pœnitentiam iustificatus, arguet eos qui tergiversantes obliquo Iudicio, recti tramite deferunt, dicens: *Et qui iustificat impium, & qui condemnat Iustum abominabilis est uterque apud Deum. Proverb. 17.*

Isaias inferet, ad eos qui pecuniam pluris quàm Iustitiam faciunt, & plebem iniustis exactionibus vexant & exhauriunt, *Væ qui condunt leges iniquas, & scribentes, iniustitiam scripserunt ut opprimerent in Iudicio pauperes, & vim facerent causæ humilium populi mei, ut essent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent, Quid facietis in die visitationis & calamitatis de longe venientis? ad cuius confugietis auxilium? C. 10.*

*Jeremias non parcat illis, qui alienis damnis dirati student: Vt qui aedificat domum suam in Iniustitia, & canacula sua non in Iudicio: amicum suum opprimit frustra, & mercedē eius non reddet ei: qui dicit aedificabo mihi domum latam & canacula spatiosa, qui aperit sibi fenestras, & facit laquearia cedrina, pingitque synopide. C. 22.*

*Neque aberit Amos: Va vobis qui opulenti estis in Sion, & confiditis in monte Samariae, Optimates, Capita populorum, ingredientēs pompaticē domum Israël, qui separati estis in diem malum, & appropinquatis folio iniquitatis, &c. qui dormitis in lecticis eburneis, & lascivitis in stratis vestris, qui comeditis agnum de grege, & vitulos de medio armenti. C. 6.*

Tunc videbunt supra se *Deum iratum*, infra se ignem paratum & circa se terribiles *Dæmones* graviter infrendentes, & jam ad terrima illa inferni loca cum furore urgentes, compellentes, trahentes. Quam miserabile spectaculum illud erit, cum & pectora pugnis, & ora vugnibus foedantes incedent, laniabunt capillos, percutient fœmora, complodent palmas, compriment digitos, totis artubus, toto corpore contremiscent, alii in terram proni corruent, alii horrore attoniti rigebunt, alii simphatico pavore acti huc illuc veluti amentes discurrent; ora pallor, corda dolor, mentem stupor, membra tremor, languorque occupabunt, atque interea incessabilis immugiet gemitus, personabit planctus, obstreper ejulantium numquam molestior auditus clamor, quærent mortem & non invenient eam, & desiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. *Apor. 9.*

Ad hæc etiam Iustorum gloriam videntes turbabuntur, stupebunt & dicent, *Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum, & in similitudinem improperii nos insensati, quo perduxerunt nos concupiscentia nostra, delicia molles, alti status, magna dignitates, iudicia opes? cur concepti fuimus? aut cur conceptos non est aborsa mater, vel cur non statim natos abelevit mors, vel adultos oppressit valetudo; vel angustiavit egestas, vel in servitutem abduxit hostis? O si mors in igne illò esset, ad quem compellimur, quàm libenter in eum irrueremus, & sic consumptis fugere æterna supplicia liceret?*

*Hi*

*Ibi nihil proderit multa allegare, & nihil excipere neque replicare neque ad sedem Apostolicam appellare, Reus condemnabitur: nemo dicet quare cogitate miseri qui & quales estis: quid in hoc iudicio dicere potestis in quo non erit Codici locus nec digestis; Idem eris Dominus Iudex actor & testis?*

Si Iustus vix salvabitur, ubi manebit impius? si sancti viri ita timidi fuerint, ut dixerint cum sancto Hieronymo, *Quoties disimilium considero, toto corpore contremisco; sive cum bibo, sive comedo, sive aliquid aliud ago, semper videtur in auribus insonare: Surgite mortui, venite ad Iudicium.*

Tum videbis quid perdidideris, & quid inveneris: perdidisti beatitudinem, ad quam factus es: & invenisti mortem, ad quam factus non es: O infelicitas, ô deploranda calamitas, cœlesti patria exulare, ad infernalium supplicia detrudi, à Deo reïci, maledictionis sententia feriri! O sententiam horribilem! O ignem horrendum, in quo inter sartagine flammeas miserabilia corpora cremabuntur, nudaque corpora allambent.

*Mortis vel vita brevis est vox, Ite, Venite.*

*Dicetur reprobis Ite; Venite bonis:*

*Quantus erit luctus cum Iudex dixerit Ite.*

*Talis erit fructus cum dixerit ipse Venite.*

Quid adhuc dormis anima mea tepida & digna evomi? Qui non expergiscitur, qui non tremit ad tantum tonitru, non dormit sed mortuus est: *Viri mali non cogitant Iudicium: qui autem iniquunt Dominum, animadvertunt omnia.* Proverb. 28. qui solliciti cum Deo suo ambulant, quotidie voces illas ingemiscunt, *Dicam Deo meo nobi me condemnare.*

Memento ergo mortis & Iudicii quia magna peccati pœna est, futuri Iudicii (quod à morte dependet) memoriam perdidisse. *Drex. in tribun.* ad quam etiam Ethnicus ille Poëta *Horatius* te exhortatur dum canit:

— *Pone moras & studium lucri,*

*Nigrorumque memor, dum licet, ignium. 4. Carm. 12.*

*Diogenes*

*Diogenes Cynicus* Athenas veniens, loco mercium exposuit venalem sapientiam: fuit ex primatibus qui vocato puero, *I puer*, agebat & *vide quantum sapientia Institor ille stoltiam pro tribus sestertiis vendat*, fecit puer quod iussus: at *Philosophus* huic emptori pro ea pecunia istud sapientia vendidit, *In omnibus respice finem*. Aded placuit venale hoc dictum emptori, ut illud in gentibus litteris inscribi januis, & propilzis iusserit.

*Festina tempus, & memento finis.* Eccles. 34.

Ideo autem Deus diem finis nostri voluit esse incertum, ut dum incerti sumus quando moriamur, semper ad mortem parati debeamus venire. *S. Greg. lib. 4. moral.* parati autem veniemus si predecessorum nostrorum monita auscultare velimus, dum dicunt:

*Culmina qui cupitis, status pompaque sitis,*

*Est sedata sitis, si me pensare velitis.*

*Qui populos regitis, memores super omnia sitis,*

*Quod mors immitis non parcat honore potitis.*

*Vobis Iudicibus similis fueram, bene scitis.*

*Quod sim vos eritis ad me currendo venitis.*

Deinde.

*Vita quid est hominum spes & formido futuri,*

*Multum tristitia, latitiaque parum.*

*Nascimur in lachrymis, lachrymis quoque vita madescit,*

*Et vitam rursus linquimus in lachrymis,*

*Principium vita lachryma, finis dolor, ipsum*

*Lueta gravis medium. Vita quid ergo? nihil.* Svert. in epita.

Prudentissimè *Zaleucus*, insignis ille quondam legislator, prologo, legum suarum *Locrensis* datarum digna hæc sequentia adscripsit, quæ ego eodem epilogo hujus tractatus apponere volui. *Mortuuros*, inquit, *omnes iniuriarum quas commiserunt penitentia invadit, & vehementer cupiditas qua vellent exactam sibi vitam omnem fuisse iustam: quamobrem singulos oportet semper in singulis actionibus illud tempus aded suis cogitationibus familiare facere, ac si præsens esset: ita enim maximè honesti Iustique cura vigebit.* *Stob. Serm. 42.*

*Justinus*

*Justinus Imperator* iubebat sibi lectum conspergi pulvere, & lachrymans dicebat, *Ecce nunc in pulvere dormiam, quoniam pulvis sum & in pulverem convertar.* Cedrenus.

*Ferdinandus Rex Hispaniarum* ubi à *S. Isidoro* intellexit vicinam esse horam mortis, regio habitu indutus ad templum concessit, ibique consistens ad altare purpuram, sceptrum, coronam, torquem, annulum, & omne regium vestimentum exuens deposuit, dicens *Domine regnum quod à te accepi tibi restituo, colloca me in aeterna luce. sic mortuus ibidem.* Spondanus & Beckherus.

*Ptolomeus Philadelphus Aegypti Rex* inter medias epulas mortui cranium semper habuit, & à ministris hanc sibi vocem dici voluit *Inspice Rex, & cogita te talem aliquando futurum.* Plutarch, in conviviis sapientum.

*Henricus Galliae Rex* sic vitam suam ordinaverat; *Octo horas legebat, octo orabat, octo dabat corpori & Reipublicae*: sedenti ad mensam *Tres orbes apponebantur*; in primo orbe *Crucifixus*, cum lemmate, *Cibus cordis*: in secundo *liber*, cum lemmate *Cibus mentis*: in tertio *panis*, cum lemmate, *Cibus ventris*: supra mensam ex Tholo pendeat *Alauda* cum inscriptione, *Caelum cane, terram tace*, alauda enim dum in terra sedet tacet, cum volat in altum canit. *Annal. Gall. & Beckherus.*

*Brackmanni* certis temporibus solent mittere vicinis regionibus arefacta folia cum his verbis, *Talis est vita hominum, qualis foliorum.* Drex. in prodrom. zternit.

Pulchrum etiam symbolum humanæ vitæ potest esse lapis ille pretiosus, quæ, *Auctore Dorotheo*, Angelus dedit Alexandro magno, Paradisum ingredi quærenti. hic enim lapis omnes alios pretiosos in bilance superabat, etiam simul positos; conspersus vero pulvere minimo, minimam plumam levior fuit. Hunc lapidem pulvere opsitum in simbolo habuit *Alphonsus Rex*, cum lemmate, *In pulvere non Rex.* *Philippus Macedo* puerum habuit in aula, hunc tantum muneri destinatum ut quotidie ad eum ingressus tale quid proferret, *Memorare, ô Rex, te esse hominem*: tunc Rex miseram conditionem considerans, tales e pectore effundebar voces? *Hæu mihi*

*miserum homo sum, ac proinde mortalis, ac in cinerem redigendus*  
 Alianus lib. 5. c. 15.

*Basilii Episcopus sibi vivus construxerat sepulchrum, sed imperfectum relinquit consulto? cum ergo profectis diebus Episcopali pompa cogebatur uti, puerum delinavit, qui subinde exclamaret, Pater mortem cogita, & sepulchrum tuum perfici iube.* Matthal. c. 26. & Beckherus.

Cur autem non licebit dicere, quod *Ludovicus Cortusius Iurisconsultus Patavinus* ex mortis & novissimorum præmeditatione vitam suam tam virtuosè formaverit, ut scribatur de eo, quod ad funus suum musicos quinquaginta omnis generis conduxerit, feretrum iusserit ferri à duodecim Virginibus viridi veste ornatis, cum cantu læto & triumphali, centum funalibus stipantibus, comitante totius urbis clero, & Monachis omnibus, exceptis nigris, ne tristitiæ color lætitiæ funeris funestaret; lachrymari, testamento quoque prohibuerit. *Drex. in Podrom. Beckherus cap. 7.*

Dicamus ergo cum Sancto Bernardo, utinam scperes quæ Dei sunt, intelligeres quæ mundi sunt, provideres quæ inferni sunt: profectò inferna horreres, superna appeteres, quæ ad manum sunt contemneres

Vt autem intelligas & provideas, hæc animo volvas.

*Stat certa æternitas*

*Flammæ crucians æterna æternitas,*

*Vide quid facias, utrimque æternitas,*

*Honores fugiunt, manet æternitas.*

*Aurum te deserit, manet æternitas.*

*Caro dilabitur, manet æternitas.*

*Est tam brevibus, æterna æternitas.*

Quis hanc sortem æternorum cruciatuum non expavescat? quis mala numquam finienda non timeat? Hæc ut evitemus, utamur consilio quod nobis suggerit Sapiens Eccles. 18. *Ante languorem adhibe medicinam, & ante Iudicium interroga te ipsum, si nos metipso dijudicemus non utriusque iudicemur,* Quare

*Sic nunc cuncti vivite  
Vivatis ut aternitati.  
Sic mori iam nunc discite  
Ne moriamini damnati,*

Hoc etenim modo dum mors venerit, vincitur, si priusquam venerit, semper timeatur.

Vnde qui se quotidie recordatur moriturum, contemnit presentia, & ad futura festinat.

*Disce mori, mortura caro, moriari priusquam.* Sverth. d. loco.

*Memento peccati, ut Doleas;*

*Mortis, peccare ut desinas;*

*Misericordia, ut non desperes;*

*Divina iustitia, ut timeas.*

*Beatus homo qui semper est pavidus: etenim timor Domini expellit peccatum, & qui timet Dominum inveniet Iudicium iustum & iustitias quasi lumen accendent.* Prov. 36. & 28. Præferet illa facem quæ tenebras dispellet, quas offendere possunt affectus, metus, amor, dona, & quæcumque alia humana, & cum his pugnans, atque sub illius auxiliis mox vincentem, solabitur: *Dicite iusto, quoniam bene, quoniam fructum adiuventionum suarum comedet:* Nec minus omnium cordibus insculpendum est divinum illud *Eccles. c. l.* dictum, *Timenti Dominum bene erit in extremis, & in die defunctionis benedicetur.*

Hanc in die defunctionis benedictionem, ex totis cordis mei medullis opto, apprecorque omnibus Consiliariis, Advocatis, Iudicibus, ceterisque Ius & Iustitiam profitentibus, & ut Iurisprudentiæ verum insequendo VSVM, ac ejusdem detestando ABVSVM, vivat in hoc sæculo cum *Honore*, & timore; & in altero, *in requie Iustitiaris præparata*, Cum gloria ad quam consequendam operis hujus est unicum votum, scopus, &

F I N I S.

*Vivat anima mea vitâ Justorum,  
Et fiant novissima mea similia eorum.  
Amen, Amen, Amen.*

Nnn

PRO-



## PROTESTATIO AVCTORIS.

**S**Aniori Superiorum censure & melius sentientium iudicio omnia subiecta sunt. Et si quis meliora ac certiora nos docuerit, expressam facultatem corrigendi nobis reservamus: Protestantes nihil nos in hoc tractatu cogitasse aut sensitisse quod S. Fidei dogmatibus adversari, vel in particulare odium alicujus publicæ seu privatæ personæ, Status, aut Reipub. trahi vel retorqueri possit; Et si qui sint qui aliter nos in præsentî opere quidpiam scriptitasse præsumant, eos rogatos volumus ne ea secus ac nos sensitus, interpretentur: Cuncta Domini nostri IESU CHRISTI & Beatissimæ VIRGINIS MARIÆ, totius mundi ADVOCATI & ADVOCATÆ Protectioni ac tutelæ committentes, quia ad utriusque majorem gloriam & Reipubl. salutem omnia directa volumus & rogamus.

# INDEX RERVM

## In hoc opere contentorum.

### Advocatus.

**A**dvocati officium laudabile est & necessarium. fol. 319  
Advocati in summo semper habiti honore. 321  
Advocatorum varia privilegia. 330  
Plures ponuntur magnates, & viri illustres. 328  
Bonus debet esse & honestus. 342  
Advocatus prudens scribit ea quæ ad rem sunt. 350  
Demosthenis Advocatum agens Consilium. 351  
Non debet erubescere, Confratres consulere, neque nimis suo insistere Consilio. 352  
Ab Advocato causæ actio non hominis accusatio sumenda. 361  
Non debet calumniarum esse Conflator. ibidem.  
Nec factio, nec dictio ullus est in Judicio lædendus, nisi id fiat non animo injuriandi, sed ex necessitate causæ. 362  
Reverentiam & honorem sibi invicem etiam in Judicio deferre debent. 363  
Ab ambiguis & argutis subtilitatibus, ac sophisticis argumentis abstinere debent. 363 & seq.  
Advocatus, ut Juri & veritati complacet studere debet. 375

Anonymus Advocatus felix fuerit in sæculo, sed non ita in cœnobio. 381  
Non plures ab eo acceptandæ causæ, quam expedire potest. 391. 395 & 396  
Advocato justo tuto causa committitur. 398  
Æterna justos manent præmia. 399  
Fortes debent esse & constantes per exemplum Papiniani. 399  
Justam debet Advocatus defendere causam, & partibus litium incommoda proponere atque ad concordiam inflectere. 399 & 400  
Probata debet esse vita. 357  
Eorundem Jusjurandum. 401  
Non sint pertinaces in sua opinione neque contra conscientiam causam foveant. 402  
Ipsi debetur salarium, sed non ex solo foliorum numero. 406 & 427  
Non sint superbi, sed benevoli. 401  
Jocosa de Advocatis munera accipientibus & quomodo silentium apud Demosthenem fuerit venale. 410  
Quomodo in evacuando occupentur, cum exemplo. 410  
Advocatum adversarii corrumpere non licet. 419  
Quomodo aliqui corrumpantur exemplis & versibus 411 & 412  
Quomodo aliqui munera fugerint. 413  
414

Patrocinium pauperum quomodo suscipere debet, neque illud deserere. 418

De Azto, & senatore qui pauperes nolebat audire, aut admittere. 419

Quanta cura adhibenda in causis pauperum. 420

Advocatus noster est Iesus. CHRISTUS 455

Advocata nostra est eminentissima Virgo & Mater DEI MARIA speculum Justitiæ & sedes sapientiæ cum exemplis. 438 & seqq.

### Adolescens.

Resp. per Adolescentes labefactatæ à senioribus restitutæ. 152

### Avaritia.

Avaritiâ omnia sunt venalia. 289

### Affectus.

Ab affectu liberum Judex gerat animum. 80

### Amici.

Amici & consanguinei ad expugnandos Judices magnam vim habent. 81

### Acceptio personarum.

Acceptio personarum quid sit, & quando Jure prohibita. 67

Acceptio personarum varii casus. 68

Acceptio non debet esse ne quidem personarum pauperis in suo casu. 69

### Assentatiō.

Assentatio in Consilio Reipublicæ perniciosa. 76

Quando in judicio multis sit assentiendum. 77

### Ambitus & Ambitio.

Ambitus & Ambitio quomodo distinguantur? 105

Leges variæ contra Ambientes. 106

Jurisjurandum à promotis ad judicium. 107 & seq.

Collatores aliqui non dant, sed vendunt officia. 108

Ambientes munus, eo sunt indigni. 109.

Ambitiosi vitia, cum honorem est adeptus. 109

Officia venum exponere multorum malorum causa. 111

Quænam conditiones requirantur, ut licite officia vendantur. ibid.

Ambire oportet per virtutem. 112 & seq.

Rationes cur magistratus emere non licet. 113

Honores dum indignis dantur, quale inde Reip. damnum inferatur? 115

Nolentibus magistratus dantur per exempla. 119. & seq.

Modestia in recusandis honoribus commendatur. 120.

Qui invicti magistratum adeunt, melius gerunt. 121

Honoris fuga vera debet esse, non ficta. ibid. & seq.

Honores sæpè maxime appetunt qui recusant. 122

Ambi-

**Ambitiosorum miser exitus.** 123  
 & seq.  
**Ad regimen ut ad furcam veniendum est.** 126. & seq.  
**Tranquillitatem amans excelsa non quærat.** 127  
**Elevari in sæculo, dejici est.** 129

**Ætas.**

**Ætatis ratio habenda in magistratu, & quare.** 151

**Archivium.**

**Achivium in civitate deberet esse actiū Notarialium.** 310

**Æquitas.**

**Æquum & bonum quid sit?** 172  
**Propter æquitatem non scriptam non est recedendum à jure scripto, nisi auctoritate Principis.** 174  
**Æquitas simulata duplex est in æquitas.** 377.

**Barrataria.**

**B**arrataria quando committatur in judice. 275

**Bonum publicum.**

**Bonum publicū in omni deliberatione privato cedere debet.** 79

**Brevitas.**

**Brevitatis laus.** 392  
**Prolixitatis incommoda.** 389. & seq.

**Causa.**

**C**ausa, unde dicta, & quid sit. 91  
**Causa cito cedere, utiliùs quandoque, quàm vincere.** 92  
**Causa legitimis defensionibus sustinenda.** 372  
**Causæ status attendendus.** 393  
**Causam justam fovens non quærit ambages.** 397

**Cœlum.**

**Pro cœlestibus sollicitus fuit Clemens IV. in provisione nepotum.** 330

**Consilium, Consiliarius.**

**Quis benè consulat.** 358  
**Consilio, & sapientia Resp. florent.** 357  
**An Consiliarius se absentare debeat à Consilio, quando scit aliquid tractandum cui in bona conscientia non potest assentiri?** 28  
**Doctorum Consilio semper utendum, per plura exempla.** 322  
**Constantia bona in Consilio, non pertinacia.** 332. & 338  
**Consiliarii requisita.** 332  
**Quid agendum Consiliario ante Consilium, in & post.** 333. & seq.  
**Secretum sit Consilium, & de Rege Myda.** 334. & seq.  
**Consulentem nemo accusare debet, nec ab eventu judicanda consilia.** 335  
**Ad Consilia etiam medicæria conducūt ingenia.** 335  
**Laus Consiliorum quæ, & manet post mortem.** 337  
**Con-**

**I N D E X**

Consiliarium deterrere non debet vultus potentis, aut adversitas: per plura exempla. 340  
 Consilium sine odio fit, & maturum. 341

**Collegium.**

Concordi Collegio nihil firmitus. 62

**Contumeliæ.**

Contumeliæ non debent nos à recto deterrere: exemplo Thomæ Mori. 339

**Calumniæ.**

Quid sit calumniari, & prævaricari. 358  
 De Calumniæ Iuramento. 358  
 Calumniæ vitandæ, & ibidem per exempla. 359

**Curia.**

Curia dat curas. 9  
 Ad Curiam accedendum ut ad ignem. ibidem.

**Debitum.**

**D**ebitum qui olim non solvebant, quali pœna plexi? 14

**Dignitas.**

Nunquam dignitas justè pecunia acquiritur, quæ debetur virtuti. 335

**Divitiæ.**

Divitiarum miseriam, & incommoda. 381 & 383: & mediocritas optima. 415 & 416

Divitiæ, in Curia sunt in estimatior. 431

**Eleëmofina.**

**E**leëmofinæ laus, cum exemplis. 421. 422. 423. 424. 425. & 426

**Fraus, Fallacia.**

**F**allax seu Sophista assumatur ranis: cum exemp. 387 & 380  
 Fraudè ac dolo plura evertuntur, per exempla. 375  
 Fraus callidè retunditur per exempla & jocos. 376  
 Prudentior ab aliquibus putatur qui peritior est fallendi. 378  
 Fraudulentorum exempla. 382

**Forus, Forum.**

Forum quid sit, & unde dictus. 2  
 Forum est asylum injuriam patientium. ibid.  
 Forum æquitatis juridicæ promptuarium. 3  
 In foro lis litem generat. 4  
 In foro aliquando neglectus legum. 8  
 In foro carceres esse debent & quales. 10  
 Item tribunalia publica. ibidem.  
 Forum justitiæ pateat pauperi æquè ac diviti. ibidem.  
 Forum ac Iudicem, lites etiam minimæ flagitant. 11  
 In foro Iudiciali inter litigantes pacem componere, non incongruum. ibidem.

**Iudex.**

**Iudex, Iudicium.**

**I**udiciorum labes non Legum, sed  
 ex avaritiæ malo. 7  
**J**udicia non debent inturbari. 28  
**J**udici quid faciendum circa Advocatum,  
 & Procuratorum defectus. 38 & seqq.  
**J**udex unde dictus. 41  
**J**udicis officium olim quale. ibid.  
**J**udicis definitio explicatur. ibid.  
**J**udicis qualitates. 42  
**J**udices, in scriptura vocantur Dii, &  
 quare. 42  
**J**udices, & Iuris ministri non hominum  
 gratiam quærunt, sed Dei, à quo Iu-  
 dicandi sunt. 44  
**I**ndices præsentem sibi Deum Consti-  
 tuant. 45  
**I**ndices æqui gloriosius remunerandi. 46  
**D**eum habent defensorem. 46  
**Q**uam malè faciant, dum nocentes, ab-  
 que legitima causa non puniunt. 47  
**Q**uando ad torturam procedere possint. 49  
**L**egem & Deum ante oculos in primis  
 habeant. 50. 74  
**I**udicium quid sit. 51  
**I**udex in Iudicio non propriam Phan-  
 tasiam sequatur, sed opinionem illam  
 quæ legibus fulcitur. 52  
**I**udici non licet pro credulitate sola  
 quemquam condemnare. 52  
**I**udex omnem adhibeat diligentiam ut  
 liberet eum quem scit innocentem,  
 & quando possit liberare. 53

**I**udex conscius innocentie an innocen-  
 tem possit condemnare, dum per  
 testes probatur nocens: variaz sen-  
 tentia. 54 & 55  
**A**n possit aliquem condemnare, etsi  
 nullus sit accusator, si crimen con-  
 stet. 56  
**I**udicis est docto interdum assentiri. 57  
**I**udicis varii defectus. 57  
**I**udicibus multis, & magnæ auctoritatis  
 cur non est assentiendum dum à ve-  
 ro & bono deviant. 58  
**Q**uomodo à iudicio multorum non est  
 discedendum. 59  
**Q**uomodo Iudex à singulari opinione se  
 temperare debet. 60 & 61  
**I**n Iudiciis nimia subtilitas cavenda. 61  
**M**odestè de se sentientium exempla. 61  
**A** Iudicii bonis absit discordia, & si-  
 multas. 62  
**I**tem absit pervercia. 63  
**I**uris ambiguitas causa multorum in-  
 commodorum. 64  
**I**udex curet, ut certa sit sententia, non  
 ambigua. 65  
**I**udex bonus studeat causæ, non perso-  
 næ. 66  
**I**ustitiæ in oculo bona compartio. 66  
**A**bsit à iudicio gratia, & affectus. 70. 71  
**I**udex faciem potentis non aspiciat. 75  
**I**udex seu senator bonus debet liberè  
 sententiam docere. 76  
**I**udicia aliquando variantur ob regen-  
 tium incapacitatem, & virtutis defe-  
 ctum. 80  
**I**udicii ordo substantialis, cognitio cau-  
 sæ & examen præcedat sententiam. 82 & 84

Iudi-

I N D E X

Judicii temerarii varia exempla.	83	lippi Maced. Regis.	109
In Judiciis quæ servatur forma?	84	Ad Judicia quales sint eligendi?	109
Judex. ne nimis sit festinus ubi de capite hominis agitur.	87	Judicis persona immunis sit ab omni crimine, quia aliorum crimina debet judicare.	131 & 135
Judex quasi nasus inter duos oculos esse debet.	87	Judices strictam reddent rationem Deo. ibidem.	
Judex non gravetur partem utramque audire, varia exempla.	88	Judices probitati jungant Jurisprudentiam.	132 & 134
Judex manibus carere, non oculis potest.	89	Judicis inepti comparatio.	133
Judex in causis judicialibus prima informatione non rapiatur.	89	Judices multa indigent oratione, ut à vero non devient.	141
Judex quid facere debeat, ut causa obscura citò expediatur.	93	Judicem ornant decor, & forma.	144
Ex inimicitia lites non protrahendæ.	93	Judici est doctrina necessaria.	145
Judicii ordo modernus apud aliquos non est ordo, sed labyrinthus.	94	& seq.	
Judex labore ante omnia ut status causæ sibi propdnatur, & quid sit status causæ.	96	In Judice ortus patriz est considerandus secundùm aliquos.	150
Judex non debet rerum mole obrui.	350	Judicis boni & apti symbolum.	167
In Judiciis, justitiæ cursus, acutis ineptiis contunditur.	368	In Judice severitas requisita, sed moderata.	167 & seqq.
Judiciorum formulæ antiquæ.	373	Judicis æqui & boni est de summo Jure parum aliquando decedere.	173
Judicem non licet errore, aut falsis allegationibus, vel muneribus in suam sententiam attrahere.	390 & 400	Judici cavenda crudelitas in reis puniendis.	177
In Judice modestia, & humanitas gloriosa est. exempl. & antiquor. sentent.	99	Judex peccata non hominem odio habeat.	177
Judex dum facilis est gravitati non de-roget.	100 & 102	Clementiæ excessus, causa est sceleratis ad nequitiam.	179 & seq.
Judicis bona verba, sequantur facta.	100 & 102.	Judex temperet Clementiam severitate, & severitatem clementia.	198 & seq.
In Judicibus humanitas, & comitas laudabilis, morositas vituperabilis.	101 & seq.	Judex sapientiam ad gubernandum, & fortitudinem ad comprimendum habeat.	192 & seq.
Judicis humanitatem nec vendi, nec emi debere ostenditur exemp. Phi-		In Judice Zelus boni communis requiritur, ut neepotentes, nec amicos revereatur.	195 & seq.
		Judex robore & omni fortitudinis opus habet internâ, & externâ.	197 & seq.

R E R U M.

Judex pravus, si manus hominum, Dei manus non effugiet. 205. & seq.  
 Judicis mala conniventia, Reipub. exitium. *Ibid.*  
 Judex ex metu turbæ populi tumultuantis cedere non debet. 202  
 Judex odio vel inimicitia seduci non debet. 203  
 Judex non curet, quid homines, sed quid veritas ipsa loquatur. 204  
 Judex injuriarum sibi illatarum non sit tenax. 207  
 Judicem vexationis timor, ad delicta inquirenda, non faciat segniores. *Ibid.*  
 Judices fortes non sunt, qui fortitudinem suam ultra Justitiam extendunt. *Ibid.*  
 In Judice ac Magistratu requiritur temperantia. 214  
 Judex ab ira se temperare debet, ut veritatem videat. 215  
 Irati enim quæcumque faciunt cæca sunt. *Ibid. & seq.*  
 Judex caveat ab invidia. 219  
 Judicem facit intemperantia contemptibilem. 221  
 Judex ab illicito aspectu se temperet, ne formâ moveatur. 222  
 Judex sit ratione temperatus, & non superbiat. 218  
 Judices decet in suppellectile temperantia. 228  
 Judicium comes inseparabilis esse debet prudentia. 230  
 Judex Justitiæ & æquitatis amans esse debet. 250  
 Judicium ut sit verus actus Justitiæ quænam requirantur. 252  
 Judex regulas, & non conscientiam

suam legibus adversantem sequatur. *Ibid.*  
 Judex nec pro justis orandus, nec pro injustis oxorandus. 255  
 Judicium humanum 4. modis pervertitur. *Ibid.*  
 Comminationes variæ iniquis Judicibus. 262  
 A Judice injusto ad summum Dei tribunal appellationi est locus: exempla ad hoc plura. 265  
 Judex Judicii Dei memor sit. 271  
 In judicem à Jure deflectentem est Principis advertere. *Ibid.*  
 Judex quando committat crimen concussionis. 275  
 Judex injustam ferens sententiam ad quid teneatur. *Ibid.*  
 Judicium corruptio omnium causa malorum. 276  
 Judicium oculos munera excæcant. 281  
 A Judice incorrupto optima quæque speranda. 284  
 A Judicis corde exulet cupiditas. 286  
 Contra Judices accipientes munera leges pœnales variæ. 287  
 Injustos Judices, nec mors, nec judicium terret. 290  
 Judices docti fulgebunt ut firmamenti splendor. 318

Ius, Justitia.

Justitia non nimis tardè administranda. 90. & seq.  
 Quomodo olim picta fuerit. 191  
 Justitia exigit ut malis retribuatur eadem mensura quam aliis retribuerunt: exempla ad hoc. 170. & seq.  
 Justitia

000.



# I N D E X

Justitiæ comites, severitas & modestia. 172 & 175  
 Justitia distributiva adhibenda in malis vindicandis. 188  
 Justitiæ definitio ab etymologia juris. 246  
 Justitia omnes virtutes continet. 247  
 Justitia commune bonum spectat. *ibid.*  
 Justitiæ symbolum est aquila & Palma: & quare, Item æquilibrium & Lanx. 250 & 251  
 Justo plus dicant acquisita judicio, quàm injusto. 257  
 Injustitia illegalis & inæqualis. 258  
 Injustitiam deserentes pœnæ manent. 259  
 Injustè damnari aliquibus melius est, quàm injustè absolvi. 261  
 Injustitiam administrans illam sectari debet. 270  
 Irri studendum requisito tempore, & jocosæ de quibusdam promotionibus. 248  
 Iusta patientis melior est tristitia, quàm iniqua facientis. 379  
 Injustitia alium lædens seipsum lædit. 404  
 Ex iure civili multa fidei nostræ capita probantur. 434 & seqq.  
 Justitia pluris faciendâ quàm opes immentæ. 415  
  
**Juris-consultus. Jurisprudentia.**  
 Jurisprudentiæ finis est licitum ab illicito distinguere, non pro solo lucro. 407. 408 & 429  
 Jurisprudentia luxuriæ ingeniorum & interpretationibus aliquando opprimitur. 64

Absque I. C. consilio plures Magistratus nihil facere voluerunt. 323  
 Juris-consulti ad omnes dignitates promoventur. 328  
 Juris-consulti requisita. 331  
 I. C. effigies describitur. 338  
 Juris-consultus rerum forensium & Iurisprudentis esse debet. 343  
 Iurisprudentia nemini plena contingit nisi viro bono. 346  
 Eiusdem differentia inter eloquentiam. 390  
 Iurispreriti octuaginta Sancti vel circiter enumerantur. 445 & seqq.  
 Injustitiam colentium locus specialis in Cœlis. 455 & seqq.

## Invidia.

Invidiæ mala. 219  
 Invidia refugo telo similis. 220  
 Invidia partialitatis mater. *ibid.*

## Lis, Litigatores, Litigium.

**L**itium multitudo & diuturnitas quam originem habeat. 6  
 Litium seges maxima in hoc sæculo. 7  
 A litibus abstinere decet Christianum, & quare. 12  
 Litigantium varia incommoda. 13  
 Lites cur ex inopinato perdantur, variæ causæ, vel cœptæ cur non expediuntur. 17  
 Litium natura affinis aleari. 18  
 Lites, etiâ triumphanti rarè proficiunt. *ibidem.*  
 Lites auferunt pacem. 21  
 Lis cum proximo litem parit in animo. *ibidem.*

A liti-

## K E R U M.

Abstinere lucrum esse ostenditur.	22
De emptores refrigerandi.	27
Leges in causa cadentes peccant, cum de Juce conqueruntur.	27
Litigam amatores ob rem nihili movent litem.	28
Litigantibus applicantur plagæ Aegyptiorum.	30
Lites evitandæ ad exemplum Christi.	32
Lites etiã justæ vix sine peccato aliquo à litigantibus suscipiuntur.	33
Litigatori quid faciendum, priusquam litem intentet.	34
Litigantes pauperes juris subsidiis abutentes, puniendi.	35
Ad lites præscindendas remedia diversa.	37. 40. & 428. & seqq.
Litigiosis & refractariis aliquando non est cedendum & quare.	62
Lites non ita abbreviantur, ut probationes, & defensiones legitimæ non admittantur.	98
Lites quomodo protrahantur, longis scriptis, variisque allegationibus, & aliis modis.	387. 388. & 389.
In litibus decidendis exemplum in signe Theodorici Imp.	432.

### Lachrymæ.

Lachrymas viduarum quis restituet?  
401.

### Lex.

Lex Justiniani Imp. de causis criminalibus & civilibus non protrahendis.  
98.

Leges civiles ante certos annos nullum ad Remp. administrandam admittunt.	151
Leges veteriariæ.	162
Lex repetundarum.	252
Leges arancarum telis similes & quare.	280
Legum mutatio multa confert incommoda.	369
Leges sint paucæ, firmæ, breves, utiles, claræ & justæ.	368. 370 & seqq.
Legum multitudo paucis in libris restringenda.	371 & 433
Leges executioni dandæ.	371
Leges Caligula affigebat ita ut legi non possent.	404
Leges quædam antiquatæ, reducendæ.	420

### Lingua.

Lingux diversitas, alienationem animorum inducit.	162
Lingux Belgicæ antiquitas.	164
De illis qui lingua mendacii congregant thesauros.	381
Lingua abutentium exempla.	403

### Magistratus.

Indocti & fallaces Magistratui incommodi.	233
In Magistratibus in ferenda sententia & votorum ordine varii modi observati.	64
Magistratus præter peritiam, debet habere virtutem, & quare.	134
Malum exemplum eorum, qui præsent, quàm sit nocivum.	136

## I N D E X

Magistratus debet esse bonus ob quinque rationes, vigilans & pius. 137  
 138. & 140.  
 An in Magistratum divites potiùs quàm pauperes sint eligendi? quatuor rationes. 148  
 In Magistratu & tribunalibus sunt senes & prudentes aptissimi. 153  
 An perpetui, an annui sint Magistratus constituendi, disputatur in utramque partem. 155. & 158.  
 Duobus Magistratibus assidere non est cuicumque permissum, & quare. 157  
 Ad magistratum non sunt admittendi nothi seu spurii propter quinque rationes. 148 & seq.  
 Ad tuendam dignitatem, vestimenta à Romanis attributa. 158  
 Magistratus electio per sortes improbatur, & quare? 165  
 Magistratus processum venalem faciens à quolibet accusari potest. 272  
 Magistratum optimus Advocatus, paupertas. 279  
 Magistratus pecuniam amans rubo spinoso similis, & quare? 279

### Munera.

Munera respuens in Scriptura laudatur. 282  
 Munera respuentium exempla. 416  
 & seq.  
 Munera accipientis tollunt libertatem. 291  
 Munera accipientes quomodo olim puniti. *Ibid.*  
 Munera dans habet iniustitiæ notam. 292.

Munerum quæ sit vis ad homines bonos fallendos. 293  
 Munera, nec manus Iudicis, nec conjugis sciunt. 298  
 A Magistratu non sunt semper rejiciendi extranei. 150

### Modus.

Modus vetus tenendus in plectendis hominibus facinorosis. 176  
 Modus condemnandi reos apud antiquos, quis fuerit? 177.  
 Immoderati in abrogandis aliorum opinionibus taxantur. 60

### Pauper.

**P**aupervis miserendi duo modi. 70

### Politia.

Politia pessima quando qui præfunt, privata spectant, publica minimè. 80

### Populus.

Populus aut nimium colit, aut nimium odit. 202  
 Populari auræ nimium fidentes rarè feliciter diem claudunt. *ibid.*

### Pœna.

Pœnas quædam remittendi causæ. 185  
 & 184  
 Quænam proximæ, & quænam remotæ. 186  
 Pœnæ constituuntur ob tres causas. *Ibid.*

**Pecu-**

**Pecunia.**

Pecuniæ omnia munatissima expu-  
gnant. 276  
Divitiz sunt spinæ. 277

**Prudentia.**

Prudentia nomen habet à providen-  
tia. 231  
Prudentia, & Calliditas, quando diffe-  
runt. 232  
Dolus duplex, bonus & malus. *Ibid.*  
Sagacitas est, quandoque non dare sen-  
tentiam. 237  
Per Prudentiam divinam & humanam,  
infantes à Iudicio absoluti. 241

**Privilegium.**

Privilegia publicam debent spectare  
utilitatem. 371

**Procurator.**

Procuratoris boni officium. 301  
Procuratorum & Advocatorum officia  
multis modis distinguntur. *Ibid.*  
Procuratores dicuntur custodes, pra-  
gmatici, & sollicitatores causæ. 302  
Procuratorum vitia. 303  
Procurator affinitatem habet cum Ad-  
vocatis. 301  
Vfus illorum necessarius, & laudabi-  
lis. *Ibid.*  
Mandatum non debent excedere. 102  
Fideles debent esse, & versutis absti-  
nere. 103  
Facietiz de duobus Procuratoribus, &  
eorum clientibus. 304

Fabulæ de gallina & fele applicantur  
Procuratoribus & clientibus. 304

**Relator.**

**R**elator qualis esse debeat. 133

**Secretarius, Scriba.**

**S**criba est nomen dignitatis. 317  
Cancellarii etiam scribæ vocan-  
tur. 314  
Scribarum mentio fit sæpius in sacris  
Litteris. 315  
Super faciem scribæ Deus imponit ho-  
norem suum. 317  
Scriptor laudabilis fuit sanctus Fulgen-  
tius. 318  
Legati etiam vocantur Scribæ. 317  
Secretarii Domini, sunt quatuor Evan-  
gelistæ. 318  
Secretarii etiam Scribæ sunt, & de eo-  
rum honore. 311  
Secretariorum diversi ordines, & gene-  
ra. 311. & seq.  
Secretarii Regii sunt Nobiles perfecta  
nobilitate. 312

**Sententia.**

Sententia plurimorum concordans non  
est spernenda, & quare? 59  
Nemo sententiandus ex sola suspicio-  
ne. 85

**Scientia.**

Scientiæ diversæ. 344  
Scientia Juris civilis præcellit inter plu-  
res. 327  
Scien-

# INDEX RERUM.

Scientia prævalet nobilitati. 324  
 Scientia & usus requiritur. 166  
 Scire possumus mala, non facere. 305  
 Scientia vera amat instrui, & ibi per  
 exempla. 352  
 Semper discendum : per exempla. 354

## Temperantia.

**T**emperantiæ laus. 127  
 Sobrietas optima hominis medi-  
 cina. 128

## Titulus.

Titulorum facilitas nociva, & diversi  
 illos acquirendi modi. 345. 349.  
 & 343.

## Vestis.

**V**estium abusus. 157  
 Vestium superfluitas, vanitatis  
 indicium est. 159  
 Ex vestium & magnificentia apud ali-  
 quos quaritur honor & respectus.  
 160  
 Purpuram gestare solum licitum erat  
 Senatori, & Primatibus. 161  
 Luxus vestium Syracusanis inhibitus.  
*ibid.*

## Veritas.

Veritatis Comes est constantia, & mul-  
 tis docetur exempli. 78  
 Veritas simplex est. 379  
 Veritatem quando reus dicere tenea-  
 tur. 384. & seq.

## Vindicta.

Vindicta divina imminet inflato super-  
 biâ, & in divitiis glorianti. 297

## Virtus.

Virtus vitio non est iuvanda. 378

## Voluptas.

Voluptas sæpè pœnitentiam adfert,  
 unde & societas inæqualis mulierum  
 vitanda. 222. & seq.

## Volumen.

Voluminis Conclusio, agit de ultimo &  
 extremo Dei Iudicio, cum ipsius  
 Authoris finali appreciatione, & Pro-  
 testatione. 457. & seqq. usque 465.

FINIS.

# ERRATA.

<i>MENDA.</i>	<i>EMENDA.</i>
Folio 12. etiam	tamen.
18. lib.	l.
19. lux	lis.
33. non	dele.
49. Principes	Princeps.
76. Nobilis	pauper.
<i>Ibid.</i> pauper	Nobilis.
105. cum tamen	& cum.
<i>Ibid.</i> adeoque	deleatur.
106. aulici	arbitri.
107. det	l.
126. certe	deleatur.
137. n. 48.	II. q. 3.
156. anni	annui.
160. vestibus	vestitus.
<i>Ibid.</i> vestitus	vestibus.
189. 234.	23. q.
191. facit	fecit.
201. ejus	cujus.
207. vicit	vincit.
221. sit &	sed
222. post risum, &c.	post tactum pergis in actum.
post tactum	post actum.
223. eam	cum.
225. exulandum	epulandum
242. in populo	in templo.
253. lex	fales.
308. induat	judicat.
328. affectu	effectu
335. consultorum	cōsultorem.
358. præceptu	prætextu.
363. injuriam	injuriarum.
382. pingere	pungere.
403. n. 4.	II. q. 3. c.
409. mores	mors.
458. Cipri	citii.

Si quæ plura reperiantur emendanda Benevole  
Lectoris correctioni subijcimus.

TABLE

INDEX

1	2
3	4
5	6
7	8
9	10
11	12
13	14
15	16
17	18
19	20
21	22
23	24
25	26
27	28
29	30
31	32
33	34
35	36
37	38
39	40
41	42
43	44
45	46
47	48
49	50
51	52
53	54
55	56
57	58
59	60
61	62
63	64
65	66
67	68
69	70
71	72
73	74
75	76
77	78
79	80
81	82
83	84
85	86
87	88
89	90
91	92
93	94
95	96
97	98
99	100

Printed and Published by J. B. ...  
 ... ..









CIN  
EN  
M...



